CHRISTOPH. MATTHÆI PFAFFII,
S. THEOL. DOCT. ET PROF. PUBL. ORD. TUBING.

INSTITUTIONES

THEOLOGIÆ DOGMATICÆ ET MORALIS,

UBI,
UTRAQUE IN UNAM MASSAM JACTA
ET POSTHABITIS TANTISPER,
QUÆ VERITATI TANTOPERE NOCENT,
SECTÆ PRÆJUDICIIS
AUTORITATISQUE STUDIO NIMIO PROSCRIPTO
AD DIVINÆ REVELATIONIS TRUTINAM,
HAUD NEGLECTIS, QUEIS GAUDEMUS,
LIBRIS SYMBOLICIS,
RES FIDEI MORUMQUE ITA EXIGUNTUR,
UT ADSPERSA SUBINDE DOGMATUM HISTORIA
OSTENSOQUE LITIUM, QUÆ ECCLESIAM
CHRISTI SCINDUNT, MOMENTO
RESECTISQUE LOGOMACHIIS
AD SOLIDAM RERUM DIVINARUM COGNITIONEM
ET AD PACEM ECCLESIASTICAM,
MAXIME VERO AD MENTES
DIVINO LUMINE VIVIDAQUE CHRISTIANISMI
VIRTUTUMQUE CHRISTIANARUM PRAXI
IMBUENDAS,
QUANTUM QUIDEM IN BREVIARIO DOCTRINÆ
SANCTIORIS FIERI POTEST,
VIA PARETUR.

ADJICIUNTUR SUB FINEM EJUSDEM
DE GUSTU SPIRITUALI,
QUO NATURAM A GRATIA DISTINGUIMUS,
ET DE VITIIS EORUM, QUI SACRIS OPERANTUR,
MEDELAQUE REBUS HIC ADHIBENDA
LIBELLI ACADEMICI.

TUBINGÆ
EDIDIT JO. GEORGIUS COTTA
A. MDCCXIX.

Digitized by Google

9.2.138

Digitized by Google

SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO,

DOMINO

FRIDERICO LUDOVICO,

DUCI WIRTEMBERGIÆ AC TECCIÆ,

COMITI MONTISPELIGARDI,

DYNASTÆ HEIDENHEIMII,

TERRARUM WIRTEMBERGICARUM HÆREDI,

DOMINO AC PRINCIPI MEO LONGE CLEMENTISSIMO

LIBRUM HUNC

EA, QUA DECET, ANIMI SUBMISSIONE

DICO CONSECROQUE

AUTOR.

Digitized by Google

SERENISSIME PRINCEPS,

DOMINE CLEMENTISSIME,

NOn eſt, quòd mireris, quî fiat, ut hunc TIBI librum, has inſtitutiones theologicas conſecrem SERENISSIMOque NOMINI TUO inſcribam. Suo enim quodam jure viam illæ, PRINCEPS

Digitized by Google

SERENISSIME, ad TE adfectant. Qui enim ſanctioris doctrinæ lac per ſeptennium, quod apud TE exegi, ex ore meo hauſiſti, qui & hæc ipſa, quæ heic trado, fidei ſanioris principia in animum TUUM abs me tranſfundi dudùm paſſus es, non ſanè jam pro eâ, quâ me gratioſiſsimè complecteris, benevolentiâ mihi refragabere, ubi, quæ olim oretenus TIBI inſtillavi, jam ſcripto hanc in rem libro TIBI enarrata

exhibeo. Et dignum profectò ejus argumentum eſt, quod prorſus exoſculere inque ſuccum & ſanguinem vertas. Cœleſtis enim eſt, quam heic deguſtandam & ſentiendam propino, veritas, quæ & nos miſeriis fragilis vitæ & ruinoſæ felicitatis hujus mundanæ, cui inhiamus, extractos totos vertere æternâque ſalute donare debet. Jam facile id quidem, SERENISSIME PRINCEPS, liceat enim & heic tantiſper pro anti-

Digitized by Google

antiquâ fiduciâ mentem meam ediſſerere, facilè id quidem pro eâ, quâ flores, ſapientiâ capis, & Principibus quoque, qui alto in rerum faſtigio ſedent, viam ad beatam illam vitam gradiendam atque ineundam eſſe eamque viam, quæ certa, quæ ſolida, quæ ſecura, quæ genuina ſit. Eſt verò hæc via religionis veræ atque orthodoxæ, cujus & *credenda* menti noſtræ penitùs inſigimus & *agenda* omni ardore adhibito exſequi-

ſequimur, practica profeſsio. Jam autem hæc, DOMINE CLEMENTISSIME, hæc, inquam, omnia in unum hîc cumulum fuſa conſpicis atque ita exarata conſpicis, ut præjudiciis theologicis, quæ malæ peſtis cujuſdam loco mihi ſunt, è via tantiſper dimotis litibuſque iſtis inanibus, quæ Theologos, quæ Eccleſias vexant & rem quoque publicam ſubinde turbant, in exilium abire juſsis ad pacem eccleſiaſticam

ſticam & veri Chriſtianiſmi ejuſdemque practici, cujus exercitio niſi fulgeamus, certè futuris bonis & gratia DEI penitùs excidemus, cognitionem ſemita jucundior nulliſque lapidibus vel ſalebris vel lacunis ſcholaſticis impedita ſternatur. Adamabis itaque jam & Ipſe librum, cujus veritates adamas atque exoſcularis, PRINCEPS SERENISSIME, PATRIÆ SOLATIUM, imò & TUA illum protectione, TUO favo-

favore planè luculento prorſus dignabere. Id quod ipſum hoc eſt, quod jam ſubmiſsiſsimo animi cultu abs TE rogito, qui & DEUM OPTIMUM MAXIMUM jugi prece veneror, ut TE, CLEMENTISSIME DOMINE, largiſsimæ & diviniſsimæ gratiæ ſuæ compotem faciat atque omnis, quæ & ſolida eſt, felicitatis rivos eoſque largiſsimos in animum TUUM mentemque & corpus benignè derivet,

deni-

Digitized by Google

denique TE, quem univerſa patria DELICIARUM SUARUM loco habet, SERVET, beet & cottidianis proſperitatis omnimodæ acceſsibus ornet. Jam verò ſic, ut Præceptorem olim TUUM, cujus pietatem, qua TE complectitur, noſti, PRINCEPS CLEMENTISSIME, eadem ſemper benevolentia clementiaque proſequare, votorum meorum & alloquii, quo heic defungor, appendix eſt. VALE.

Scripſi Tubingæ Cal. Oct. A. MDCCXIX.

Digitized by Google

PROLOGUS GALEATUS.

NOn cogitaveramus quidem, *lector benevole*, fore unquam, ut inſtitutiones theologicas in lucem publicam protruderemus. Cùm enim ſub ejuſmodi libellorum mole fatiſcat, certè ingemiſcat Eccleſia tantâque eorundem copiâ laboret, ut nullo ferè negotio plauſtra iis impleri poſſint, operam ferè luſurus actumque acturus is videri poſſet, qui numero illorum augendo inhiaret & tot compendiis, quæ exarata à Viris præſtantiſſimis fuere, novum quoddam adſpergeret. Aſt caſu prorſus factum eſt & præter opinionem noſtram omnem, ut in hanc ſcriptionem, à quâ

Digitized by Google

quâ omnino aliâs & lubentes quidem meritoque abſtinuiſſemus, inciderimus. Scilicet poſtulabant vel tandem Auditores noſtri, quibus ſub initia ſuſcepti à nobis muneris theologici Evangelium Matthæi & Hiſtoriam Eccleſiaſticam explicabamus, ut dogmaticum jam quoddam aliquando etiam collegium & morale aliud aperiremus adeoque & Theologiam fundamentalem ipſis privato ſtudio exponeremus. Nec ſanè difficile ipſis erat, à nobis hoc impetrare, etſi Theologiæ dogmaticæ profeſſio nobis haud demandata eſſet. Cùm enim ex ſacrarum literarum explicatione atque ex Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ evolutione quæ commoda in Theologiam quoque dogmaticam fluant, hâc ratione oſtendere nobis detur &, cùm omninò hactenus exiſtimaverimus, per Theologiam dogmaticam omnem multa præjudicia eaque communia diffundi, quæ rei ſacræ haud parum noceant, pro ingenii noſtri captu cogitabamus, tentandum nobis hâc occaſione eſſe, num malis hiſce ſincerâ

veri-

veritatis demonſtratione & confeſſione tantiſper obviam ire poſſemus. Et, cùm dudùm cogitaverimus, perperam facere omnes eos, qui Theologiam dogmaticam à morali, theoriam à praxi ſejungerent, eam quoque in ſententiam nobiſcum deſcendimus, velle nos in privatis hiſce lectionibus utramque in unum corpus unamque maſſam fundere atque ſacro quodam connubio hîc theoriam cum praxi conjungere. Quod ipſum dum facere intendimus, ecce advolant illi, qui nomen collegio daturos ſe profeſſi erant, ajuntque, rogare ſe, ut, quæ dicere ipſis in animo haberemus, in chartam primùm conjiceremus atque in calamum ipſis, labilis quoniam memoria eſſet, dictaremus dictataque affuſâ, ubi opus eſſet, rerum explicatione illicò dilueremus. Et paruimus quoque illicò auditoribus habitiſque quibuſdam de genuinâ Theologiæ dogmaticæ & moralis methodo lectionibus ad dictandum, ut poſtulabant, mox acceſſimus & dictata ſubinde expoſuimus. Vix verò

Digitized by Google

rò locum illum de veritate religionis Chriſtianæ enarrare ſic cœperamus, ubi una & altera ſeptimana dictando & explicando abiit protinuſque nobis patuit, fore, ut, ſi ita continuaremus, collegium hoc in longum admodùm tempus, quod tamen intentioni noſtræ prorſus erat contrarium, protraheremus. Accedebat faſtidium quoddam & nauſea, quæ ex dictatione nobis ſuboriebatur, ita, ut vix moroſam illam vocum è chartâ recitationem & repetitionem à nobis porrò impetraremus. Quid faceremus verò, qui nauſeæ huic, qui moræ huic obvias ituri eramus? Incidit vel tandem ſeriò medicinam malo parantibus hæc cogitatio, haud nos ineptè facturos, ſi, quæ in calamum auditorum aliâs voce noſtrâ infuſuri eramus, typis exſcribenda daremus atque chartas ex officinâ advolantes dein in collegio explicaremus. Et res profectò ſucceſſit illicò & ecce, dum nihil minus quam hoc mente volvimus, ſub manibus noſtris oriuntur & creſcunt inſtitutiones theologicæ atque intra novem menſium ſpatium in lucem

)( )(　　exclu-

excluduntur. Quid jam præcipui in illis conſcribendis à nobis actum fuerit, vel ipſe titulus, quem prolixiorem dedimus, & Programma illud, quod hic adſperſimus, ubi collegium hoc Theologiæ dogmaticæ & moralis Auditoribus primùm annunciavimus, indicant. Scilicet ita comparata ſunt, quæcunque hactenus lucem viderunt, doctrinæ ſanctioris compendia, ut, quamvis præſtantia eorundem communibus noſtratium laudibus evecta hactenus fuerit & ſuâ utique luce niteat, vel eapropter ſeculo noſtro haud amplius ea prorſus arrideant, quòd, cùm unum ſyſtema ex altero extractum atque erutum ſit, eâdem ſemper hîc chordâ, pauciſſimis inflexis, oberretur, &, quæ duriore ſubinde ſono atque minus jucundo eruditas aures afficit, metaphyſica illa *cauſarum campana* heic, recurrentibus ubique iiſdem terminis, jugiter *tinniat*. Accedit & hoc, quòd communi rerum tractationi neſcio quod frigus ineſſe videtur, maxime ſi locos Theologiæ practicos conſpicias,

Digitized by Google

cias, qui theoretico planè modo propoſiti heic conſpiciuntur, ut nullus fere heic ſuccus, nulla vis ſpiritualis legentibus in animum labatur modicaque admodùm ſit, quæ hinc fluit, mentis ædificatio, omne tamen punctum in ſanctiore Theologiâ latura. Nec minus id quoque carpi poſſe videbatur, quod & varii loci theologici iique profectò præcipui hîc planè exularent & ſpinis ſcholaſticis omnia involverentur, & autoritatis ſtudio veritates divinæ ſubinde ſubjicerentur, nec ad librorum ſymbolicorum effata aut ad pacem eccleſiaſticam promovendam controverſiarumque momenta oſtendenda & logomachiarum, queis Theologia omnis ſcatet, ſpectra evolvenda & pædantiſmum theologicum geniumque ſectarium jugulandum elegantiamque rebus affundendam, maximè verò ad regnum DEI in animis hominum erigendum eoſque vivis veri Chriſtianiſmi ideis penitius afficiendos haud ſatis heic, ubi id ante omnia alia neceſſarium erat, reſpiceretur. Quæ omnia etſi

nos nolimus in veterum contemtum dicta eſſe, qui, quæcunque ab iis egregiè dicta ſunt, miris modis ubique exoſculamur, qui & facile capimus, Theologiam noſtram ex Theologiâ Scholaſticâ multas tenebras, multas tricas & quiſquilias in ſe transferri paſſam eſſe, ea tamen ipſa vel eapropter hîc haud reticemus, quòd ea, quâ floremus, animi ſinceritas, iſta ut diſſimulemus, nobis prorſus haud permittit. Nec tamen id dicere velimus, nos jam hîc alias dare inſtitutiones theologicas, quæ omnes illas, quæ hactenus conſcriptæ fuerint, infinitis paraſangis vincant atque, ubi omnibus iſtis vitiis promtiſſima & ſecura & ſolida medela adhibeatur. Nolim prorſus, hoc ut credas, mi lector, atque ut ullam de hoc, quem præſtò vides, libello magnificam ideam apud te concipias. Inſtitutiones ſunt, quas inter alios labores tumultuariâ ferè operâ magnam partem ex ſolo meditationum noſtrarum & pectoris fundo pro eo, qui Theologum tantoperè commendat & quo nihil nobis prius,

Digitized by Google

nihil præſtantius eſt, ſincero veritatis divinæ verique Chriſtianiſmi & pacis eccleſiaſticæ amore precibus, queis divinum lumen à Patre cœleſti jugiter imploravimus, ſemper armati animatique conſcripſimus. Nullo profectò ambitioſo veterum contemtu, nullo falſæ novitatis inepto pruritu, nullo felle academico, nullo ſpectrorum ſcholaſticorum amore, nullâ litium ſerendarum aut continuandarum cupidine, nullâ, quâ errores hactenùs in Eccleſiâ puriore proſcriptos vel excuſaremus vel adoptaremus, indulgentiâ calamum hunc noſtrum tinctum fuiſſe novimus. Primarius præcipuuſque, cui inhiavimus, ſcopus exſtitit, veritatem divinam omnem, ſive ea dein communiter ſive ſecus agnita eſſet, ſine ullâ rerum circumſcriptione & involutione candidè efferre, veri Chriſtianiſmi ejuſque practici vividam quandam ſolidamque ideam animis lectorum indere, præſtantiam illius ubique commendare, lites theologicas, quantum ſalvâ veritate id fieri poteſt, minuere

)( )(3 atque

atque ea, quæ de terminis ſaltem agunt, certamina cum curâ evolvere, propoſitione quoque elegantiore veritates, quæ eapropter inviſæ, eapropter incognitæ ſunt, quòd ſcholaſtico pallio involvuntur, diluere & deguſtandas dare viamque ubique ad pacem eccleſiaſticam, quæ tàm jucunda & amœna, tàm etiam utilis & tàm profectò neceſſaria eſt, parare, denique verò Eccleſiæ, in quâ docemus, gloriam atque egregium omni datâ occaſione heic promovere atque oſtenſis ubique, quæ defectibus vitiiſque graſſantibus opponi poſſint, medelis plurimùm evehere. Sapientibus certè ubique ſat diximus, nec tamen pro circumſtantiarum, ad quas reſpicere omninò debebamus, ratione dicere omnia, quæ volueramus, ſemper potuimus nec eo modo dicere potuimus, qui vel maximè nobis arridebat. Qui enim cogitaveramus, campum Theologiæ dogmaticum & moralem ſine ullis ſcholaſticis grallis pervolare atque omnia dictionum altarum ſpectra in exilium hic

hîc agere, ubi vel maximè ad locum de Chriſto proceſſimus, vidimus, nos, quæ ad pacem eccleſiaſticam promovendam dicere neceſſarium eſſe videbatur, haud efferre poſſe, niſi cum ſpectris metaphyſicis hîc luctam quandam iniremus. Abnegato itaque tantiſper ſuaſque ſibi res habere juſſo ſimplicitatis theologicæ ſtudio in campum ſpectrorum hoc eſt in campum metaphyſicum tantiſper receſſimus & condeſcendimus & terminos ſcholaſticos, quibus ſolis magnum aliquod jurgium aliquando innititur, evolvimus, non quod internum quoddam ſpectris hiſce pretium ineſſe crediderimus, abſit! ſed ut logomachias, quæ heic dominantur tantaſque turbas cient, detegeremus atque ligneis hucuſque gladiis & andabatarum more pugnatum eſſe oſtenderemus. Quando itaque cunque, mi lector, in hiſce inſtitutionibus noſtris in ejuſmodi ſpineta & anfractus metaphyſicos incidis, ſtatim crede, eſſe hîc ὕπουλόν τι, eſſe cauſam quandam præcipuam, cur hîc è ſimplici-

Digitized by Google

tatis ſemitâ nos, qui aliâs ſapiamus, digrediamur. Quin nec communem παιδείας τρόπον adeò penitus heic ejûravimus, ut, cùm ii, quos privatâ ſic operâ inſtituimus, juxta eundem examinentur, ab adpoſitione ejuſdem prorſus abſtinuerimus. Unde & in hanc tractationem quæſtiones aliquando jejunas & otioſas ſubintrare juſſimus, ne & quicquam eorum, quæ communiter docentur, hîc deficiat. In genere verò pro eâ, quam ſectati fuimus, inſtituti brevitate paucis ſaltem verbis plura indigitavimus, quæ nobis privatim Theologiam fundamentalem explicantibus occaſionem in latiſſimum diſſerendi campum excurrendi & præſtantiſſima argumenta theologica ſic evolvendi præbere poſſint. Noſtrum verò peculiarem τρόπον παιδείας, qui quippe cuivis Theologo * liberrimus eſt atque in accuratiorem ſemper formam fundendus,

* *Denn im τρόπῳ παιδείας haben wir immer zu wichſen.* Sunt verba celeberrimi LOESCHERI *in der ausſfuhrlichen Hiſtoriâ motuum P. 2. p. 281.*

dus, ubique itidem adhibuimus & in omnibus ferè locis theologicis rem ita inflexim us, ut convictio hîc, ut evidentia in mente naſci atque ut difficultates hîc ibi occurrentes eò melius ſic ſolvi poſſint, ut & elegantia quædam & eruditio maſcula hîc rebus accedat, quam in rem &, quæ ex hiſtoriâ dogmatum ſubinde egregia heic petere licet, (in omnibus enim articulis hiſtoriam quandam dogmatis haud dari poſſe ex rerum ipſarum naturâ quivis facile perſpexerit,) & quæ ex hiſtoriâ literariâ aut aliâ quâdam eruditionis, quam plurimùm æſtimamus atque ita, ut pietate prorſus diluatur & ſanctificetur, animis noſtrorum, damnatis inficetis ejuſdem oſoribus, infundere intendimus, parte depromi pro brevitate inſtituti poterant, adjecimus atque affudimus. Libros noſtros ſymbolicos (quorum inſpectio proh dolor! haud ſatis familiaris eruditis hujus ævi eſt & quos ſincero ore exoſculamur, quibus & genuinum ponere pretium didicimus,) ubicunque id opus eſſe videbatur,

debatur, hîc adduximus atque evolvimus neque à tramite hoc ſymbolico in dogmaticis (his enim ſolis calculum noſtrum adjecimus adjiciuntque omnes, qui rerum gnari ſunt & ſapiunt,) unquàm abivimus. Communem Virorum licet præſtantiſſimorum ſententiam nunquam regulam fidei noſtræ eſſe juſſimus, ne in barathrum illud Romanenſe nos præcipites daremus, ubi Eccleſiæ, ubi traditionibus, hoc eſt, præjudiciis communibus autoritas falli neſcia & irrefragabilis adſcribitur. Nec profectò timido calamo res noſtras extulimus ſed eâ cum libertate theologicâ animique fortitudine, quæ rectè ſic faciendo neminem timeat & ob veritatis candidam confeſſionem duriora quævis patienter tolerare ſibi gloriæ ducat. * Cauſam DEI, cauſam Eccleſiæ, cauſam veritatis, cauſam veri Chriſtianiſmi & pietatis nos ſic agere novimus & divinâ ex convictione, quâ mens noſtra floret, novimus. Et quamvis omninò nos non lateat, & in noſtræ

* 1. Petr. III. 13. ſqq.

ſtræ Eccleſiæ gremio eſſe plurimos hæretifices, qui novas ſectas ſomnient & anathematiſmis heic condendis illicò manum admoveant & verbis tendiculas ſtruant & amori ſectæ ſententiarumque receptarum autoritatisque humanæ toti immerſi ſint, qui &, ubi alios vident, in quibus ſanior mens & præſtantius quoddam lumen floret, ſtatim claſſicum canant Eccleſiamque in periculo verſari clamitent & ineptis inſulſiſque vociferationibus ſuis omnia repleant, quamvis inquam omninò nos hæc non lateant facileque prævideamus, fore, ut & hæ ipſæ inſtitutiones & quæcunque alia, quæ in egregium publicum, ſanctiore Spiritu hunc calamum noſtrum pro infinitâ ſuâ, quâ nos largiſſimè & planè luculenter beat, gratiâ dirigente, exaramus, inſultus patiantur, BONO TAMEN ET SECURO ANIMO ſumus & in utramque aurem læti dormimus. VERITAS enim FORTIS EST & PRÆVALEBIT, & ſi quidem ineptis contradictionibus impetatur, nativâ & præſtan-

Digitized by Google

ſtantiſſimâ luce ſuâ ſemet ipſam defendet animoſque eorum ſaltem, qui judicio florent pietatemque & virtutem amant, facilè occupabit, (ejuſmodi enim præſtantiſſimorum virorum, qui noſtra hæc lecturi in ſinu ſuo gaviſuri ſint, numerum & quendam fore prorſus confidimus,) etſi, quæ ſeculi omnis eſt iniquitas, communis heic turba, quæ avitis præjudiciis ſemper inhiat & ollæ adinſtar, quæ, quo ſemel eſt imbuta recens, odorem ſervat, corrigi heic neſciat, ſed ad clamores, ſed ad calumnias, ſed ad anathemata & fulmina ſemper provolet. Et profectò eam jam nobis mentem induimus, nos nemini, qui malo quodam affectu actus adverſum nos calamum ſtrinxerit, unquàm reſponſuros eſſe. Deſtinavimus exercitio huic lectiones, quas ita vocamus, intercalares, ubi, quando in unum quædam confluunt, quæ contra nos ſcribuntur, ea, quæ nobis opponuntur, argumenta auditoribus noſtris publicè ediſſerimus & reſponſiones deinde noſtras, ut, quid rei hoc

ſit,

Digitized by Google

ſit, quod nobis oggeritur, illicò pateat, adjungimus, cujus inſtituti jam ſpecimen quoddam nuper applaudentibus ſanè noſtris exhibuimus. Agunt deinde hoc auditores, &, quæ ex ore noſtro labuntur, in chartam referunt, & ſuum in ſtylum fuſa diario cuidam literario immittunt, quem lapidem poſtmodùm mordeant, quantum libet, adverſarii, licet. Alia verò res eſt, ſi nobiſcum agant Viri præſtantes & cordati & eruditi & pii, quorum monita ſemper exoſculabimur & ſi errores nobis demonſtraverint, quos erraverimus, maximâ cum voluptate noſtrâ, qui utique nullâ infallibilitatis notâ nos fulgere credimus, corrigemus & pro tanto, quo nos mactant, quo & majus nobis conferre haud poſſent, beneficio publicè eis gratias eaſque maximas agemus. Si verò quidam ſint, qui ex ingenii quodam aut ſcientiæ theologicæ defectu noſtra non ſatis capiant, eos rogaverimus, ne ad ſcriptionem publicam ſtatim provolent (ſic enim plurimas elenchi rerumque igno-

Digitized by Google

ignorationes ſubinde committent,) ſed potius, ſi res ipſorum hoc permiſerint, ad nos ipſi advolent vel literas ad nos dent, quibus ſua dubia exponant, ad quæ & ſanè, prout labores noſtri id conceſſerint, promtè & patienter reſpondebimus. Quæ omnia haud tamen hîc ponimus, ac ſi crederemus, communem & præcipuam quandam contradictionem hæc paſſura eſſe. Quæ enim noſtra præcipua gloria eſt, à doctrinâ Eccleſiæ noſtræ Evangelicæ, à doctrinâ inquam ejus, quam exoſculamur, quam veneramur, quam defendemus, quam adamabimus, quamdiu ſpiritus hos noſtros artus rexerit, & quam uſque ad ſanguinis, qui in nobis ſtillat, fuſionem tuebimur, ne in minimo quidem articulo abimus ſed dextrè eam ſaltem & nullo ſectæ vanæque ſubtilitatis ſtudio affuſo explicamus. BONO itaque hîc ET SECURO ANIMO SUMUS, quod iterum iterumque repetimus & ſecuri hîc in utramque aurem dormimus. Nec moretur hoc quenquam, quòd vel maximè ad praxeos Chriſtianæ

ſtudium

ſtudium commendandum (id quod *Pietiſmum* malè ſapientibus olet) & ad pacem eccleſiaſticam, (quæ ſub odioſo *Syncretiſmi* nomine traducitur,) noſtra inflectamus. Qui enim falſa à veris facilè diſcernimus & quid diſtent æra lupinis, ſine magnâ difficultate novimus & ſpectra vocum haud timemus, omninò arbitramur, quod toties jam profeſſi ſumus & ſemper profiteri pergemus, omnem illam theoriam, quæ praxi non diluitur & ad ædificationem non inflectitur, meram eruditionis & veritatis larvam eſſe. Et ſanè, ſi verum Chriſtianiſmum, ſi veram pietatem, ſi ſanctimoniæ Chriſtianæ juge exercitium *Pietiſmum* vocaveris, optârim & toto corde optârim, ut tu, qui hæc jam calumniaris, ipſemet protinùs in iſtum evadas, qualem jam carpis. At verò & illos facilè contemnimus, qui *Syncretiſmi* ſpectrum nobis objiciunt. Cùm enim ſtatuamus, omnem errorem ita à nobis fugiendum eſſe, tanquàm ſalutem iſte noſtram peſſundaret, etſi quoad alios eò majorem

rem

rem tolerantiam ſuadeamus, certè Syncretiſmi in crimen haud incidimus, ubi genuinum veritati divinæ pretium haud ponitur ſed ſtante fundamentali errore, quo poſito fides ſana & ſalus hominum æterna jugulatur, pax eccleſiaſtica initur. In hoc conſilium nunquam velim intret anima mea nec unquàm intrabit. Aſt hoc eſt, quod deploro, hoc eſt, quod doleo, Theologiam noſtram polemicam tot logomachiis & ſpectris laborare, ubi andabatarum more pugna inanis & inepta inſtituitur & lites non neceſſariæ, queis Eccleſia turbatur & ſcandala creantur, ſeruntur, ubi deinde momentum controverſiæ haud ita, uti par eſt, penſitatur & vel laxioribus heic vel rigidioribus principiis (media enim via beata eſt,) inhiatur. Quam in rem & id notaverim, nimis forſan nec eâ, quâ par erat, elegantiâ nos ſubinde elenchos heic cumulâſſe, ubi parcior utique ſtylus noſter eſſe debuerat. Neque enim modeſtiæ theologicæ, virtuti præſtantiſſimæ, nimia ope-

opera dari poteſt, cavendumque eſt omni, quo poſſumus, modo, ne dicatur, nos argumentis theologicis ab invidiâ ductis indulgere. Quod reſtat, nolim prorſus, lector, quicunque hæc noſtra legis, ut curioſitatem ſaltem tuam heic ſaties noviſque ideis, quas heic deprehendes, tantummodò cerebrum tuum dones aut ad ineptas lites ſerendas his inſtitutionibus noſtris abutare. Audi, quid Salvator ajat, ἑνὸς εἶναι χρείαν, *unum eſſe neceſſarium.* * Atque hoc eſt non novarum idearum theologicarum, non multijugæ eruditionis, non emortuæ & ſcholaſticæ theoriæ, ſed vivi, ſed practici, ſed veri Chriſtianiſmi, qui bonorum operum ſanctimoniæque omnis ſit longè fœcundiſſimus, ſed veræ & maſculæ converſionis, quam in hoc libello præcipuè urgemus, flos. Age igitur, lector & hoc flore ut illicò orneris, cura & roga Dominum, ut Spiritus ſui ſanctiſſimi rore cor tuum perfundat vertatque penitus & ſanctificet.

)()()(Sic

* Luc. X. 42.

Digitized by Google

Sic enim demùm ſolida Theologiæ dogmaticæ & moralis cognitio in te efflorefcet, quæ niſi ita ſit conſtituta, in meram Theologiæ vappam, in meras tenebras & bullas degenerabit. *Cæterùm quale vel quantum eſt, quod in pectus tuum veniat ex nobis? Exilis ingenii anguſta mediocritas tenues admodùm fruges parit, nullis ad copiam fœcundi ceſpitis culmis ingraveſcit. Aggrediar tamen facultate, quâ valeo, nam & materia dicendi facit mecum. In judiciis, in concione, pro roſtris opulenta facundia volubili ambitione jactetur, cùm verò de Domino DEO vox eſt, vocis pura ſinceritas non eloquentiæ viribus nititur ad fidei argumenta ſed rebus. Denique accipe non diſerta ſed fortia, nec ad audientiæ popularis illecebram culto ſermone fucata ſed ad divinam indulgentiam prædicandam rudi veritate ſimplicia. Accipe, quod SENTITUR, ANTEQUAM DISCITUR, nec per moras temporum longâ agnitione colligitur ſed compendio gratiæ maturantis hauritur.* * Atque ita benè vale, mi lector, & ſic præparatus è veſtibulo in ipſum rerum ſacrarium jam intra.

PRO-

* Verba ſunt CÆCILII CYPRIANI, Epiſc. Carth. ſub initium libri ad Donatum de gratia DEI.

XVII

PROGRAMMA INVITATORIUM,

QUO

AUDITORIBUS NOSTRIS

COLLEGIUM THEOLOGIÆ DOGMATICÆ ET MORALIS,

QUOD

INSTITUTIONES HASCE PEPERIT,

d. XIII. Nov. A. MDCCXVIII.

INDIXIMUS.

Digitized by Google

XVIII

QUod ſæpius jam ex vobis plurimi expetivere, ut, qui hactenus Theologia exegetica Hiſtoriaque eccleſiaſtica docenda apud vos operam dedimus, Theologiam quoque dogmaticam vel Theticam, quam vocant, privatis lectionibus explanaremus, id vel tandem, veſtris ut precibus locum demus ſtudiaque noſtra ne heic vobis deeſſe exiſtimetis, agere nobiſcum proximè conſtituimus. Ut verò, quæ inſtituti hujus noſtri ratio futura ſit & quam argumentorum tractandorum methodum heic inituri ſimus, vobis pateat, ut &, quid rerum apud nos in hoc eruditionis genere agatur, iis, qui extra hanc ſcholam vivunt, queat innoteſcere, pro conſueto in aliis Academiis more, qui nobis profectò haud improbandus videtur, mentem heic noſtram chartæ huic inſcribere atque, quid ex lectionibus hiſce noſtris privatis exſpectare habeatis, paucis efferre viſum eſt. Et primò quidem is haudquaquam jam nobis ſedet animus, proletariâ ſaltem rerum dicendarum operâ defungi mollique brachio levibuſque curis rem tractare, cujus haud permagna alioqui doctorum vulgo difficultas ineſſe videtur, aut ea

Digitized by Google

ſaltem hic congerere, quæ propriâ induſtriâ ex libris, quorum amplior ubivis ſeges eſt, quivis, ſi mediocrem ſaltem diligentiam hic adhibere voluerit, colligere poſſit. Quin potius hæc noſtra mens eſt, iis, quæ ſolidiora nobis eſſe videbuntur, mentem veſtram omni ſtudio intenſiſque omnibus diligentiæ judiciique noſtri nervis imbuere, genuinum notitiæ apud vos Theologicæ fundamentum ponere, eam, quam vel maximè in Theologis inveniri neceſſum eſt, convictionem animis veſtris, reciſis inutilibus, reciſis & ineptiis, reciſis denique, quæ diſcentes ſaltem diſſipant litiumque cupidinem iis ingerunt, donare, veritatem, ſimplicem eam nulloque rerum vano fuco, nullis & terminorum ſeſquipedalium tenebris involutam ſiſtere, placitorum, quæ Eccleſia noſtra Evangelica communi ore profitetur, excellentiam plenis poculis hauriendam tradere, &, quod præcipuum eſt, dogmata fidei ita vobis, immiſtis ſubinde monitis ad vitæ componendas rationes ſpectantibus, inſtillare, ut juncto ſic theoriæ & praxeos ſtudio & voſmet ipſi ædificemini atque ad alios olim pari ratione ædificandos idonei evadatis. Quod cùm ita ſit, non diu nobiſcum deliberavimus, ubi & ex vobis fuere, qui expetiere, ut Theologiam quoque Moralem privato ſtudio ipſis prælegeremus, num Theologiam dogmaticam heic cum Morali combinare atque in unum corpus

&

& ſyſtema conflare atque coarctare vellemus. Cùm enim Theologia & intellectum noſtrum & voluntatem ſimul emendet, & ex illo quidem tenebras erroreſque, ex hâc affectuum malè compoſitorum æſtum expellat, novaſque nobis vires eaſque divinas ingerat, queis & cognoſcere ſpiritualia adeoque ſapere & frena injicere paſſionibus noſtris novamque atque eam ſanctiorem diviniorem-que vitam vivere poſſimus, cum etiam theoria ſine praxi ſaltem, Apoſtolo monente, inflet atque pernicioſa ſit, certam utpote damnationem nobis illatura, cùm denique Salvator optimus Apoſtolique nihil urgeant magis quàm cognitionis pietatiſque conſociationem officiorumque, quæ noveris, exercitium, nihil profectò convenientius aptiuſque nobis viſum fuit, quàm connubio quodam heic Theologiam dogmaticam atque moralem coadunare unâque catenâ utriuſque articulos junctim comprehendere. Nec ſanè à communi via ita penitus abludimus, cùm omnium ore Theologia habitus practicus eſſe dicatur & in Theologiâ dogmaticâ vulgo tractari ſoleant argumenta, quæ nonniſi practica ſunt, quale illud eſt de converſione, de ſanctificatione, de pœnitentiâ, de fide, de bonis operibus, & quæ alia ſunt hùc pertinentia, etſi ea ita utplurimum excutiantur, ut neſcio quod frigus hic rebus inſidere videatur, & quæ merè πρακτικὰ ſunt, ſubinde theoretico ſaltem modo evolvantur atque ad emendandos animos vel

parum vel nihil momenti adferant. Scilicet ubi mentem ſcientiâ theologicâ imbuere animus eſt, haudquaquam ſufficit, novis tantùm quibuſdam ideis iiſque emortuis cerebrum donare, quæ & ſaltem ad ſerendas diſputationes & ad phantaſiam argutiis ſcholaſticis inplendam dandaque auditoribus verba facere poſſint, ſed neceſſe eſt, ita veritates enarrare, ut virtus quædam divina heic iis juncta conſpiciatur ardorque haud vanus, quo inducti meliores ſanctioreſque penitiore earundem conſideratione adhibitâ evadere adque ſtudium idem deinde & alios provocare queamus. Ut verò jam, quo ordine ipſam hanc dogmatum ſcientiam recenſituri ſimus, velut uno rerum obtutu conſtet, primùm quidem, præmiſſis de methodo ſtudii theologici ineunda præcognitis, præmiſſis & lectionibus præliminaribus, quæ circa veritatem religionis Chriſtianæ demonſtrandam, neglectum communiter caput, circa conſtitutionem ejuſdem variorumque, ex quibus ea conſtat, articulorum ambitum, fonteſque ejus hoc eſt libros ſacros verſabuntur, ubi ad rem ipſam ventum à nobis fuerit, ubi ad ſingulos articulos res devoluta, ſemper quidem, quæcunque in ſcripturis ſacris ad probandum quodvis fidei dogma afferenda ſunt & afferri ſolent, effata proponemus, & ubi difficilis verborum textus eſt, eundem enodabimus, ita, ut nervo probationis clarè dilucideque, ubi opus id fuerit,

oſtenſo

oſtenſo probationum gradus, adeoque dicta vel in totum, qualia illa ſemper ſunt, in quibus argumenti primaria ſedes eſt, vel ſaltem in tantum & ex longinquo probantia probè diſtinguamus, atque etiam illa loca, quæ ſubinde ad res demonſtrandas afferri ſolent ſed nihil demonſtrant, eliminemus & ad alios uſus tantiſper ſeponamus, poſtmodùm theſin ex effatis ſcripturarum deductam atque erutam cùm libris Eccleſiæ noſtræ ſymbolicis conferemus atque & inſignem, quæ heic regnat, confeſſionum noſtrarum cum literis ſanctioribus conſonantiam oſtendemus, & quæcunque hic ſeſe offerunt, impedimenta viæque anfractus, adhibitis, queis opus erit, medelis ſuperabimus, denique quid de unoquoque dogmate, ſi quidem res ita permittat poſtuletve, per decurſum ſeculorum uſque ad repurgatorum ſacrorum tempus cogitatum in Eccleſia fuerit, qui etiam Reformatores Eccleſiæ in diverſa in variis ſubinde articulis iverint, quænam & quæſtiones ſive reales illæ ſive curioſæ ſaltem atque inutiles ſive mero in verborum conſiſtentes diſcrimine circa unumquemque articulum formatæ fuerint, paucis recenſebimus primamque adeo viam ad Theologiæ polemicæ ſolidioris notitiam parabimus. Atque in his quidem omnibus enarrandis & brevitati operam dabimus, cum longa tractationis mora auditorum attentionem diſſipet tædiumque etiam diligentibus creet, & perſpicuitatem ſectabimur, qui

)()()(5 tene-

tenebras profectò haud amamus, *nec* fumum ex fulgore ſed ex fumo dare lucem *cupimus*, *diemque*, *quantum quidem poſſumus*, *rebus affundere conabimur*, *atque*, *ut paucis multa dicamus*, *ita rem tractabimus*, *ut ſepoſito autoritatis ſectæque & partium ſtudio ſoli veritati litemus omneque ei pretium*, *uti par eſt*, *conſervemus*, *deinde ad pacem eccleſiaſticam minuendaſque*, *quæ Eccleſiam hodie magno ipſius malo afficiunt*, *lites manum admoveamus*, *denique a rigore theologico*, *qui nonniſi fulmina atque anathemata vibrare docet atque fratres in fide infirmos tolerare neſcit*, *ab argutiis iſtis ſcholaſticis*, *in quibus* ἀκρίβειαν *theologicam quandoque miro inſtituto ponere neſcio quâ rerum venuſtate ducti ſolemus*, *ab ambitione eruditâ*, *quæ præſtantiſſima quoque ingenia magno cum rei ſacræ damno corrumpere ſolet*, *à ſententiarum etiam temeritate atque pyrrhoniſmo theologico*, *qui plurimorum animos inquinat*, *diſcentes avertamus eruditionemque ubique theologicam*, *ubi &*, *quid elegantiores quoque theologicæ literæ*, *quid critica ſacra ſanioris*, *quid Hiſtoria Eccleſiaſtica ſelecta cultura ad illuſtranda fidei dogmata faciat*, *patebit*, *cum pietatis haud fucatæ ſtudio combinemus*, *atque id*, *cujus* ἑνός ἐςι χρεία, *& quod utramque ſemper paginam apud Theologos facere debet*, *hoc eſt*, *virtutum Chriſtianarum exercitium mentiſque ſinceram ad DEUM converſionem an-*

te

te omnia alia omni, quo par eſt, ſtudio commendemus. Ex quo ipſo & id perſpicere eſt, nos, ubi ad tractationem hanc pervenerimus, venuſtatem atque elegantiam rebus enarrandis affundere data opera conaturos eſſe. Qui enim omnino exiſtimamus, ſimplicitatem ſacri omnis veritatis pietatiſque matrem eſſe, in id ſedulò incumbemus, ut evolutis terminorum ambagibus tenebriſque & ampullis ſcholaſticis è Theologiæ noſtræ campo, quantum quidem id fieri poterit, migrare atque in rem ſuam abire juſſis non per abruptas abſtractionum rupes denſaſque diſtinctionum ſylvas, in quibus ſubinde & latrones & rapax beſtia & herba morifera latet & voragines & ſpineta, quæ ambulantes vulnerant, & labyrinthi viæque apparent, quæ ſine exitu intermoriuntur, & ululatus audiuntur eodem ſemper ſono oberrantes larvæque dantur & ſpectra & Fauni & Satyri & pulvis objicitur viſentibus, (bullas *hic deſigno conceptuſque illos altos & inanes & ridicula ratiocinationum ineptiſſimarum ſubtiliſſimarumque involucra, quas ne ipſi quidem illi capiunt, qui eas proferunt, uno verbo eas voces, ſub quibus nullæ rerum ideæ latent,) ut inquam non per denſas illas ſubtilitatum ſylvas verborumque ſcopulos ſed per elyſios claritatis atque perſpicuitatis campos*, per amœna vireta fortunatorum nemorum ſedeſque beatas *ſimplicitatis theologicæ, in quibus nulla arma & nulli pugnantes andabatæ & jurgia nulla conſpi-*

conſpiciuntur ſed læta ubique pax floret, iter faciamus, & ſpinoſis omnibus inutilibuſque quæſtionibus inſuper habitis miſſoque hoc laterculorum vano ludo & omni cruce grallisque omnibus ſcholaſticis rejectis, quippe queis nonniſi claudi & loripedes OPUS HABENT, *in earum locutionum, quas Spiritus ſanctus docet, non quas humana ſapientia profert, portu tuti perhyememus inque iis, quæ perſpicue revelata haud ſunt notitiæque noſtræ haud concredita,* ἐποχὴν *ſemper adprehendamus ignorantiamque noſtram lubentes fateamur. Aſt erunt forſan, qui exiſtimabunt, nos ita à regia via abituros novitatiſque in vitium incurſuros eſſe. Verum non tam læva nobis mens nec inconſultus iſte novaturiendi ardor eſt. Qui enim libros noſtros ſymbolicos, qui & Theologorum noſtrorum placita plurimum exoſculamur atque maximo in pretio eas habemus veritates, queis adſtruendis ii operam navavere, nullo autoritatis humanæ præjudicio ſectæve ſtudio eapropter ſaltem haud capimur, ut pateſcat, nos noſtris non ob autoritatem, quam in Eccleſiâ nacti ſunt, ſed ob veritatis, quam defenderunt, claritatem atque excellentiam, quæ profecto ſola heic valet, accedere. Nec à communi plerorumque ſententiâ, cui tamen nullo vinculo adſtricti ſumus, facile abſcedemus, niſi forſan in* τρόπῳ παιδείας, *ubi, quæ hirſutâ iſti dictione atque impeditâ extulere, nos, ſi quidem virium noſtrarum id ferat tenuitas,*

pro

Digitized by Google

pro χαρισμάτων, quæ divina nobis gratia indulſit, modulo, ſervatis tamen ſemper modeſtiæ venerationiſque, quam tantis Viris debemus, legibus venuſtius enarrabimus & pro aſperiore amictu picturatum ſubinde, rebus ſic ferentibus, ſubſtituemus. Ubi verò ita veritatem trademus, quis dubitet, nos ab omni errore & hæreſi, ab omni doctrina vitio, ſive id à rationis laſciviâ, ſive ab inani ſanctitatis ſictæ falſique luminis perſuaſione, ſive ab antiquarum ſuperſtitionum colluvie ſive ab impietatis vi ortum trahat, facile nobis cauturos eſſe? Nec eſt, quòd quis & methodum ſaltem hanc novam carpat, quam inire animus eſt. Quis enim invideat nobis, ſi per compendium viæ & amœniorem ſemitam, latiore tritaque, duriore utpote eâ atque immunitâ ſuiſque ſubinde ſalebris & lacunis impeditâ viâ inſuper habitâ, ad idem veritatis, quod anhelamus, centrum eundemque orthodoxiæ & pietatis portum perveniamus? Cæterum, quæ daturi heic eramus, liberiore alloquio atque oratione continuâ ediſſerere in animum induxeramus, cum ſupervenere, qui rogavere plurimùm, ut, quia labilis eſſet memoria, quæ mente haberemus concepta, in commentarios referremus atque in calamum eadem ſuum fluere pateremur. Quod profectò ut faceremus, ea nobis perſuaſit, quâ erga diſcentes uti convenit, συγκατάβασις, etſi & dictaturi noſtra & explicaturi alternando ſimus atque

que etiam examinaturi eos, quicunque tentamen hoc ſub re haud detrectaverint. Quod nemo ſanè deprecabitur, qui cogitabit, rerum examine mentem aperiri, dubia ſolvi, impreſſas animo imagines firmari lucemque conceptibus noſtris plurimam affundi. Agite igitur, clariſſimi doctiſſimique Juvenes, *qui jam liminibus noſtris allabemini atque ab ore noſtro pendebitis, chariſſima jam nobis atque omni propenſiore affectu demulcenda capita, DEUMque, ſine cujus Numine nihil egregii hic perficere poterimus & cujus Spiritu ſolo intus docente ad veram plenioremque rerum divinarum notitiam doctrinæque divinæ ſanctiora penetralia pervenire nobis dabitur, agite, inquam, & DEUM nobiſcum orate, ut ampliſſimâ luce ſuâ nobis jam affulgere & luculentam omnino inſtituto huic noſtro benedictionem ſuam ex alto aſpergere eoſque vos formare dignetur, qui poſito ſic ritè ſcientiæ ſanctioris fundamento in dignos Evangelii præcones,* θεοδιδάκτους *illos, quos Salvator nominat, evadatis Eccleſiæque res veſtrâ doctrinâ plurimùm olim ornare atque promovere valeatis. VALETE. Dedimus Tubingæ die XIII. Nov. A. MDCCXVIII.*

Digitized by Google

)o(

INDEX CAPITUM.

THEOLOGIÆ DOGMATICÆ PROLEGOMENA.

Artic. I. de veritate religionis Chriſtianæ.

Artic. II. de conſtitutione atque conformatione religionis Chriſtianæ.

Artic. III. de fontibus relig. Chriſt. ſive de Scriptura ſacra.

PARS PRIMA.

Cap. I. de DEO.

Cap. II. de Trinitate.

Cap. III. de creatione.

Cap. IV. de conſervatione & de providentiâ.

Cap. V. de Angelis.

Cap. VI. de homine & imagine divina.

Cap. VII. de hominis lapſu & de ſtatu peccati, ubi & de peccato in Sp. S. de conſcientiâ, de libero arbitrio, de peccato originis & concupiſcentiâ &c.

PARS SECUNDA.

Cap. I. de decretis divinis, maxime de prædeſtinatione & reprobatione.

Cap. II. de fœderibus & teſtamentis divinis variiſque eorum œconomiis, de fœdere operum & fœdere gratiæ.

Cap. III. de legibus divinis tum univerſalibus tum particularibus & de ſacramentis Vet. Teſt. circumciſione nempe & agno Paſchali.

Cap. IV. de Chriſto Salvatore, humanâ ejus natura, unione perſonali & communicatione idiomatum.

Cap.

Cap. V. de officio Chriſti mediatorio, prophetico, ſacerdotali & regio & ſpeciatim de ſatisfactione Chriſti.

Cap. VI. de ſtatu exinanitionis & exaltationis.

Cap. VII. de vocatione & Evangelio.

Cap. VIII. de juſtificatione, adoptione & libertate Chriſtiana.

Cap. IX. de converſione, pœnitentia & fide.

Cap. X. de ſanctificatione, bonis operibus, unione myſtica & perſeverantia ſanctorum.

Cap. XI. de morte, de ſtatu animarum poſt mortem, de reſurrectione mortuorum, de conſummatione ſeculi & extremo judicio.

Cap. XII. de morte & vita æterna.

PARS TERTIA.

Sect. I. de Eccleſia.

Sect. II. de miniſterio & hierarchia deque cultu publico & diſciplina eccleſiaſtica, ubi & de clavibus Eccleſiæ, de conjugio Sacerdotum, de miraculis, de hæreſi & de Antichriſto agitur.

Sect. III. de ſacramentis Novi Teſtamenti, Baptiſmo & ſacra cœna.

APPENDIX

I. de magiſtratu politico.

II. de conjugio.

THEOLOGIA MORALIS

CUM APPENDICE

de guſtu ſpirituali, quo naturam à gratiâ diſtinguimus.

ADJICITUR DISSERTATIO

de vitiis eorum, qui ſacris operantur, & medelâ rebus hîc adhibendâ.

INSTI-

XXIV

INSTITUTIONUM
THEOLOGIÆ DOGMATICÆ
ET MORALIS

PROLEGOMENA.

ARTICULUS I.

DE

VERITATE
RELIGIONIS CHRISTIANÆ.

§. I.

RELigionis Chriſtianæ placita data opera heic tradituris id primùm ante omnia alia incumbere videtur, ut argumentis, queis maxima ineſt demonſtrandi animosque convincendi vis, veritatem ejus comprobemus. Quid enim juvat, precor, omnes, queis eadem componitur, articulos ad unguem noſſe, ſi, verane illa an falſa

Digitized by Google

ſit , ſubdubites , vel argumentis,queis opus eſt , adhibitis evincere haud valeas ? Itaque nobis , queis genuina rerum fundamenta hìc ponere animus eſt , omnis nunc lapis movendus venit , ut hàc jam operâ ita , uti par eſt , defungamur.

§. II.

Antequam verò rem ipſam adgrediamur, paucis monemus, nos eas hic demonſtrationes haudquaquam adhibituros eſſe, quæ mathematicæ vocantur omniumque creduntur evidentiſſimæ. Præterquam enim , quod abſurdum oppidò foret, id heic poſtulare, cum pro vario rerum genere etiam varia argumentorum genera adhibeantur , in rebus phyſicis phyſica , in mathematicis mathematica , in hiſtoricis atque moralibus hiſtorica atque moralia , deſiperetque omnino , qui **μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος** hìc committere atque hiſtorica argumentis demonſtrare mathematicis vellet , neque id ſimpliciter admitti poteſt , argumenta mathematica moralibus atque hiſtoricis evidentiora eſſe. Cum enim iſta quidem omnes haud capiant , quidam etiam præfracte negent, hæc (loquimur verò de iis, quæ in hoc doctrinæ genere certa ſunt,) ita ſunt comparata, ut, qui in dubium ea revocare velit , ſanum perdidiſſe ſynciput videri poſſit. Sufficit itaque jam nobis,ejusmodi nunc proferre argumenta, veritatem religionis Chriſtianæ ut probemus , quæ , quicunque ſapit , non poſſit non admittere.

§. III.

XXV

§. III.

Ante omnia itaque duo hæc nobis ponenda principia ſunt : I. Eſſe ens æternum , independens , omnipotens , immenſum , verax , juſtum ſanctiſſimumque atque optimum , quod hæc omnia condiderit , ſervet regatque, id quod & hominem creaverit ſuamque ipſi cognitionem juraque , ut felicem eum beatumque redderet, implantaverit. II. Hominem anima rationali atque immateriali (id quod profectò ex operationibus ipſius ideiſque, quas , ut Philoſophi loqui amant , vel abſtrahendo & infinita ſingularia ad univerſalem quandam ſpeciem unicam redigendo vel res plane immateriales , prout & entia moralia ſunt, clariſſimè evidentiſſiméque repræſentando format , & ipſis immaterialibus, iis, queis ſanior meliorque mens eſt , plurimùm illuceſcit) immortalitatisque (& profectò , quì immaterialis ſpiritus ad putredinem mortemque vergere ſuâ naturâ vel à corpore infici atque diſſolvi poſſit , quem ſolus DEUS ad nihilum redigere poteſt , non videmus,) magno deſiderio , conſcientiâ inſuper , quæ &, quid bonum & quid malum ſit , ipſi dictitet gaudioque ipſum , ſi bene fecerit , afficiat , ſi male , triſtitiâ , futurumque adeò Judicem , cùm hoc in ævo impiiſſimi quique ſæpius uſque ad funera ſua floreant , haud obſcure annunciet, denique iis præditum eſſe facultatibus , quæ alium in finem ipſi collatæ eſſe nequeunt,

Digitized by Google

queunt, quam in præcipuum iſtum, ut Creatorem ſuum amet atque eo, qui placere ipſi poſſit, cultu proſequatur.

§. IV.

Jam ſi conſideremus, mentem humanam pro eo, in quo nunc verſatur, ſtatu tantis involutam tenebris eſſe, ut his veritatibus, quas tamen, ſi penitius ea rem inſpexerit, vel longe certiſſimas eſſe vel ad ſummum ſaltem probabilitatis gradum aſcendere nihilominus videt, pleniſſime demonſtrandis vix par ſit, modumque, quo DEUS coli velit debeatque, & rationem, quomodo eadem è tenebris ſuis perverſoque, in quo ob affectus vitiaque & calamitates, queis circumſepta eſt, ſe jam ſitam eſſe dolet, ſtatu evadere & ad beatam, quam anhelat, immortalitatem pervenire poſſit, neſciat, ſi porro perpendamus, requirere DEI & ſapientiam & veritatem & ſanctitatem & juſtitiam bonitatemque, ut, qui coli ab homine vult atque eundem ob neglectum iſtum cultum punituros eſt, è miſeria, in quâ iſte jacet, eum extrahat, atque modum rationemque, quî colendus ipſe ſit, & quî acquiri æterna felicitas poſſit, oſtendat, nullum amplius credo dubium de revelationis neceſſitate nobis obverſabitur.

§. V.

Poſita vero revelationis neceſſitate omnes nobis jam revelationes examinandæ veniunt, quæ

quæ inde ab antiquiſſimis, quæ cogitari poſſunt, temporibus, usque ad hoc, quod vivimus, ævum factæ jactantur. At vero hæ quatuor iſtæ ſunt: Judaica, prima illa atque antiquiſſima & Gentilium ſuperſtitio, varia ea atque pro populorum ratione diverſa & Chriſtiana religio & Mahumedana. Et quod primam quidem attinet, jam nullo negotio demonſtrabimus, ubi de Chriſto Meſſia nobis agendum erit, Meſſiam à Prophetis prædictum jam veniſſe legemque Judaicam dirutâ jam dudum Republicâ Judaicâ antiquatam eſſe. Quâ ratione non poteſt non fieri, ut poſt Judaicam nova revelatione opus eſſe, quivis perſpiciat. Paganorum deinde ſuperſtitio adeo omnibus ſe ridendam exſibilandamque præbet, ut cum injuriâ quâdam diſcentium conjunctum ſit, iſtis ineptiis refellendis chartam operamque inſumere. De Mahumedismo idem ſi dixerimus, haud profecto erraverimus, etiamſi inſtituti ratio jam non ferat, rem heic data opera excutere. Aut ergo revelationis nulla plane eſt neceſſitas, quod tamen aliter ſe habere jam demonſtravimus, aut religio Chriſtiana eſt vera, cum cæteræ omnes, quæ jactantur, revelationes manifeſtiſſimas falſitatis notas fronti inſcriptas gerant. Et, ſi religio Chriſtiana vera eſt, ea ſola vera eſt, cum juxta eandem ad ſalutem nonniſi unica via detur, ea ſcilicet, quam Chriſtus monſtravit. *Act.* IV. 12. *Eph.* IV. 5.

Digitized by Google

§. VI.

Habet autem vera religio *criteria* plane certiſſima, queis veritatem ſuam cuivis, qui ſaltem præjudicatis opinionibus voluptatumque amori tantiſper valedixerit, palpandam dat. Et ſunt quidem hæc vel *negativa* vel *poſitiva. Negativa* ſunt duo: *primum*, ut lumini naturæ haud adverſetur ſed id potius ſuppleat, *ſecundum*, ut cum anteriore revelatione haud pugnet ſed ſacro potius connubio cum eadem jungi velit atque expetat. *Poſitiva* itidem duo: *primum*, ut & ad gloriam DEI plurimum amplificandam faciat ejusque attributa mirum quantum illuſtret, & homines è calamitatibus ſuis extrahat rectamque ſanctitatis felicitatisque conſequendæ viam ipſis oſtendat, *ſecundum*, ut ſecum ferat conſpicua quædam ac irrefragabilia divinæ, quæ ipſi attribuitur, originis indicia, qualia ſunt facta quædam resque geſtæ præcipuæ & miracula, quorum ſine abſurditate ſumma veritas in dubium vocari nequeat & vaticinia eventibus jam comprobata. Hæc igitur criteria omnia cum ineſſe Chriſtianæ religioni conſpiciantur, nullum eſt dubium, ipſam veriſſimam, diviniſſimam præſtantiſſimamque eſſe.

§. VII.

Criteria negativa ut hic luculentius diducamus atque ad religionem Chriſtianam adplicemus, prolixioris res inſtituti eſt, quam quæ limi-

limitibus hiſce circumſcribi poſſit. De *criteriis* vero *poſitivis* pauciſſima quædam dicenda veniunt. Et verò hîc ſecurè affirmamus, religionem Chriſtianam omnia DEI attributa miris modis illuſtrare atque genuinam ad ſanctitatem veramque felicitatem acquirendam viam omnino pandere. Præterquam enim, quod ea talem de DEO conceptum nobis format, qui ſummo rerum Auctore longe digniſſimus eſt, commendat illa DEI *ſapientiam*, qui ſapientiſſimum rerum ordinem adinvenit, quo ſuppoſito malis vitæ hujus peccatoque ſuperatis felicitatis nunquam deſituræ compotes fieri poſſumus, *veritatem*, quâ DEUS promiſſiones, quas ſemel dedit, conſtantiſſimè adimplere ipſumque etiam immortalitatis, quod nobis indidit, beatæ deſiderium, ſi ſaltem ipſi obedire velimus, pleniſſime exſatiaturus cognoſcitur, *ſanctitatem*, quâ idem ductus eam morum ſanctimoniam à nobis requirit atque etiam vi omnipotentis Spiritus in nobis operatur, quæ non in externis operibus ſaltem ſed vel maxime in interna animi mutatione eâque vitæ conformatione conſiſtit, quâ & ipſius honor & propria noſtrûm aliorumque ſalus, tùm quæ intra vitæ hujus terminos conſiſtit, tùm quæ æterna eſt, maxime promovetur, *juſtitiam*, juxta quam & bonis bene cupit eosque præmio afficit, & malos punit, denique *bonitatem*, quæ præſtantiſſima in eo eluceſcit, quod DEUS ho-

minem ſuam ad imaginem creatum atque ad immortalitatem factum in calamitate, cui ſe immerſit, haud interire patitur ſed ad primam, à quâ deſcivit, felicitatem adhibitis plane eximiis gratiæ ſuæ mediis reducere conatur. Neque ſane hæc felicitas in eo conſiſtit, ut tranſitura ſaltem animi corporisque voluptate perfruamur, ſed longe excellentiſſima eſt Deoque ipſi nos, qui ad imaginem ipſius recomponimur, qui rectas vitæ ſanctioris rationes inimus, quas ratio ſibi relicta tàm plenas præſtanteſque nunquam adinvenire potuit, jucundiſſimo vinculo unit.

§. VIII.

Quod verò attinet factorum, queis Chriſtiana religio innititur, veritatem, maxime ea, quæ Chriſtus, quæ & Apoſtoli patraverunt, miracula, qualia ſanè à Gentilibus ad placitorum ſuorum veritatem demonſtrandam nulla, nec quæ tantis ſcriptorum veterum teſtimoniis eàdemque divinitatis, veritàtis & certitudinis notâ fulgeant, nulla & à Mahumedanis patrata fuere, quod & vaticiniorum, quæ vel pridem à Prophetis vel deinde à primis Chriſtianiſmi fundatoribus prolata fuere, adimpletionem ſpectat, vel omnis hiſtorica fides, quod tamen poſtulatum foret longe abſurdiſſimum, omniſque certitudo moralis, ſine qua verò vita humana haud conſiſtere poteſt, è rerum natura eliminanda, vel religionis Chriſtianæ veritas omni exceptione major admittenda eſt. Jam enim quis negaverit, facta

facta Evangelica eodem genere argumentorum probari poſſe, quibus probantur omnia facta vetera, & γνησιότητα omnium librorum ſacrorum iiſdem rationibus adſtrui poſſe, queis omnium veterum aliorum librorum γνησιότητα demonſtrari videas. Scilicet cum facta Evangelica recenſita fuerint ab hominibus fide digniſſimis, qui nec fallere voluere nec potuere, utpote qui nullo plane rerum, cui inhiarent, lucro ipſis relicto pro veritate Chriſtianiſmi diriſſima quæque perpeſſi ſunt mortemque etiam obiere atque eo quoque tempore ſcriptis res mandavere, quo vixere adhuc ii, ex quibus veritatem earundem expiſcari facile fuerat, cum & is liber genuinus ſit, qui ab eo auctore ſcriptus eſt, à quo ſcriptus eſſe fertur, & eo circiter tempore exaratus eſt, quo exaratus eſſe dicitur, libros vero Novi Teſtamenti tales eſſe continua per omnia ſecula traditio comprobet, cum porro ea, quæ in libris hiſce narrantur, teſtimoniis & coætaneorum Gentilium & Judæorum ſubinde confirmentur, cum & vaticinia tùm à Judæorum Prophetis antiquioribus divinitus inſpiratis, tùm à Chriſto ipſo Apoſtoliſque prolata habeantur, pleniſſime jam adimpleta, ad quæ tamen vix retulerim oracula illa Sibyllina de Chriſto, quæ antiqui Patres Gentilibus tanquam teſtimonia pro veritate religionis Chriſtianæ ex ipſis Paganiſmi viſceribus elata oppoſuere, quippe quæ piis fraudibus annumeranda eſſe nemo

doctorum amplius dubitat, cùm dæmonum etiam oracula Chriſto adventante, cui & Joſephus egregium ſcripſiſſe teſtimonium dicitur, ſilere cœperint, miraculorumque dona etiam poſt Chriſtum in Eccleſia fuerint frequentata, atque hæc ipſa non ſine ſummo quodam id miraculo, nulla profectò vi, niſi quæ verbi, quæ divina erat, à Viris plebejis & indoctis, quanquam ſuperbæ hominum rationi communique perſuaſioni plane adverſaretur, plantata totum fere orbem intra breve tempus ſub immani tot perſecutionum vi oppleverit, Martyrumque, qui utique mentis compotes fuiſſe credendi ſunt, nec profectò vi præjudiciorum ſed divinâ quâdam virtute imbuti fuere, maxima ſeges cum tripudio ſanguinem pro veritate religionis Chriſtianæ fuderit, non videmus, quâ ratione, ſi omnia iſta argumenta, quæ (demus verò id pauliſper) ſingula rem haud evictura eſſent, combinentur, ejus veritatem indubiam eſſe quis negare amplius poſſit.

§. IX.

Accedit hiſce omnibus id, quod præcipuum plane eſt atque ante omnia alia monendum erat, religionem Chriſtianam ſecum vehere teſtimonium quoddam longe diviniſſimum, quod, ubiubi illa eo, quo decet, rerum ordine prædicatur, animis hominum ſeſe ſtatim ingerit. Eſt vero hoc divina illa vis atque præſtantiſſima virtus illa, quâ Spiritus Sanctus omnes

omnes eos, qui veritatis ſalutiſque ſuæ amore capiuntur, qui attentionem rebus adferunt, qui præjudicatas opiniones deponunt, qui ſuperbiam præſumtionemque & voluptatum amorem animis ſuis exigere omni ſtudio nituntur, qui DEUM denique ſincere colunt ejuſque auxilium implorant, illico convincit & perſuadet, quæ & cum Chriſti & Apoſtolorum prædicationibus olim fuit conjunctiſſima. *Matth.* VII. 28. 29. *Joh.* VI. 63. 68. VII. 46. *Act.* VII. 54. 56. *Rom.* I. 16. 1. *Cor.* II. 4. 2. *Cor.* III. 3. IV. 6. 1. *Joh.* V. 6. At enim, ut interno hoc teſtimonio, quod ſolum ſcilicet divinam in nobis convictionem perſuaſionemque generare aptum eſt, (cætera enim argumenta omnia, cum externa ſaltem ſint, nonniſi humanam fidem gignere poſſunt,) donemur, opus eſt, rite ut diſpoſiti ſint animi noſtri. Hinc Chriſtus ait: *Quomodo poteſtis credere, cum gloriam hominum quæratis, non vero gloriam, quæ à DEO eſt? Joh.* V. 44. & : *ſi quis velit ejus, qui me miſit, voluntatem exſequi, cognoſcet de doctrina, utrum ex DEO ſit, an ex me ipſo loquar. Joh.* VII. 17. itidemque Paulus: *Si Evangelium noſtrum abſconditum eſt, iis eſt abſconditum, qui pereunt, DEO mundi hujus infidelium animos excæcante, ne clarum Evangelii lumen videant.* 2. *Cor.* IV. 3. 4. Et ſanè nullum eſt dubium, ſapientem quemvis omnemque, qui ſaltem tantiſper veritatem amat, ubi religionis Chriſtia-

Chriſtianæ placita audiverit, eorum amore ſtatim captum iri, &, ſi plenum illico aſſenſum rebus haud dederit, optaturum tamen, ut vera ſint, quæ Chriſtus, quæ Apoſtoli docuere, tàm præſtantia illa & ſummam, quæ unquam deſiderari poteſt, hominibus felicitatem allatura. Quod ipſum ſi præceſſerit, certe conatibus hiſce adfuturus eſt ſanctior Spiritus, pleniſſimam animo perſuaſionem infuſurus, quemadmodum in Cornelio, Evnucho Candaces Reginæ aliiſque viſum eſt. Unde Pothinus, Epiſcopus Lugdunenſis Gallus martyrium ſubiturus, cum interrogaretur à Præſide: quisnam eſſet Chriſtianorum DEUS? ἐὰν ᾖς ἄξιος, γνώσῃ, *ſi dignus fueris; cognoſces*, reſpondit, uti videre eſt ex epiſtola Eccleſiæ Viennenſis & Lugdunenſis ad fratres in Aſia & Phrygia apud Euſebium in *Hiſt. Eccleſiaſt. L. V. C. I.*

§. X.

Nec tamen negandum eſt, eas in argumento hoc de veritate religionis Chriſtianæ fingi rerum difficultates poſſe, quæ à doctiſſimis quoque perſpicaciſſimiſque Viris ferè ſolvi neſciant. Scilicet, qui eam hodie inficiantur nec bruto ſaltem affectu quodam ſed adductis in medium rationibus eandem ſubruere conantur, omnia ea, quæ pro veritate ejuſdem adferimus Chriſtiani, argumenta, ne hoc quidem, quod ſanctitatem præceptorum ſpectat, quippe quæ omnia apud Philoſophos veteres quoque inveniri maleſano

ſano auſu affirmant, cùm profectò & tàm emphatica & tàm luculenta puraque nullibi reperiantur, intacto invertunt, dogmataque Chriſtiana & ſanæ rationi adverſa eſſe, & ſecum invicem, uti & cum revelatione anteriore, quæ jactetur, pugnare, & DEO indigna eſſe & imaginariam ſaltem felicitatem polliceri & falſa ſupponere facta & miracula falſa & vaticinia vel haud impleta, cum impleri jam debuiſſent, vel plane ſuppoſita ſiſtere, & ex libris ſuppoſitis corruptiſque multaque contradictoria falſaque, falſas maximè allegationes continentibus, ineptâ etiam Viriſque inſpiratis indignâ plane dictione conſcriptis hauſta eſſe cauſantur. Ut verò taceamus, eos, qui iſta effutire haud verentur, ſi ad rerum probationem deventum fuerit, tanto hiatu nîl dignum unquam, ſi & ad imos talos ſudor in anxiâ argumentorum conquiſitione expreſſus defluxerit, allaturos eſſe, atque haud minimam harum objectionum partem dilui facile poſſe ſi, religionem, prout à DEO tradita eſt, ab ineptiis & commentis, queis eandem homines inquinaverunt, ſi deinde religionis animam ab externis, quæ eandem afficiunt, involucris, dogmataque fundamentalia à difficultatibus quibuſdam hiſtoricis, chronologicis, Geographicis, Genealogicis criticiſque rite diſtinguamus, notandum hîc cum curâ eſt, nullam dari rerum ſcientiam, quæ ſuis haud prematur difficultatibus, ob ſummam intellectus noſtri imbecillitatem eorumque, quæ nobis

nobis proponuntur & quo ſubinde urgemur, τὸ ἀκατάληπτον (à quo contradictorium id quod eſt, utique ſolicitè diſtingui velim) nobis inſuperabilibus, id quod in myſteriis fidei Chriſtianæ, quæ plena nobis revelare DEUS haud voluit, contingere quis miretur? porro incredulos, quodcunque doctrinæ ſuæ ſyſtema nobis vel tandem confinxerint, multo tamen majori rerum difficultati, quanta profectò eos, qui religionis Chriſtianæ veritatem aſſerunt, haud premit, obnoxios eſſe, & ſi fallantur, ſummo venturæ iræ urgeri periculo, quæ tamen Chriſtianos, etſi fallerentur, haud ferit, denique eoſdem infideles ob rationes longe minus validas, quam eæ ſunt, quæ pro Chriſtiana fide militant, fortunarum omnium, imo & vitæ diſcrimen ſæpius adire, adeoque hic, ubi de ſalute æterna acquirenda vel perdenda agitur, dum contrariam viam ineunt, vel proprio ſuo judicio mortalium imprudentiſſimos eſſe.

§. XI.

Nec eſt, quod ajas, vix comprehendi poſſe, quî fiat, quod DEUS, qui, prout in Evangelio exſtat, homines ſummoperè amat eorumque ſalutem cupit, nullo amplius miraculo, quo quippe facili admodum operâ hominum incredulitas ſuperaretur atque uno ictu plus quâm mille pro veritate religionis Chriſtianæ voluminibus ſcriptis proficeretur, fidem à Chriſto Apo-

ſto Apoſtoliſque prædicatam obſignet, neque eandem hactenus in toto mundo per decurſum ſeculorum prædicandam ſemper curaverit, eos licet, qui Evangelium ignorant, olim, uti perhibetur, ſine controverſiâ condemnaturus? Sed promta eſt ad utrumque reſponſio. Et ad miracula quidem quod ſpectat, falſum eſſe, quod ſupponitur, patet, cùm nec Moſis nec Chriſti Apoſtolorumve miracula hominum incredulitatem penitu sjugulaverint *Luc.* XVI. 31. nec mira in ſe ſpectata infallibile veritatis ſignum ſint *Deut.* XIII. 1. ſqq. *Matth.* XXIV. 24. 2. *Theſſ.* II. 9. 10. *Apoc.* XIII. 13. qualia profectò & dæmonum virtute facta & apud Gentiles alioſque patrata eſſe vix negaverimus, ut taceam, miracula per ſeculorum decurſum repetita (jam verò ſemperenda eſſe repeti miracula diſſentientes volunt) tàm vilia futura, ut animos hominum non amplius perculſura eſſent, ad naturalem in poſterum rerum curſum eadem ratione, uti ſol, qui quotidiè oritur, quòd nulla hæc facti raritas eſt, nullâ planè admiratione mortalium mentes perfundit, referenda. At verò & ita comparata certa ſunt miracula, ut repeti ſæpius nequeant, cujusmodi vel maximè mortuorum eſt reſuſcitatio, quæ ſi communior contingeret, facilè, quanta rerum hinc ventura eſſet confuſio, cogitari poteſt. Id quod & de aliis obſervandum. Quin profectò hanc qui objectionem fundunt, quantum converſio homi-

hominis miraculum ſit, omnium utique, quæ cogitari poſſunt, maximum, quam temerarium etiam ſit & immodeſtum, DEO leges præſcribere, qui fidem hominibus ingerere debeat, (quod ſi licet, cur non, dum poſtulare iſta à DEO incipimus, & hoc quoque poſcimus, ut, qui fidem à nobis requirit, eâ ſtatim veritatis luce nos circumfundat, quâ beati in cœlis gaudent,) quàm certa denique atque firma ſint vetera miracula, certiſſimâ omnium ſeculorum traditione, (quam qui negaverit, omnem fidem hiſtoricam, omnem moralem certitudinem haud ſine inſigni quâdam abſurditatis notâ pedibus conculcaverit,) nixa, omninò haud capiunt. Denique, ſi miraculis omnia, quæcunque credi debent, confirmarentur, ſuum fidei pretium amplius haud conſtaret. *Joh.* XX. 28. *Ebr.* XI. 1. Hinc rectè THOMAS BROWNE: *Ego verò mihi gratulor, quod in miraculorum tempore non vixerim, quod nunquam aut Chriſtum aut diſcipulos viderim, quòd nec cum Iſraëlitis mare rubrum tranſierim nec in eorum numero fuerim, quos Chriſtus per miracula ſanavit. Hic enim mihi nolenti volenti credendum fuiſſet, nec ad me pertinuiſſet benedictio de omnibus illis pronunciata, qui non videntes crediderint. Facilis eſt eorum & neceſſaria credulitas, qui ea credunt, quæ oculi & ſenſus exploraverint*, in libro, quem adpellat *religionem Medici* P. 1. ſect. 8. p. 46. Quod verò

alte-

alterum concernit, quod de Evangelio haud ubivis ſemperque prædicato dicitur, id nec bonitatem DEI nec religionis Chriſtianæ veritatem neceſſitatemve jugulat. Non illam, quia, qui ſine religione Chriſtiana peccaverit, ſine eâ quoque condemnabitur Rom. II. 12. nec omnem gratiæ ſuæ, per Chriſtum quæ hominibus contingit & tàm in hoc quàm in futuro ævo diſpenſatur, œconomiam DEUS revelavit, non ſine ſumma temeritate à nobis, qui *ἐκ μέρους* ſaltem *γινώσκομεν* *1. Cor.* XIII. 12. determinandam nec denique ad condemnandos eos, qui propriâ culpâ ſuâ Evangelium haud ignoravere, ruere quiſquam eaque, quæ de iis, quibus Evangelium annunciatum fuit, dicuntur, ad eos quoque, quibus iſta gratia haud contigit, applicare poteſt *Rom.* X. 14. etſi bonitati divinæ limites ponere, quâ ratione tamen & ipſe ſibi timere deberet, haud vereatur. Neque verò & religionis Chriſtianæ veritas & neceſſitas ſic cadit, cùm poſterior quidem iis ſine dubio incumbat, quibus ea revelata eſt, id quod nobis ſufficit, faciliſque hìc inter viam DEI ordinariam & extraordinariam variaſque gratiæ, quas jam memoravimus, œconomias ſit diſtinctio, prior verò ſarta & tecta maneat, quamcunque etiam de eorum, quibus Evangelium haud innotuit, ſalute (neque enim, quod ad ſalutem hominibus acquirendam neceſſarium fuit, eo ipſo ſtatim cognitu neceſſarium eſt,) vel condemnatione

B ſenten-

ſententiam inietis. Cæterum cùm innumeri futuri ſint felicitatis & pœnarum in venturo ævo gradus Deuſque ſingulis ſingulos pro cujuſque operibus redditurus ſit, facile quis videt, multas circa hoc argumentum difficultates ſubitò jam evaneſcere bonitatemque DEI cum particulari Evangelii prædicatione hujuſque veritate amicè conſpirare. Sed nec opus eſt, ut, ſcena rerum nondum finitâ, omnia ſtatim, quæ nobis hic occurrunt, ænigmata ſolvamus. Quemadmodum enim in dramatibus, quæcunque intricata & perplexa ſunt, in ultimo demum actu plenius explicantur, ita quicquid hic negotium nobis jam faceſſit, ultimæ diei, id quod egregiè à ſapiente quodam monitum videmus, lux expediet, atque ita profectò expediet, ut miraturi ſimus, qui in tantâ rerum claritate tantopere cœcutire potuerimus. Aſt nimis utique hìc à brevitate inſtituti abivimus, qui unico ſaltem ſpecimine oſtendere voluimus, qui & cæteræ diſſentientium rationes refutari verbiſque & veritati pondus hìc addi poſſet, ſi in arenam diſputationis exſpatiari jam nobis & excurrere liceret.

§. XII.

Quod reſtat, cùm, quid hoc in argumento agendum veniat, vel duobus ſaltem, facto quippe viæ compendio, ſedulis rerum ſcrutatoribus hìc oſtenderimus, rivos jam claudimus iiſque, qui in ipſum tractationis hujus campum, dignum ſane, quem omnes peragrent, ingredi

avent,

avent, hic fontes monſtramus, ubi ſitim ipſis reſtinguere detur. Non autem teremus hic veſtigia Viri doctiſſimi, JO. ALBERTI FABRICII, qui in *Bibliotheca Græca vol. VII. p. 96. ſqq.* ultra cccc Auctores, qui de veritate religionis Chriſtianæ ſcripſere, & inter quos, fatemur, ſunt, qui vix in diptycha iſta referri merentur, nominavit novamque alibi centuriam dare promiſit, nec inibimus veterum Apologetarum Patrumque Eccleſiæ numerum, qui adverſus Paganos Judæoſque religionem Chriſtianam defendere, ſed recentiores ſaltem eoſque præcipuos dabimus. Inter Gallos poſt PHILIPPUM MORNÆUM eminet PETR. DAN. HUETIUS, cujus *Demonſtratio Evangelica* præſtantiſſimus, quem excluſit, fœtus eſt, omnibus jure merito exoſculandus, cui ex Reformatis jungi poterunt JAC. ABBADIUS, IS. JAQUELOTIUS, alii, ab ijs, qui prolixa amant, evolvendi, ex Romanenſibus verò BLASIUS PASCALIUS, JO. DEZIUS & ſcriptor nuperrimus quidam, profecto haud contemnendus, JO. DENYSE. Inter Anglos maxime conſulendi ſunt, qui egregie hoc argumentum excoluere, TILLOTSONIUS, PARKERUS, GASTRELUS, CLARKIUS, DITTONUS, auctores, in quibus ſumma & eruditio & eloquentia & ingenij vis ſecum invicem certant. Inter Belgas caput effert, qui omnium manibus teri dignus eſt, HUGO GROTIUS, cui jungendi veniunt PHILIPPUS LIMBURGIUS & JO. CLERICUS.

Inter Germanos VIT. LUDOV. A SECKENDORF, ADAMUS RECHENBERGIUS, JO. FRANCISCUS BUDDEUS & CHRISTIANUS WOLFIUS hoc argumentum maximè excoluere. Primas tamen inter omnes tenent GROTIUS & HUETIUS, niſi quod JO. ALPHONSUS TURRETTINUS, Theologus Genevenſis, conſcriptis præſtantiſſimis atque egregiis plane diſſertationibus huc facientibus, ex quibus nos & plurimùm ſubinde proficimus, palmam ipſis nuper dubiam fecit.

ARTICULUS II.
DE
CONSTITUTIONE
ATQUE CONFORMATIONE RELIGIONIS CHRISTIANÆ.

§. I.

DEmonſtratâ religionis Chriſtianæ veritate vel diſpoſitis ſaltem, queis ea demonſtratur, argumentis, via jam nobis panditur, quâ uno quaſi obtutu omnem ejus ambitum omnesque, quibus ea conſtat, articulos contemplemur. Cum vero *Religio* hæc ea ſit DEUM colendi ratio à Chriſto hominum Redem-

demtore in novi, quod vocatur, fœderis tabulis tradita, quâ hi per fidem in ipſum, præſtito & mandatis ipſius obſequio beatæ poſt mortem immortalitatis participes fieri poſſunt duabusque partibus abſolvatur, quarum una *credenda*, altera *agenda* ſiſtit, facile patet, de credendis primùm nobis, poſtea & de agendis tractationem inſtituendam eſſe, ita ut tota Theologiæ Chriſtianæ ejusque dogmaticæ maſſa vel theoretica vel practica & moralis ſit.

§. II.

Theologia theoretica ut recto tradatur ordine, in ſuas & ipſa partes diſtinguenda eſt. *Prima* pars doctrinam de DEO, de Trinitate, de operibus divinis, creatione & conſervatione adeoque providentia, & de Angelis, de homine, de imagine divina, de lapſu peccatoque originis miſerrimoque, in quo verſantur omnes, qui nondum converſi ſunt, ſtatu naturali ſiſtit. *Secunda* pars de reparatione generis humani agit, ubi de decretis divinis primùm inſtituenda nobis eſt tractatio, poſtea oeconomiæ divinæ & fœdera & teſtamenta evolvenda veniunt & antiquum illud cum revelationibus ſuis atque diſpenſationibus legibusque variis & ſacramentis itemque recentius cum prærogativis ſuis promiſſionibusque melioribus, inde de redemtione per Chriſtum Meſſiam factâ datâ operâ agendum totusque de perſona, officiis ſtatibusque Chriſti locus

exponendus, poſtea ad ordinem, quo ſalus nobis confertur, deſcendendum, ubi de vocatione, quò & doctrinam de Evangelio referimus, de juſtificatione, quò & articuli de adoptione & libertate Chriſtiana ſpectant, de converſione, quò & de pœnitentia, de fide & de regeneratione pertinet tractatio, de ſanctificatione, cum quâ articulos de unione myſtica & perſeverantia ſanctorum jungimus, de morte, de ſtatu animarum poſt eandem, de reſurrectione mortuorum, de judicio extremo, de conſummatione ſeculi, de damnatione & vita æterna luculentius diſſerendum erit. *Tertia* pars articulum de Eccleſia eosque, qui huc pertinent, exhibet, ubi ſane de hierarchiâ & miniſterio eccleſiaſtico, de cultus publici ratione, de ſacramentis novi Teſtamenti, de baptiſmo & ſacra cœna, de diſciplina pœnitentiali, de magiſtratu politico, de conjugio gradibusque prohibitis & cœlibatu ſacerdotum, de miraculis, de conciliis, de hæreſi, de ſchiſmate, de Antichriſto plurimisque aliis capitibus ſuo omnibus ordine diſpoſitis agendum erit. Et verò hìc vel maxime, quis hiſtoriæ eccleſiaſticæ, quis jurisprudentiæ eccleſiaſticæ, quis & Theologiæ ritualis in Theologia dogmaticâ uſus ſit, patebit. Sed brevi hæc omnia penicillo ſaltem nobis efferre licebit, queis ſufficiet, primas tantùm, quod pictores facere ſolent, rerum lineas duxiſſe fontesque allegaſſe, qui

qui poſito heic fundamento ſolido ad pleniorem notitiam comparandam facere poſſint.

§. III.

Sequitur jam Theologia moralis, ubi de principiis actionum Chriſtianarum & ſpiritualium primùm agendum nobiliſſimumque de natura & gratia argumentum nobis ante omnia evolvendum veniet, porro totus virtutum Chriſtianarum, quas ſingulas percurrere animus eſt, ambitus ita ordinabitur, ut primùm de officiis erga DEUM virtutibusque, quibus iſta exſequimur, deinde & ordine eodem de officiis erga ſemet ipſum proximumque diſſeramus omniaque ex genuina ſolidaque de converſione hominis doctrinâ, quæ fons totius Theologiæ moralis & aſceticæ myſticæque eſt, deducamus, tertio loco prima prudentiæ eccleſiaſticæ atque paſtoralis (hæc verò nobis, qui homines ad converſionem veram ducendi atque in ſanctitatis verâ viâ, quæ interior eſt, dirigendi ſint, monſtrat,) lineamenta exhibeamus & ad Theologiam, quam vocant, caſualem & quæ in ſcholis Romanenſibus κατ᾽ ἐξοχὴν Theologia moralis appellatur, viam paremus.

§. IV.

Hâc vero ratione ſi omnem Theologiam peragraverimus, nullus erit articulus ſcitu neceſſarius, qui nos fugiat vel in ſyſtemate hoc noſtro deficiat rerumque ea, uti ſperamus, dabitur catena, quæ continuo aptoque

 nexu

nexu ubique cohæreat & coadunata ſit. Quod dum ponimus, de articulis fidei hujuſque analogia, argumento uti nobiliſſimo, ita planè difficili atque arduo pauca quædam hìc nobis monenda veniunt.

§. V.

Excoluit hanc doctrinam inter noſtros maximè NIC. HUNNIUS, quem reliqui velut ducem gregis hìc ſecuti ſunt. Is vero in *diaſcepſi theologica de fundamentali diſſenſu* ait: articulum fidei doctrinæ Chriſtianæ partem eſſe, per quam ad vitam æternam ducamur. Eſſe autem articulos fidei vel ***fundamentales***, vel ***non fundamentales***: illos diſtingui in ***primarios*** & ***ſecundarios***. ***Primarios*** eſſe, qui ſalva fide & ſalute non poſſint ignorari neceſſariique ſint ***neceſſitate medii***, hoſque eſſe vel ***conſtituentes***, qui immediate efficiant fidem, vel ***conſervantes***, qui immediatæ cauſæ fidei neceſſario ſubſternantur, ***ſecundarios*** eſſe, qui ſalva fide & ſalute poſſint quidem ignorari nec tamen poſſint negari neceſſariique ſint ***neceſſitate præcepti***. ***Non fundamentales*** denique vocari, qui ſalva fide poſſint ignorari & negari. Diſtinguit porro idem HUNNIUS fundamentum fidei in ***eſſentiale*** aut ***ſubſtantiale***, ***organicum*** ſeu ***miniſteriale***, & ***dogmaticum*** ſeu ***doctrinale***. ***Primum*** eſt DEUS & Chriſtus. ***Secundum*** eſt Scriptura Sacra. ***Tertium*** ſunt dogmata Fidei. Jam & ponenda eſt diſtinctio

ctio in articulos fidei *antecedentes* , *conſtituentes* & *conſequentes* , item in articulos fidei *puros* & *mixtos* , quorum illi ex revelatione ſolâ , hi etiam ex ratione patent , quæ tamen diſtinctio poſterior eapropter minus accurata eſt , quia & *articuli mixti* non eam ob rem tanquam articuli fidei creduntur , quoniam & ex lumine naturæ innoteſcunt ſed quoniam revelati ſunt. Quod reſtat, paucis notandum eſt, *nomen fidei*, quando de articulis fidei quæſtio eſt, non ſumi pro *fide*, *quâ* creditur, hoc eſt, pro aſſenſu vel fiducia ſed pro *fide*, *qua* creditur, id eſt, pro doctrina Chriſtiana, etſi fides, quæ creditur ejuſque momentum ad fidem, quâ creditur, vel potius ad fidem juſtificantem & ſalvificam exigatur, quæ diſtinctio Auguſtini eſt à Lombardo repetita.

§. VI.

Præmiſſâ hâc terminorum atque diſtinctionum hîc occurrentium evolutione jam de re ipſa nunc inſtituenda tractatio eſt & quidem eo curatior, quò magis ea eſt neceſſaria, ut errorem ab hæreſi probe diſtinguere & momenta controverſiarum , quæ Eccleſias ſcindunt, recte penetrare diſcamus. Præcipuum id eſt, ut criteria articulorum fidei paucis enumeremus. Requiritur itaque ad articulum fidei fundamentalem I. *Ut in ipſis ſanctioribus tabulis is talis eſſe dicatur.* Id quod vel ex eo patet , quoniam articulos fidei neceſſarios creditu atque fundamentales definire jus divinæ Majeſtatis pro-

prium eſt atque reſervatum. Huc verò pertinent loca 1. *Cor.* III. 10. ſeqq. ubi tamen non ſaltem de fundamento doctrinali Paulus loquitur ſed etiam de operibus, ſyſtemati dogmatico quæ ſæpius ſuperædificantur, *Act.* IV. 12. XVI. 31. *Joh.* XVII. 3. XX. 31. *Rom.* X. 9. *Marc.* XVI. 16. *Joh.* III. 5. 36. *Matth.* IV. 17. VII. 21. XVI. 18. 24. *Gal.* I. 8. *Eph.* II. 20. 1. *Cor.* XV. 17. 18. XVI. 22. 1. *Tim.* III. 15. 16. *Ebr.* VI. 1. 2. XI. 6. XII. 14. 1. *Joh.* IV. 2. 3. II. 22. 23. & quæ alia ſunt ſanctiora effata, ex quibus & diſtinctio inter *articulos fidei theoreticos* & *practicos*, quorum eadem utrobique eſt neceſſitas, rurſus alia inter *articulos fidei dogmaticos* & *hiſtoricos*, denique illa jam adhibita inter *articulos fidei antecedentes*, *conſtituentes* & *conſequentes* fluit. II. *Ad fundamentum fidei pertinet*, *ut evidenter in ſacro codice ſit revelatum*, non, quod omnia, quæ in ſcripturis ſacris evidenter poſita extant, articuli fidei ſint ſed quod is articulus fidei eſſe nequeat, qui evidenter hic poſitus haud conſpiciatur, ubi tamen *evidentia revelationis* ab *evidentia objecti* diſtinguenda ſolicite eſt, cum maxima fere pars articulorum fidei poſteriore ſenſu juxta 1. *Cor.* XIII. 12. haud ſit evidens, pauciſſimiſque vel naturalis evidentia, vel ea, quam lumen Spiritus Sancti efficit, competat. *Matth.* XI. 25. 1. *Cor.* II. 10. 2. *Cor.* IV. 6. Quod ipſum

ipſum dum dicimus , hæc ſimul monemus α. *Rationem principium religionis Chriſtianæ haud eſſe* , nec corruptam *Matth.* XVI. 17. XI. 25. 2. *Cor.* X. 5. nec ſanam , quæ quoad principia realia vel ſaltem pædagogus ad revelationem eſt *Act.* XIV. 15. ſqq. XVII. 24. ſqq. *Rom.* I. 18. ſqq. vel eadem principia ſibi ſoli vendicare haud poteſt , qualia ſunt veritates plurimæ & rationi & revelationi eodem jure competentes , ab hac quippe adoptatæ & ſigillo theologico donatæ , quoad principia inſtrumentalia & logica verò , quatenus ea facultatem ratiocinandi infert & uſurpat , fidei ſaltem eſt ancilla & religionis inſtrumentum , non principium. β. *Nihil fundamentale eſſe, quicquid vulgi captum excedat*, cum religio non minus vulgi quàm doctorum, imo magis vulgi quàm doctorum ſit. Quæ ipſa obſervatio oſtendit, ex catalogo articulorum fidei multa jam eliminanda eſſe , quæ tamen fere communiter pro articulis fidei reputantur inque meris argutiis ſcholaſticis & tenebricoſis myſteriorum determinationibus conſiſtunt. γ *Non ea ſaltem pro articulis fidei reputanda eſſe , quæ ſub hoc nomine totidem verbis in tabulis ſanctioribus exſtant ſed & illa , quæ per neceſſariam & evidentem illationem* (conſectaria enim dubia & obſcura, longe etiam petita eodem cum ipſis principiis loco habenda non ſunt,) *exinde fluunt* , cum Theolo-

gia

gia non ſaltem apprehenſiva ſed etiam argumentativa ſit *Rom.* XV. 4. ſqq. 2. *Tim.* III. 16. & nectere ex ſcripturis divinis conſequentias firmasque concluſiones nos docuerint Chriſtus *Joh.* V. 39. uti paſſim, ita maximè *Matth.* XXII. 29. 32. contra Sadducæos, qui divinam ipſius auctoritatem non agnoſcebant, Apollo *Act.* XVIII. 28. Paulus *Rom.* III. 10. ſqq. 1. *Cor.* XV. 3. ſqq. & alibi paſſim, qui tamen extra ſcripturam nil locutus eſt, *Act.* XXVI. 22. Hinc & Berrhoenſes laudantur *Act.* XVII. 11. & inveſtigatio rerum à nobis requiritur, *Joh.* VII. 17. 1. *Cor.* X. 15. 1. *Theſſ.* V. 21. Et patet profectò, Scripturam ſacram nobis ad ſalutem plane inutilem futuram, ſi exinde argumenta formare haud liceret, & ſanæ interpretationis leges requirere, ut, quæ neceſſario nexu ex ſermone fluunt, eandem cum hoc auctoritatem nanciſcantur, id quod de quovis ſcripto ita, prout par eſt, compoſito & ſibi conſtante affirmari debet, niſi dicere malis, ita ſtupefactam ingenii noſtri aciem eſſe, ut ex libro Scripturæ ſacræ cæteris omnibus, qui exſtant, id quod tamen gratis incpteque ſupponeretur, obſcuriore nihil evidenter eruere aut concludere poſſit, nullumque eſſe divinius lumen, quod noſtræ hebetudini naturali medelam hìc adferat. Quin nec in ſyllogiſmo, ubi datur propoſitio, quæ & naturâ nota eſt, concluſio erit minus theologica

aut

aut eapropter veritatem divinam minus fundere apta. Quod enim juxta canonem logicum communiter dicitur, *concluſionem ſequi partem debiliorem*, id ratione ſaltem quantitatis & qualitatis adeoque formæ intelligendum eſt, non ratione materiæ, cum concluſio etiam neceſſaria ex præmiſſis eliciatur, quarum altera tantùm eſt contingens, principiaque univerſalia & naturâ nota utique & à Spiritu Sancto in ſcripturis divinioribus adoptata ſint adeoque ſic & theologica evaſerint. III. *Ad fundamentum fidei pertinet, ut tale illud ſit, ſine quo neque fides in Chriſtum nec converſionis ſanctificationiſque vera ratio conſiſtere poſſit.* Ex quo patet, 1. Ea ad fundamentum fidei ſaltem propius haud ſpectare, quæ cum praxi Chriſtiana nullam connexionem habent. 2. Hæreſes practicas longe pernicioſiores eſſe hæreſibus theoreticis, cum illæ quidem viam ſalutis uno ictu intercludant, hæ cum ſalute aliquando conſiſtere poſſint. 3. In id cumprimis cuivis Chriſtiano iisque maxime, qui cognitionem Chriſtianismi aliis inſtillare volunt, incumbendum eſſe, ut, quid pœnitentia, quid converſio, quid ſanctificatio, quid fides ſit & quanta inter naturam & gratiam ſit diſtinctio, quæ omnino fundamentum fidei immediate tangit, probe nôrint, id quod ſine experientiâ rerum fieri haud poſſe nemo negaverit ſeriò, niſi qui eâ privatur. IV. Denique *fundamentalis articulus*

fidei

Digitized by Google

fidei is quoque eſt, *qui* vel juxta ***Commonitorium*** VINCENTII LIRINENSIS *ſemper & ubique & ab omnibus creditus eſt*, vel ſaltem traditioni eccleſiæ univerſali haud interruptæ non adverſatur. *Matth.* XVI. 18. Id quod tamen ita non eſt capiendum, ac ſi nullam heic temporum vel notitiæ clarioris aut obſcurioris diſtinctionem admittendam cenſeremus. Ita quippe in vetere teſtamento & alii ſubinde fidei articuli fuere ac in novo & quod articulum præcipuum de Meſſia attinet, haud tam clara in eo lux fulſit ac in novo ea nunc fœdere nos colluſtrat ab ipſo Salvatore Apoſtolisque accenſa. Nec, qui hiſtoriam dogmatum Chriſtianorum noverit, inficiabitur, fuiſſe & ſubinde veritates fundamentales, quæ tenebris aliquando ſepultæ aut involutæ ad tempus tantiſper jacuerint, donec divina adfulgente gratia exinde rurſus traherentur. Sed nec ita hæc noſtra ſunt intelligenda, quaſi omnes articuli fundamentales traditionem eccleſiæ univerſalem per omnia ſecula euntem expreſſe pro ſe militantem habeant, vel quaſi conſenſum Patrum aut præſcriptionem heic pro principio articulorum fundamentalium cum Romanenſibus venditare aveamus. Præterquam enim, quod conſenſum eccleſiæ univerſalis ſaltem pro criterio articulorum fidei externo non interno haberi volumus, normamque normantem à normatâ principiumque declarativum, quale & noſtri libri ſymbolici eſſe poſſunt, hic

hic à principio normativo ſolicite diſtinguimus, hæc planè noſtra mens haud eſt, neceſſarium eſſe aut fieri poſſe, ut expreſſus ſcriptorum cujusvis ſeculi conſenſus quoad unumquemque articulum afferatur; id quod tot ſcriptis vetuſtis deperditis,tot etiam tenebris in Eccleſiam ſubinde migrantibus,haud poſſibile eſt, ut de diſſenſu Patrum, qui permagnus ſæpè eſt, eorundemque erroribus jam nil dicamus, id quod & de conciliorum & Pontificum Romanorum ſtatutis ſecurè affirmare licet. Quin & hæc ipſa in plurimis articulis ab hodierna Eccleſiæ Romanæ ſententia cùm ſæpiùs abludant, id quod ex hiſtoria dogmatum theologicorum patet, miretur quis, Romanenſes præſcriptionem tanto conatu contra nos urgere, vel eapropter quoque penitus exſibilandam, quòd in credendis rebusque fidei plane valere ea nequit, quippe quæ in civilibus tantùm obtinet, nec, ſi hìc valeret, propter tot litis conteſtationes à teſtibus veritatis per omnia ſecula factas & propter tyrannidem eccleſiaſticam, quâ veritatis profeſſio fuit inhibita, currere potuit, ab ipſo etiam Chriſto *Matth.* V. & à Patribus Eccleſiæ paſſim in rebus ſpiritualibus ad forum humanum non pertinentibus rejecta fuit, denique à recentioribus Romanenſibus ferè jam negligitur, qui vel ipſi tandem fatentur, nullam ejus vim eſſe, niſi quam iſta ex aliis argumentis & demonſtrationibus iis-

que

Digitized by Google

que melioribus & quæ præcedere utique hic debent, nanciſcatur.

§. VII.

Jam obſervationes quædam, quæ ad hoc argumentum pertinent, nobis coacervandæ veniunt. I. Articuli fundamentales non ſunt iidem omnibus ſed pro variâ revelationis menſurâ œconomiarumque divinarum ratione, pro variâ & hominum capacitate animique diſpoſitione variâ varii ſingulis ſunt. Patet id vel maximè, ſi vetus Teſtamentum cum novo componamus, ubi in illo quidem notitia rerum longè parcior exſtitit, quàm in Novo ea nunc conſpicitur. 2. *Cor.* III. 7. ſqq. Patet & idem ex exemplo Apoſtolorum, qui Chriſti paſſionem mortemque, ſalvâ ſalute ſuâ, ſalvo &, in quo permanſere, gratiæ ſtatu negavere, id quod ſuccedente clariore & repetitâ revelatione poſtmodum negare iidem amplius aut ignorare haud poterant nec nos hodie ſalva ſalute poſſumus, ut errorem eorum de regno Chriſti terreno, cui plurimùm inhiavere, itemque de vocatione gentilium, quam negabant, hallucinationem etiam poſt illuminationem Pentecoſtalem commiſſam *Act.* X. 34. jam taceamus. Patet id porro exemplis Cornelii *Act.* X. 2. 4. Apollinis, qui etſi ſolum Johannis baptiſma noſſet, magni tamen Theologi encomio donatur *Act.* XVIII. 25. Epheſiorumque, qui, etſi neſcirent hactenus, dari Spiritum Sanctum vel dona Spiritûs

ritûs Sancti in credentes Chriſtianosve effundi *Joh.* VII. 39. Johannis utpote baptiſmo itidem ſaltem imbuti, cujus ne plenam quidem cognitionem hauſerant; tamen diſcipulis accenſentur *Act.* XIX. 1. denique & Corinthiorum quorundam, qui reſurrectionem, pleno nondum revelationis die ipſis affuſo, hactenus negaverant, etſi adhuc in Eccleſia Corinthiacâ tolerarentur 1. *Cor.* XV. 12. Etenim nemo quicquam tenetur credere, vel nemini, quod hoc vel illud non credat, imputari poteſt, ſi id revelatum ipſi haud ſit *Rom.* X. 14. vel ſi ad id credendum facultates à DEO neceſſarias haud acceperit, unde & articulorum fidei ambitus pro ratione hominum vel amplior vel brevior evadit, prout vel revelatio aut informatio ipſis clarior vel obſcurior facultatesque apprehendendi vel feliciores vel tenuiores contingunt. II. Articulos fidei fundamentales definire ſolius DEI res eſt atque ſupremæ poteſtatis jus proprium & reſervatum. Hinc probè nobis cavendum eſt, ne temere quid heic pronunciemus. Noſmet ipſos quidem quod attinet, tutius eſt, vel minimos errores, quaſi peſtiferi eſſent, vitare. At cum de aliis judicandum eſt; ob ea, quæ jam in primâ obſervatione ſcripſimus, ſemper mitiorem in partem propendendum nec unquam lethaliter errare pronunciandus quiſquam eſt, niſi ubi expreſſa oraculorum divinorum clariſſimaque definitio

tio id nos facere juſſerit. III. Nugantur, qui certum ac definitum articulorum fundamentalium numerum ſibi deſignari petunt, 1. quia, uti dictum eſt, non ſunt iidem omnibus, 2. quia pro vario concipiendi & diſtinguendi modo, modò generaliores & pauciores, modò ſpecialiores & plures diſtingui poſſunt, 3. quia de nonnullis (conſectariis ſaltem vel expoſitionibus) non ſine aliquâ rationis ſpecie dubitari poteſt, an ſint fundamentales nec ne? Hoc ſaltem in genere affirmare licet, fundamentalia neque magno numero neque cognitu difficilia eſſe. Verum, quamvis eorum numerus non definiatur, optimè tamen ſciri poteſt, hoc vel illud veritatem fundamentalem, hoc vel illud errorem fundamentalem eſſe, eodem modo, quo non neceſſe eſt, omnia alimenta ac venena noſſe, ut ſciatur, hoc vel illud alimentum aut venenum eſſe. IV. Articulus quiſque eò magis fundamentalis eſt, quò magis ad praxin facit. Hinc errores practici multò perniocioſiores ſunt theoreticis iiſque eo magis obviandum eſt. V. Quorumcunque diſſenſus fundamentalis eſt, iisdem ii ſacris uti nequeunt. 2. *Cor*. VI. 14. ſqq. & quorum diſſenſus non eſt fundamentalis, illi eandem communionem eccleſiaſticam non modò conſtituere poſſunt ſed etiam tenentur. Sed hæc ultima tamen cum grano ſalis capienda ſunt. Ut enim taceamus, rem hìc ſe habere, uti in morbis, ubi ſæpius, concurrentibus pluribus mor-

morbis, qui ſinguli haud lethales ſunt, mors tamen ægroto ob eorum junctionem adfertur, tùm demùm hîc eadem communio eccleſiaſtica à diſſentientibus iniri poteſt, ſi Miniſtri Eccleſiæ, qui verba ſacra coram populo faciunt, iſtos articulos, in quibus diſſenſus verſatur, omittant vel de eorum momento populum ritè informent, cùm, ſi lites inter publicos verbi diſpenſatores hîc agerentur, ſummi hæc ſcandali res exiſteret. VI. Poteſt errari fundamentaliter non modò aliquid fundamentale diſertè negando ſed & aliquid fundamento ſuperſtruendo vel aſſuendo, quod ipſum ſubruat. Ita, ſi exſtaret Eccleſia, quæ in totâ doctrinâ ſuâ Scripturæ ſacræ conformis eſſet unicumque ſaltem, qui & exigui admodum momenti foret, e. g. Petrum XXV. annis Romæ Pontificem ſediſſe, articulum cuivis credendum injungeret, nemo ſalvâ conſcientiâ, aliter de hâc re ſi perſuaſus eſſet, cum hâc Eccleſiâ communionem ſervare poſſet, quia hâc ratione in horrendam & nullatenus excuſandam hypocriſin incideret. Res autem aliter ſe habet, ubi diſſenſus toleratur, quâ ratione nemo negaverit, eos communionem eccleſiaſticam ſervare poſſe, qui in non fundamentalibus diſſentiunt. VII. In ſymbolo Apoſtolico cæteriſque ſymbolis omnes articuli fidei fundamentales haud reperiuntur eaque ſubinde intexta exſtant, quæ planè fundamentalia haud ſunt. VIII. Poteſt aliquis errare in fundamento fidei, etſi

Digitized by Google

non erret fundamentaliter, cùm & dogmata fidei fundamentalia ſua habeant acceſſoria, circa quæ impunè quis erraverit. IX. Nugantur, quicunque ajunt, nullam eſſe veritatem vel propoſitionem in ſacrâ Scriptura exſtantem, quæ non ſit articulus fidei creditu neceſſarius adeoque fundamentalis, cùm res quidem hîc benè ſe habeat, ſi convictus quis ſit, rem ita in tabulis ſanctioribus elatam eſſe, aliter verò pronunciandum ſit, ſi quis vel præjudicijs ſuis vel rerum ignorantiâ actus ſenſum verborum ſacrorum malè capiat adeoque bonâ fide erret. Hunc enim ſi damnare volueris, omnes in univerſum Chriſtianos damnabis, inter quos nemo infallibilis, nemo ſine errore eſt. At verò hanc de articulis fundamentalibus doctrinam eapropter ſaltem tàm prolixè diduximus, quoniam à paucis hactenus ſolidè diſcuſſa ea atque ad dijudicandas controverſias theologicas perquàm neceſſaria eſt.

§. VIII.

De analogiâ fidei ſive eâ relatione, quam fidei articuli ad ſe invicem habent, paucis quædam addenda veniunt. Ita ſcilicet communiter hoc requiritur, ut ſive ſcripturam ſacram explicemus, ſive dogmata religionis Chriſtianæ ſtatuamus, explicationes & poſitiones noſtræ analogiæ fidei & clariorum propoſitionum, quas jam ex ſcripturis ſacris hauſimus, conveniant. Id quod juſtiſſimum eſſe poſtulatum vel ex eo

liquet.

Digitized by Google

liquet, quia veritas veritati contraria eſſe non poteſt ſed una alteram colluſtrat atque firmat. Aſt cavendum hic, ne ſub ſchemate analogiæ fidei vel noſtra cogitata in textum ſacrum intrudamus vel Scripturam ſacram juxta principia ſectæ & præjudicia doctorum explicemus. De iſtâ verò analogiâ fidei planè non agit locus Rom. XII. *6.* *εἴτε προφητείαν κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως*, ubi ſenſus hic eſt: ſi quis prophetiæ habet chariſma, eo utatur pro menſura & proportione, juxta quam hoc donum ipſi eſt concreditum, id eſt, ne plus dicat, quàm quod ei commiſſum & concreditum eſt, quo verbo alludit Paulus ad Prophetas veteres, qui nihil dicere debebant præter id, quod ipſis à DEO revelatum erat. Vide *Rom.* XII. 3. & *Eph.* IV. 7. ut adeò, ſive per *προφητείαν* hic vaticinatio ſive interpretatio Scripturæ ſive expoſitio doctrinæ Chriſtianæ intelligenda ſit, per *πίστιν* nec fides ſalvifica neque fides objectiva ſive quæ creditur ſed chariſma ſpirituale ab Apoſtolo innuatur.

§. IX.

Pertinet quoque ad hanc tractationem noſtram diſtinctio communis Theologiæ in naturalem & ſupernaturalem. Illa conſiſtit in notitiis naturalibus de DEO, & lege naturali, uti ex *Act.* XIV. 15. 17. XVII. 24. 25. 27. 28. 29. *Rom.* I. 19. ſqq. II. 14. 15. *Pſ.* XIX. 2.

Job. XII. 7. ſqq. *Jeſ.* XL. 26. patet atque ad ſalutem ſufficere nequit, cùm Chriſtum Salvatorem neſciat *Act.* IV. 12. *Joh.* III. 36. XIV. 6. XVII. 3. *Marc* XVI. 16. *Joh.* V. 11. 12. unde & gentilium ſtatus tempus ignorantiæ audit *Act.* XVII. 30. iique, qui ſine Chriſto ſunt, ſine DEO quoque & ſine ſpe eſſe dicuntur *Eph.* II. 12. eapropter puniendi, quod notitiis naturalibus inſuper habitis redditi fuerint inexcuſabiles *Rom.* I. 20. II. 15. utpote queis uſi haud fuerint, ut in DEI veram plenioremque notitiam inquirerent *Act.* XVII. 27. Deumque ut talem, prout & debebant & potuiſſe cenſendi ſuut, glorificarent *Rom.* I. 21. Hinc qui ſine religione Chriſtianâ peccaverit, & ſine religione Chriſtianâ judicabitur *Rom.* II. 12. dicto illo *Marci* XVI. 16. ſimilibusque ad eos pertinente, quibus Evangelium fuit annunciatum, uti ex commate 15. videre eſt, non ad alios, qui ſive propter ſummam judicii ingeniique debilitatem ſive propter prædicationis famæque Evangelii verioris ſaniorisque defectum, cui mederi haud ſitum erat in ipſorum viribus, Evangelium ignoravere. *Joh.* III. 19. XV. 22. *Rom.* X. 14. Et profectò qui bonitati divinæ hic nihil relinquere limitesque ipſi ponere ſuſtinuerit, ſibi ipſi timere debet, juxta dictum Salvatoris: *Quâ menſurâ metieris alium, eâdem te metientur. Matth.* VII. 1. 2. maximè, cum Apoſtolus Paulus de gentilibus Evangelio nondum colluſtratis, qui

ſta

τὰ τȣ̃ νόμȣ faciunt, haud in pejorem partem ſentire videatur *Rom*.II,7.ſqq.14.15. eademque ferè *Ebr.* XI. 31. *Matth.* VIII. 11. XII. 42. *Jonæ* III. 10. *Act.* X. 2. 4. recurrant. Theologia verò ſupernaturalis conſiſtit in veritatibus revelatis, quæ ubi mediante Spiritus Sancti verbique divini lumine hauſtæ fuerint, habitum in nobis practicum efficiunt, quo & intellectus, diſſipatis errorum præjudiciorumque tenebris, novis de Deo rebuſque divinis & acquirenda maximè ſalute æterna principiis imbuitur, voluntas verò ad DEUM vi ſupernaturali converſa ſanctificatur Deoque unitur. Ex quo conſpicere eſt, quì fiat, ut Paulus *Tit.* I. 1. Theologiam dicat **ἐπίγνωσιν ἀληθείας κατ' εὐσέβειαν**, quì & idem *Ebr.* V. 14. Theologiam **ἕξιν** dicat, contradiſtinctam primis iſtis notitiæ divinæ ſtaminibus, quæ Paulo lac dicuntur 1. *Cor.* III. 2. *Ebr.* V. 12. Differt autem hæc Theologia ſupernaturalis à naturali tùm ratione principiorum, cùm hujus quidem lumen naturæ, illius verò divina revelatio *Matth.* XVI. 17. *Joh.* I. 18. I. *Cor.* II. 10. per ſcripturam facta *Lucæ* XVI. 29. *Joh.* XX. 31. *Rom.* XV.4. 2.*Tim.*III.16. 17. principium ſit, tùm ratione contentorum dogmatumque tùm denique ratione effectus, qui apud Theologiam naturalem, ſi ſalutem reſpicias, nullus eſt niſi pædagogicus atque ad externam ſaltem diſciplinam inter homines ſtabiliendam, non ad ani-

Digitized by Google

mum hominis convertendum facit eoſque, qui contra lumen naturæ peccant, facit inexcuſabiles, cùm è contrario per lumen revelationis homo convertatur & ad vitam æternam perducatur. Diſtinguitur & porrò Theologia in Paradiſiacam & Evangelicam, inter Theologiam viæ & Theologiam patriæ 1. *Cor.* XIII. 12. inter Theologiam ἀρχέτυπον quæ competit DEO Patri *Matth.* XI. 27. Filio *Col.* II. 9. & Spiritui S. 1. *Cor.* II. 10. 11. & ἔκτυπον, quæ competit humanæ naturæ Chriſti *Luc.* II. 40. Angelis *Matth.* XVIII. 10. & hominibus 1. *Cor.* XIII. 12. catecheticam & acroamaticam, quæ deinde in exegeticam, theticam, moralem, polemicam, homileticam, hiſtoricam, canonicam & caſualem dividitur. Aſt hæ diſtinctiones omnes magnam in hoc articulo utilitatem haud habent atque eapropter ſaltem à nobis repetuntur, ne à τρόπῳ παιδείας recepto nimis abeamus.

§. X.

Jam & ubi de Theologiâ ſive dogmatum Chriſtianorum ſcientiâ practicâ verba fecimus, paucis tradendum eſt, quî eadem in ſyſtema certum fuſa eamque in formam conjecta fuerit, in quâ hodie conſpicitur. Non autem hic dabimus hiſtoriam ſymbolorum, inter quæ ſymbolum Apoſtolicum ſive Romanum Nicænumque poſtea auctum primas tenent, datam à plurimis, maximè KINGIO, WHISTHONO & ZORNIO, dignamque, quæ penitius evol-

evolvatur. Nec catalogum quoque inibimus confeſſionum fidei aut catechiſmorum, vel eorum Patrum veterum, qui dogmatum Chriſtianorum farraginem ſcriptis ſuis complexi fuere, quales exſtitere Clemens Alex. Lactantius, Auguſtinus aliique plurimi, ſed eos maximè licet breviſſimis tacturi ſaltem ſumus, qui pleniora ſyſtemata dedere. Inter Græcos primus hic nominandus venit Jo. Damaſcenus, cujus de fide orthodoxa opus cuivis profectò inſpiciendum nuper in Galliâ denuo edidit Michael Lequien. Syſtemata verò polemica condidere Euthymius Zigabenus & Nicetas Choniates. Compendium verò exhibet Confeſſio orthodoxa Eccleſiæ Græcæ. Inter Latinos memorandi ſunt Scholaſtici, primi ſyſtematum autores, Petrus Abailardus, cujus introductionem theologicam nuper edidit Edm. Martene, Petrus Lombardus, ſententiarum qui Magiſter audit, Thomas Aquinas cæterique, quos nominare ſuperfluum eſt. Inter Pontificios eminent Caniſius, Canus, Bellarminus, Becanus, Theologi Salmanticenſes, Du Hamel pluresque alii, quos ſecundum nationum ordinem diſponere poſſemus, ſi hoc jam nobis conſtitutum eſſet. Inter noſtrates præcipui ſunt Melanchthon, Heerbrandus, Chemnitius, Haſenreſferus, Gerhardus, Hulſemannus, Calovius, Königius, Scherzerus, Quenſtedius, Bajerus & qui doctrinam de fœderibus divinis Theologiæ noſtræ

C 5 primus

primus pleniorem intulit, digniſſimus noſter Cancellarius, JÆGERUS. Addendi ob lites nuperas, quæ Eccleſiam noſtram agitavere, ſunt Schelguigius & Langius. Inter Reformatos conſulendi ſunt Heideggerus, Wendelinus, Turrettinus, Burmannus, Braunius, Spanhemius, Marckius, Vitringa. Inter Anglos Pearſonius & Burnetus, quorum ille ſymbolum Apoſtolicum, hic articulos Eccleſiæ Anglicanæ notis adſperſere, inter Remonſtrantes Epiſcopius, Curcellæus, Limburgius, Clericus, inter Quakeros Barclajus, ex Socinianorum ſcriptis Catechiſmus maximè Racovienſis & Bibliotheca Unitariorum conferri poſſunt. Quæ ipſa non eam ob rem monemus, acſi exiſtimaremus, iſtos omnes libros ſyſtematicos cuivis ſtudium Theologiæ dogmaticæ adgreſſuro perlegendos eſſe, ſed ut notitiam ſaltem hiſtoricam Theologiæ dogmaticæ tantiſper exhibeamus. Hic enim vel maximè valet illud Senecæ *Ep.* 2. *Illud vide, ne iſta lectio multorum auctorum & omnis generis voluminum habeat aliquid vagum & inſtabile. Certis ingeniis immorari & innutriri oportet, ſi velis aliquid trahere, quod in animo fideliter ſedeat.* Et Quintiliani *Inſtit. Orat.* L. X. C. 1. *Optimis aſſueſcendum eſt & multà magis quam multorum lectione firmanda mens & ducendus eſt color.* Tutiſſimum id eſt & ſolidiſſimum, ut totam ſacram ſcripturam ſincero veritatis amore incitati ſub ductu Spiri-

tu

Digitized by Google

tus S. rejectis quibuscunque præjudiciis legamus, & quævis, quæ nobis occurrunt, dicta ſuos in ordines articuloſque referamus, atque ex iis vel tandem doctrinæ ſyſtema noſmet ipſi conficiamus, ubi ſatis quidem perſpicaciæ & judicii heic menti noſtræ inſederit. Et ſic deinde aliorum inſtitutionibus ſyſtematicis eò magis adjuvari eòque felicius uti poterimus, ubi hàc ratione ad convictionem divinam plenariamque nobis viam ſtraverimus, nullo amplius ἀνέμῳ τῆς διδασκαλίας κλυδωνιζόμενοι καὶ περιφερόμενοι *Eph.* V. 14. aut pyrrhoniſmo cuidam theologico, quo nihil miſerius excogitari poteſt, portam aperturi, ſed firmati corde, quod gratiâ fit *Ebr.* XIII. 9.

✡✡✡✡✡✡✡✡✡✡✡✡✡✡✡✡✡✡✡✡✡✡✡

ARTICULUS III.

DE FONTIBUS RELIGIONIS CHRISTIANÆ *SIVE* DE SCRIPTURA SACRA.

§. I.

POſtquam de veritate atque conſtitutione reli-

religionis Chriſtianæ egimus, ordo poſcit, ut jam de fontibus, ex quibus eadem peti debeat, agamus. Hos verò Scripturam ſacram, quam vulgò nuncupamus, ſive libros illos & ſcripta, quæ & Judaicæ religionis antiquiſſimi Scriptores & primi religionis Chriſtianæ fundatores doctoreſque nobis reliquerunt, eſſe, ipſa rei natura dictitat nemoque Chriſtianus diffitetur, niſi quod Eccleſiæ Romanæ filii ajant, omnia religionis Chriſtianæ placita creditu neceſſaria in libris canonicis N.T. haud expreſſa reperiri, ſed vel per traditionem oralem propagata eſſe, donec per Concilia Oecumenica & Pontificum Romanorum decreta Patrumque Eccleſiæ ſcripta efferrentur, vel demùm à Conciliis & Pontificibus Romanis, divinâ ad hoc opus autoritate donatis, ſtatuta & formata fuiſſe. Quæ ipſa num ita ſe habeant, jam hic non diſquirimus, queis de genuinis religionis Chriſtianæ fontibus hoc eſt de Scripturà ſacra primùm agendum erit.

§. II.

Ut autem ab ovo rem ordiamur, ſciendum, doctrinam fidei ab initio in ſcripturas haud relatam ſed per continuas ferè divinas revelationes Patriarchis factas traditionemque, quæ ob longævitatem Patriarcharum eò facilior certiorque exſtitit, propagatam fuiſſe. Decreſcente verò humanæ vitæ periodo placuit DEO, Viris ſanctis ſubinde ſcriptionem rerum injun-

Digitized by Google

injungere. Primus, qui ſcribendi mandatum à DEO accepit, fuit Moſes, quem Prophetæ ſecuti ſunt. *Ex.* XVII. 14. XXXIV. 27. *Deut.* XXXI. 19. 22. *Jeſ.* VIII. 1. XXX. 8. XXXIV, 16. *Jer.* XXX. 2. XXXVI. 2. 28. *Ezech.* XLIII. 11. *Habacuc* II. 2. *Apoc.* I. 11. 19. II. 1. 8. 12. 18. III. 1. 7. 14. XIV. 13. Et Moſes quidem librum fœderis legisque ſcripſit, *Ex.* XXIV. 4. 7. XXXIV. 24. ſqq. *Joſ* I. 7. 8. VIII. 31. 34. 2. *Reg.* XIV. 6. 2. *Chron.* XVII. 9. XXIII. 18. XXV. 4. XXX. 16. XXXI. 3. XXXV. 11. 12. *Neh.* XIII. 1. *Dan.* IX. 11. 13. *Ezr.* III. 2. VI. 18. nec ſaltem legem ſed etiam hiſtorica exaravit, uti patet ex *Ex.* XVII. 14. *Num.* XXXIII. 2. Unde & auctor Pentateuchi eſt Chriſto *Joh.* V. 46. 47. *Marc.* XII. 26. *Luc.* XXIV. 27. Pauloque *Rom.* X. 5. 2. *Cor.* III. 15. *Act.* XV. 21. etſi haud negari poſſit, libris Moſaicis ſeriorem manum, nullâ tamen privatâ ſed plenâ autoritate pollentem acceſſiſſe eoſque in eum ſtatum, in quo nunc ſunt, redegiſſe. Ita vero dein & alii Judæorum vel Antiſtites vel Prophetæ veteres NUTU DIVINO & acta populi iſtius & vaticinia & morales libros conſcripſere, quos in unum ſyſtema jactos ea integritate, quam nullus alius antiquior liber jactitare poteſt, divina nobis providentia maximo miraculo ſervavit. Scilicet liber Moſis Deut. XXXI. 26. in arcam fœde-

ris

ris Domini fuit repoſitus, ubi & libri Eccleſiæ Judaicæ publici poſtea, ſi conjecturis hic agere rem liceat, cuſtoditi fuere. Certe de Joſua legitur, quod verba fœderis ſcripſerit in libro legis DEI, hoc eſt ſcripto Moſis adjecerit *Joſ.* XXIV. 26. id quod & de jure Regio 1. *Sam.* X. 25. memoratur, ajuntque & Judæi & Chriſtiani ſcriptores, veteres libros canonicos omnes Eccleſiæ Judaicæ in arcâ fœderis olim repoſitos jacuiſſe. Unde & liber Legis ab Hilkia, ſacerdote ſummo tempore Joſiæ Regis Judæ in templo inventus legitur. 2. *Reg.* XXII. 8. 2. *Chron.* XXXIV. 14. Cæterùm arcam hanc cum templo in excidio Hieroſolymitano priore periiſſe omnino probabile eſt, quicquid & 2. *Macc.* II. 5. & à Judæorum Doctoribus hic fabuloſi referatur. Novam tamen poſt captivitatem Babylonicam arcam, in qua libri ſacri fuerint reconditi, factam fuiſſe Patres aſſerunt. Cæterùm, etſi autographa in excidio templi periiſſe probabile ſit, apographa tamen *Eſr.* VI. 18. *Nehem.* VIII. 1. *Dan.* IX. 11. *Mal.* IV. 4. conſervata fuere, quæ collegiſſe arbitramur (in re enim obſcura, qualis eſt hiſtoria textus Biblici, conjecturis vel tandem indulgendum eſt) Eſdram, qui eapropter *Eſdr.* VII. 6. dici videtur *ſcriba velox in lege Moſis* & ab Artaxerxe ibidem commate 21. *ſcriba legis DEI cœli conſummatus*, qui juxta verſum 10. *paraverat cor ſuum,*

Digitized by Google

ſuum, ut requireret legem Jehovæ. Nehem. VIII. 1. ſqq. Eſdram in hoc rerum ſtudio ſecuti ſunt Nehemias & Judas Maccabæus 2. *Macc.* II. 13. 14. & cæteri populi Judaici poſt reditum è captivitate Babylonica Antiſtites, à Judæis viri ſynagogæ magnæ nuncupati, de quibus & iidem multa ſubinde narrant & quos de collectione librorum ſacrorum valde ſolicitos fuiſſe nullum dubium eſſe poteſt, quod & ex Joſephi L. I. contra Apionem & ex Talmude patet. Unde & ſub Ptolemæo Philadelpho & ſequente pone tempore libri ſacri in Græcam linguam eo fere ordine translati fuere, in quo nunc exſtant, memoratque etiam duodecim Prophetas Sirachides, id quod oſtendit, eo tempore utique jam confectum Judaicum canonem fuiſſe. *Eccl.* XLIX. 12. Et verò hoc à viris Synagogæ magnæ, hoc eſt, ab antiſtitibus populi Judaici poſt captivitatem Babylonicam fieri debuit, cenſentibus ita & Talmudicis Scriptoribus & Patribus. Quod dum ponimus, haud negligendam hìc cenſemus diſtinctionem inter *canonem Hebraicum* & *Helleniſticum*, hìc omnino adhibendam. In canone ſcilicet Hebraico, qui & profectò purior ſine ullo dubio fluxit, utpote ab antiſtitibus populi Judaici confectus, ii ſaltem libri conſpiciuntur, quos adhucdum Judæi habent, numero XXIV. in tres partes diviſos, uti habet Elias

Elias Levita in præfatione maſoret hammaſoret: לא היו הכ״ד ספרים מחברים יחד והם חברום ועשו מהם ג׳ חלקים תורה נביאים וכתובים: *Non fuerunt 24. libri una colligati, ſed* viri Synagogæ magnæ *conjunxerunt eos ac fecerunt ex ipſis tres partes, legem, Prophetas & Hagiographa.* Quam diſtinctionem fere Chriſti tempore uſitatam fuiſſe oſtendunt allegationes N. T. ubi ſcriptura mox dividitur in Moſen & Prophetas *Luc.* XVI. 29. 31. mox in legem & Prophetas *Matth.* XXII. 40. denique in Moſen, Prophetas & Pſalmos, ubi Pſalmi pro Hagiographis poni quis haud ſine veritatis ſpecie exiſtimaverit, quia primum in iis locum occupant. At vero alius ab Hebraico Canone eſt *Helleniſticus*, Judæorum, qui, quod gentibus immixti fuere, Græcâ linguâ uſi ſunt adeoque libros ſacros non ſaltem ex Hebraico verſos ſed & Græcè ſcriptos, ſive publicam ii auctoritatem ſive minus nacti eſſent, in ſuum canonem, prolixiorem eundem & haud ſatis curatum admiſere. Conſtat autem, canonem Hebraicum (ſignificat verò canon hic nihil aliud quam regulam ſive indiculum librorum ſacrorum publica autoritate, ut αὐθεντίας eorum perpetuum publicumque teſtimonium exſtaret, confectum) libroſque, quos iſte comprehendit, Hebraico idiomate (pauciſſima enim Chaldaica ſunt *Jer.* X. 11. *Eſdr.* IV. 7. usque ad VI. 19. VII. 12-27. *Dan.* II. 4. uſque ad VIII.) conſcriptos

ſcriptos atque publicè & in ſynagogis lectos fuiſſe *Nehem.* VIII. 2. ſqq. *Luc.* IV. 16. ſqq. & *Act.* XV. 21. De literis num Samaritanæ aut Aſſyriacæ, quæ moderna ſcriptio eſt, fuerint, anceps quæſtio eſt, ipſis Judæis in Talmude mox affirmantibus, Samaritanam ſcripturam primam fuiſſe, cui poſt captivitatem Babylonicam ſuperinducta fuerit Aſſyriaca ſive quadrata, mox in alia omnia, qui populi mos eſt, euntibus. Ita & de punctis vocalibus diſſeritur variè, quibusdam ea ad Moſen, quod omninò falſum, aliis ad Eſram, quod probari nequit, aliis denique ad Doctores Judæorum ſequiores haud male referentibus, qui poſtremi ſane ſine controverſiâ errarent, ſi per κεραίαν *Matth.* V. 18. punctum vocale deſignaretur. Diſtinctio legis Moſaicæ in quinque partes à Viris Synagogæ magnæ facta eſt, quod ex verſione Græcâ & Talmude patet. Diſtinctio verò in paraſchas, haftaras, ſidras, ſectiones denique apertas & clauſas haud ſanè recens quo tempore cœperit, ipſi inter ſe Hebræi altercantur. Diſtinctio denique in capita à Chriſtianis ad Judæos, illa verò in verſus à Judæis antiquioribus ad hoſce tranſiit. Atque hæc de hiſtoriâ librorum veteris Teſtamenti ſufficiant. Jam de divinitate & integritate eorundem nobis diſſerendum eſt.

§. III.

Divino inſtinctu ſcriptos eſſe libros veteris Teſtamenti non ſaltem ex Judæorum traditione apparet, qui quidem heic varios inſpi-

rationum gradus diſtinguunt, & primo quidem præcipuoque loco legem Moſis, ſecundo Prophetas, tertio cæteros ſcriptores ſacros habent, hiſque inferiorem inſpirationis gradum tribuunt, quæ ברוח הקדוש per Spiritum ſanctum excitantem conceptus & aptantem verba peragitur ſed & ex ſcriptis novi Teſtamenti diſpaleſcit, ubi ſcriptura veteris Teſtamenti vocatur λόγια τοῦ θεοῦ *Rom.* III. 2. quemadmodum & Devteronomium *Eſai.* XXXIV. 16. ספר יהוה dicitur, ἱερὰ γράμματα & γραφὴ θεόπνευστος 2. *Tim.* III. 15. 16. αἱ γραφαὶ ἅγιαι *Rom.* I. 2. προφητεία γραφῆς 2. *Petr.* I. 20. 21. γραφαὶ προφητικαὶ. *Rom.* XVI. 26. ut taceamus, ſcripturam veteris Teſtamenti in novo & junctim ſub titulo γραφῆς & γραφῶν itemque ſigillatim tanquam normam fidei verbumque divinum allegari. Quæ omnia argumenta in unum ſi jungantur, rem ſatis hactenus conficiunt, etſi magna hîc diſtinctio facienda ſit inter locutionem Prophetarum veteris Teſtamenti, quam utique divino impulſu & inſpiratione factam eſſe, id quod de ſe David 2. *Sam* XXIII. 2. aliique plurimi & de iiſdem Zacharias *Luc.* I. 70. Paulus *Hebr.* I. 1. & Petrus 2. *Pet.* I. 21. prædicant, nemo negat, & inter ſcriptionem rerum per inſpirationem prædicatarum, cujus tamen expreſſa mandata ſupra attulimus, & quam nempe γραφὴν Paulus in citato loco quo-

quoque **θεόπνευστον** dicit. De integritate verò ubi agitur, ea intelligitur vel totalis vel partialis. Totalis illa eſt, juxta quam nullus liber è Canone periiſſe dicitur, partialis illa, juxta quam textus ſacer ab omni corruptione putatur eſſe alienus. Quoad priorem certum omnino eſſe exiſtimamus, nullum librum è canone ab Eſdra, Nehemiâ & Viris ſynagogæ magnæ confecto periiſſe, neque etiam in Canone noſtro exſtare libros, qui ad eum haud pertineant, aut deſiderari, qui adhuc exſtant atque inſerendi in eum videantur. E Canone nullos periiſſe ex eo conſtat, quoniam, qui periiſſe dicuntur, *vel in Canone hodie adhuc exſtant*, uti liber fœderis *Ex.* XXIV. 7. qui in ipſa Exódo continetur *C.* XX. ſqq. Jus Regium I. *Sam.* X. 25. quod I. *Sam.* VIII. 11. ſqq. exſtat, liber Domini *Eſaj.* XXXIV. 6. quem Devteronomium eſſe ſupra diximus, verba Samuelis, Nathanis & Gad 1. *Chron.* XXX. 29. quæ in libris Samuelis & Regum exſtare haud ſine probabilitate affirmari poteſt. Nec dicitur ſolide, hoc eapropter ſtatui non poſſe, quia juxta verſ. 30. ii ſcripſiſſe referantur non tantùm de temporibus Iſraëlis ſed & omnibus regnis terrarum, cum hæc regna hìc intelligantur, quæ vicina Judæis fuere, Philiſtæorum nempe, Moabitarum & reliquarum gentium, cum quibus Judæis res fuit. Addi debet Prophetia Ahiæ Silonitæ & viſio

ſio Jidonis 2. *Chron.* IX. 29. cum verbis Semajæ 2. *Chron.* XII. 15. itemque verba Jehu ben Hanani 2. *Chron.* XX. 34. quæ omnia in libris Regum exſtant, ubi nec id, quod ex 2. *Chron.* IX. 29. objicitur, valet, cum ibi non affirmetur, Jidonem ſuas contra Jeroboamum viſiones ſcripto mandâſſe, *vel ad Canonem nunquam pertinuere*, uti liber bellorum Domini *Num.* XXI. 14. liber juſti *Joſ.* X. 13. liber verborum Salomonis 1. *Reg.* XI. 41. liber verborum dierum Regum Iſraëlis 1. *Reg.* XIV. 19. liber verborum dierum Regum Juda 1. *Reg.* XIV. 29. XV. 7. liber Regum 2. *Chron.* XXIV. 27. verba Chodſai 2. *Chron.* XXXIII. 19. verba Uſiæ à Jeſaja ſcripta 2. *Chron.* XXVI. 22. tria millia parabolarum Salomonis & cantica ejus quinque millia nec non libri ejusdem phyſici 1. *Reg.* V. 12. 13. Chronicon Perſarum & Medorum *Eſth.* X. 2. & literæ Uriæ, 2. *Sam.* XI. 14. 15. niſi hos ipſos libros ex parte in libris in Canone adhucdum exſtantibus conſervatos eſſe velis, *vel denique nunquam ſcripti fuere*, uti plura Prophetarum oracula, quæ & ſubinde in novo Teſtamento juxta quosdam ex traditione vel revelatione nova allegantur, uti *Matth.* II. 23. XXVII. 9. 10. 2. *Tim.* III. 8. *Judæ.* 9. prophetia Enochi *Judæ* 14. & *verba antiqua*; quorum mentio eſt 1. *Chron.* IV. 22. Nec dubitandum eſt, plurimos olim libros ante & poſt captivitatem Babylonicam à Viris quoque ſanctis ſcriptos fuiſſe, qui tamen in Canonem

nonem certo conſilio poſtea relati haud fuere, cùm liber etiam inſpiratus eſſe potuerit & tamen minus Canonicus. Allegantur & 2. *Macc.* II. 1. **ἀπογραφαὶ** Jeremiæ & v. 24. Jaſonis Cyrenei 5. libri & 1. *Macc.* XVI. 24. hiſtoria Jo. Hyrcani Pontificis, quæ hodie non amplius exſtant. Cæterum & Apocrypha & Pſeudepigrapha veteris Teſtamenti jam non moramur. Apocrypha ex eâ ratione dicuntur, quod eadem, utpote haud divina, abſcondi potius quàm produci in Eccleſiâ tanquàm norma debebant. Et certè ea revera ad Canonem haud pertinere conſtat (1) quia in Canone Hebræo, ad hunc enim nos remittit Paulus *Rom.* III. 2. haud exſtant, etſi ſubinde à Talmudicis quoque Doctoribus valde commendentur, (2) quia poſt Malachiam, qui ſigillum Prophetarum eapropter dicitur 1. *Macc.* IX. 27. & *Mal.* III. 23. 24. Prophetiam ſuam cum miniſterio Jo. Baptiſtæ & adventu Chriſti Canone Veteris Teſtamenti ita obſignato connectit, nullus amplius divinitus inſpiratus homo ſcripſit, (3) quia nec primitiva Eccleſia purior & antiquior (de ſequiore enim jam nobis quæſtio non eſt) Apocryphos libros in Canonem recepit, uti ex Conſtit. Apoſt. L. II. C. 57. canonibuſque Melitonis apud Euſeb. Hiſt. Eccl. L. IV. C. 26. Origenis apud eundem L. VI. C. 25. Athanaſii, Cyrilli Hieroſolymitani, Concilii Laodiceni, Gregorii Nazianzeni, Hieronymi, Ruffini, Hilarii, Damaſceni aliorum-

que Patrum veterum patet, (4) quia in novo Teſtamento ut regula fidei haud citantur, (5) quia libri hi intrinſeca habent criteria, ex quibus perſpicere eſt, quòd inſpirati haud ſint. Quæ, cùm ſufficienter in ſynopſi Thummiana à venerando Parente noſtro adducta ſint, heic non repetimus. Quod verò Pſeudepigrapha attinet, quæ Vir eximius JO. ALB. FABRICIUS in *veteris teſtamenti codice pſeudepigrapho* exhibet, tàm elumbia illa ſunt, ut ceu bullæ difflari poſſint. Atque hæc de integritate totali jam ſufficiunt. Integritatem partialem quod attinet, optandum quidem eſſet, ut, queis literis ante captivitatem Babylonicam codex ſacer deſcriptus exſtiterit, certò determinari & quòd puncta hodierna literis coæva ſint, demonſtrari poſſet, quâ ratione plurima jam dubia heic tollerentur. At verò, cùm ipſi Judæi, à quibus hiſtoria rerum hìc peti debet, inter ſe plurimùm hìc diſſideant, traditio etiàm eorundem communis literas Hebraicas, queis nunc utimur, Aſſyriacas eſſe ferat, ab Eſdra veteribus Hebraicis, quæ jam Samaritanæ ſunt, divino licet inſtinctu vel divinâ ſaltem permiſſione ſubſtitutas, puncta verò vocalia ab iiſdem vel Moſi, quod falſiſſimum eſt, vel Eſdræ, quod probari nequit, vel Maſoretis, qui vel ante vel poſt Talmudem collectum vixere, adſcribantur, certè tempore Chriſti Apoſtolorumque literis nondum appoſita

appoſita eſſe videantur, multis hoc argumentum tenebris, è quibus nulla certa lux heic proficiſci poteſt, involutum eſſe patet. Quicquid autem hujus ſit, id ἐξαγώνιον eſt, codicem Hebræum nulla corruptione præcipuâ & quæ vel dogma quoddam fidei vel principalem quandam prophetiæ cujusdam vel hiſtoriæ circumſtantiam afficiat, laborare. Id quod conſenſus codicum manu ſcriptorum mirus, conſenſus itidem verſionum & allegationum hactenus demonſtrat, demonſtrat & tùm Chriſti Apoſtolorumque & Patrum Eccleſiaſticorum veterum ſilentium, qui profectò, ſi talis facta fuiſſet depravatio, eam in libris novi Teſtamenti notâſſent, demonſtrat denique & Eccleſiæ Judaicæ & Chriſtianæ vigilantia, cùm, ſi tale quid accidiſſet, id & à Judæis, qui ipſi heic in ſectas abiere, & à Chriſtianis fuiſſet notatum, demonſtrat denique vel rei ipſius impoſſibilitas, cùm, tot codicibus deſcriptis, fieri non poſſit, ut omnes uno eodemque tempore corrumpantur. Nullas tamen planè corruptiones univerſales in minutioribus reperiri neſcio num dici poſſit, cùm in nullo hactenus, qui exſtet, antiquiore libro easdem humana caverit natura nemoque hactenus ſtatuerit, librarios, qui libros ſacros deſcripſere, in actu deſcriptionis fuiſſe θεοπνεύςυς & infallibiles. Accedit verſionum Græcæ, Samaritanæ & Chaldaicæ in quibusdam à codice noſtro hodierno diſſenſio, ex quâ patet, interpretes hos

 ex

Digitized by Google

ex alio codice Hebraico, quàm qui noſter eſt, ſua extuliſſe, qui tamen præſtantiſſimis codicibus uſi fuiſſe rectè creduntur, accedunt allegata novi Teſtamenti & Talmudis à textu Hebraico hodierno ſubinde diſcrepantia, accedunt variationes infinitæ ſed minutiores codicum Hebraicorum adhuc exſtantium, ubi, quæ lectio præ aliâ admitti debeat, ſæpius ſub judice lis eſt, accedunt notæ criticæ veterum Grammaticorum Hebræorum, qui, quo tempore vixerint, certò nemini conſtat, etſi ante Talmudem quosdam vixiſſe haud diffiteamur, ex quibus omninò videre eſt, eos, ubi textum Biblicum de novo ex codice vetuſtiſſimo recenſuere, varia in iſto codice menda reperiſſe, quæ in textu quidem ſiverint permanere aſt in margine vel emendaverint vel ſaltem notis adſperſerint, confecto ſubinde utriusque lectionis & mendoſæ & correctæ ſymbolo atque in textum, quod fieri haud debebat, intruſo, unde monſtroſæ iſtæ lectiones, quæ כתיבן vocantur, rectioribus קריין ad marginem poſitis, in textu ſæpius viſuntur. Etenim, quamvis Maſoretæ maximam in numerandis literis vocibus verſibusque diligentiam poſuerint, ipſorum tamen opus ſepes legis dici jure merito haud poteſt (1) quia unicum ſaltem codicem pro fundamento obſervationum ſuarum contra omnes Criticæ regulas poſuiſſe videntur, (2) quia res planè haud poſſibilis eſt, omnes

omnes voces literaſque codicis ſacri exactè numerare, unde & iidem Maſoretæ ſubinde in numeris differunt ſibique invicem contradicunt & erràſſe deprehenduntur, licet nemo facile poſt eos numerum hunc ubique ineat, (3) quia opus ſuum nunquam ad finem perduxere, (4) quia ipſa Maſora corruptionem paſſa eſt, uti collationes codicum ipſius ad oculum monſtrant, (5) quia literarum enumeratio licet longe accuratiſſima nondum ſatis corruptionem impedit, cùm & per tranſpoſitionem, diſtinctionem & conjunctionem literarum punctorumque mutationem corruptio adferri poſſit, (6) quia ſi Maſora ubivis ſequenda eſſet, textus Hebraicus, quo hodie utimur, variis in locis eſſet reformandus, (7) quia denique Maſora, dum codicis, quem exhibet, menda notat atque ex ingenio Doctorum vel benè vel malè ſæpius corrigit, potius corruptionis Biblicæ teſtem agit, ut adeò miremur, eam autoritatem eandem jam obtinere, ut ferè ab omnibus ceu certiſſimum integritatis Hebraici codicis documentum adoretur, id quod & in cenotaphio Maſoræ, quod *Primitiis Tubingenſibus* inſeruimus, jam diximus. Tacemus verò heic lectiones variantes codicibus Hebraicis Biblicis additas à ben Aſcher & ben Naphtali, orientalibus & occidentalibus, quæ cùm minutiora ſaltem ſpectent, integritatem ſacræ Scripturæ veteris Teſtamenti potius ſtabiliunt quàm evertunt præſtantiſſimumque contra corruptionem librorum

Digitized by Google

librorum ſacrorum argumentum nobis fundunt, maximè ſi & hoc addamus, mendis iſtis minutioribus ope regularum criticarum manum ſubinde medicam adferri facilè poſſe. Quâ ratione ſi quis corruptionem codicis univerſalem etiam in minutioribus negaverit, à communi Theologorum noſtrorum ſententiâ prorſus haud abludet, etſi dicta, quæ pro hâc integritate omnimodâ veteris Teſtamenti communiter allegantur *Matth.* V. 18. XXIII. 2. *Luc.* XVI. 17. 29. *Joh.* V. 39. *Rom.* III. 2. imò & illa *Pſalm.* XII. 7. XIX. 8. 9. CXIX. 140. quæ HEIDEGGERUS in *Exerc. Bibl.* 2. §. 28. p. 27. tantoperè urget, utpote de *ſermonibus Domini* ſaltem vel promiſſionibus legibuſque divinis, de nulla ſcriptione, quæ & tum nondum abſoluta erat, multo minus de ſcriptione hodierna agentia, eam non evincant, uti in *Primitiis Tubingenſibus* P. I. p. 65. ſqq. evicimus. Atque hæc de libris Veteris Teſtamenti ſufficiant.

§. IV.

Libros Veteris Teſtamenti inſequuntur libri Novi Teſtamenti, quos eo ordine, quo probabiliter conſcripti fuere, juxta JO. PEARSONII & JO. MILLII ſententiam recenſebimus. A. C. 52. Claudii XII. ſcripta fuit Corinthi *Act.* XVIII. 5. utraque ad Theſſalonicenſes. A. 57. Neronis III. Philippis utraque ad Corinthios. A. 58. Neronis IV. Corinthi epiſtola ad Romanos & Troade fortaſſis epiſtola ad

ad Galatas. A. 60. Neronis VI. Jacobi minoris epiſtola Hieroſolymis. A. 61. Neronis VII. epiſtola 1. Petri Romæ & Evangelium Matthæi A. 62. Neronis VIII. Epiſtola ad Philippenſes, Epheſios, quæ tamen falſam inſcriptionem præferre quibuſdam videtur, Coloſſenſes & Philemonem Romæ. A. 63. Neronis IX. epiſtola ad Hebræos ex Italia & Marci Evangelium Romæ. A. 64. Neronis IX. Lucæ Evangelium & Acta Apoſtolorum in Ægypto & epiſtola ad Titum Coloſſis. A. 65. Neronis XI. epiſtola 1. ad Timotheum Philippis. A. 67. Neronis XIII. epiſtola 2. ad Timotheum & epiſtola 2. Petri Romæ utraque. A. 90. Domitiani IX. epiſtola Judæ. A. 91. vel 92. Domitiani X. vel XI. 3. epiſtolæ Johannis Epheſi. A. 96. Domitiani XV. ſive ultimo, Johannis Apocalypſis in Patmo. A. 97. Nervæ I. Evangelium Johannis Epheſi, cùm à Nerva ab exilio revertendi copia ipſi facta eſſet, uti referunt Irenæus, Euſebius & Epiphanius. Ex quo ipſo conſpicere eſt, Canonem novi Teſtamenti *Apoc.* XXII. 18. 19. haud clauſum fuiſſe, cùm & verba illa, ubi dicitur, nihil addendum vel detrahendum libro **τῆς προφητείας ταύτης**, ſolam reſpiciant Apocalypſin & **βιβλίον τȣτο**, quod memoratur, non totum novum Teſtamentum, cujus libri tùm nondum in ſyſtema fuſi erant & ad quod Evangelium Johannæum nondum tunc acceſſerat. Quemadmodum autem veteris Teſtamenti libri non

non uno actu & halitu in eandem collectionem conflati fuere ſed primùm quidem in unam maſſam jacti libri Moſaici, poſtea Prophetici, denique hagiographa, ita & factum in libris novi Teſtamenti eſt, ubi collectus primùm fuit codex Evangelicus, poſt Apoſtolicus vel epiſtolicus, id quod alibi luculentius enarravimus. Nec ſanè epiſtolicus Canon ab initio fuit integer, utpote in quo ſubinde epiſtola ad Hebræos, Jacobi & Judæ, Petri item poſterior, Johannis 2. & 3. cum Apocalypſi deſiderabantur, quarum illas Eccleſia Hieroſolymitana, has Aſiaticæ ſucceſſu temporis Canoni adjecere, ſequentibus hanc deciſionem aliis quoque Eccleſiis, aliis renitentibus, dum aliæ has, aliæ illas reciperent rejicerentve epiſtolas pro eâ ſcilicet, quam de eorum autoribus acceperant, traditione vel etiam pro præjudiciis, queis laborabant quoad dogmata aliqua in iſtis epiſtolis comprehenſa. Ita epiſtola Jacobi, quæ in primo canone epiſtolico locum non habuit, ab Eccleſia quoque Romana fuit improbata, quòd in articulo de juſtificatione ab epiſtola ad Romanos credebatur diſcrepare. Eam tamen poſt Palæſtinas Eccleſias recepit quoque Syriaca, Ægyptiaca, aliæ, denique & Romana, ſeculo demùm IV. ubi Hilarius Pictav. in Phrygiam relegatus hanc de Canonica epiſtolæ Jacobi autoritate traditionem in Occidentales Eccleſias inde ſecum detulit. Epiſtola Judæ diu inter ſcripta ἀντιλεγό-

μενα

Digitized by Google

μινα fuit poſita, donec ſec. IV. ubique fere reciperetur. Idem de epiſtola Petri poſteriore dicendum eſt. De epiſtola ad Hebræos uſque in VII. ſeculum dubitatum fuit à quibuſdam non quidem Orientalibus Eccleſiis ſed ab Occidentalibus, donec tandem & iſta ubique in Canonem inferretur. Id quod & de Apocalypſi notandum, ſerius ab omnibus recepta, cum tamen epiſtolæ Johannææ citius Canonem intrâſſent. Quæ omnia jam adductis veterum teſtimoniis luculentius hìc probare haud poſſumus, cùm peculiarem hæc res tractationem requirat, qualem doctiſſimi oppidò ex recentioribus Viri præſtantiſſimâque florentes eruditione compoſuere, qui datâ operâ Canonis Biblici hiſtoriam, tabellis quoque Canonum confectis, dederunt, ex quibus & id perſpicere eſt, totam tandem Eccleſiam unanimi conſenſu eum, quo nunc gaudemus, Canonem elegiſſe. Qui profectò longè perfectiſſimus eſt. Quamvis enim à Viris θεοπνεύστοις Novi Teſtamenti & alia fuerint ſcripta, quæ jam deperdita ſunt, uti ſunt, qui colligant ex 1. *Cor.* V. 9. 11. (niſi velimus hìc adhinnire FABRICIO *in Codice Apocrypho Novi Teſtamenti* p. 918. ſqq. & *Bibliothecâ Græcâ* L. 4. P. I. pag. 154. qui & in priore loco de aliis Pauli deperditis agit,) 2. *Cor.* X. 9. 10. 2. *Theſſ.* II. 15. III. 17. 2. *Cor.* III. 1. 2. *Pet.* III. 1. 15. 16. 1. *Cor.* VII. 1. XVI. 3. 2. *Cor.* VIII. 6. 16. 18. 22. XII. 18. *Phil.* II. 19. IV. 15. ſqq.

Digitized by Google

1. *Pet.* V. 12. 3. *Joh.* 9. (queis effatis tamen nolim addere *Col.* IV. 16. ubi ἡ ἐκ Λαοδικείας ἐπιστολὴ memoratur, non ſane Pauli ad Laodicenſes epiſtola, qualis ſuppoſititia quædam exſtat, ſed epiſtola ἐκ Λαοδικείας ſive à Paulo ſive à Laodicenſibus ſcripta, uti videre eſt ex FABRICII *Cod. Apocr. Novi Teſtamenti.* p. 853.) nemoque negaverit, præter ea, quæ exſtant, & alia ab Apoſtolis ſcripta fuiſſe, niſi qui exiſtimaverit, non adeò magnum fuiſſe Apoſtolorum Virorumque θεοπνεύστων cum Eccleſiis, quarum curam gerebant, commercium, id quod contra 2. *Cor.* XI. 28. militat, ex Canone tamen ſacro ſemel confecto ſive ex iis libris, quos continuo Eccleſiæ uſui deſtinaverat divina providentia, nihil periit. Neque enim ad librum Canonicum ſufficit, ut ſit divinitus inſpiratus, qui ejus Autor eſt, ſed & ut idem hic nullo in re fidei errore inquinatus, tanquàm regula fidei Eccleſiæ ſit traditus & perpetuo hujus teſtimonio tanquàm documento αὐθεντίας firmatus. Nec profectò quis & exiſtimaverit, in Canonem librorum novi Teſtamenti recipienda eſſe Patrum quoque Apoſtolicorum ſcripta, quæ in unam collectionem fudere COTELERIUS, CLERICUS & ITTIGIUS, vel libros Apocryphos illos & Pſeudepigraphos, quos in *Codice Novi Teſtamenti Apocrypho*, qui nunc recuditur, Hamburgi edidit FABRICIUS. De integritate itaque librorum novi Teſtamenti totali

res

Digitized by Google

res confecta jam eſt. De integritate partiali idem fere notandum, quod de libris veteris Teſtamenti diximus, nullam corruptionem notabilem in libris novi Teſtamenti conſpici, quæ dogma quoddam aut præcipuam hiſtoriæ quandam partem afficiat, id quod rurſus ex harmoniâ codicum ſumma conſpicere eſt, in quibus quæcunque conſpiciuntur varietates, ad minutias ferè relegandæ veniunt atque vel eapropter ſaltem integritatem librorum novi Teſtamenti oſtendunt. Conferenda tamen ſunt, quæ hanc in rem in *Primitiis Tubingenſibus* P. I. p. *66. 79.* 80. 81. poſuimus, ubi ad diſſertationem noſtram criticam de genuinis novi Teſtamenti lectionibus lectorem noſtrum ablegavimus. De divinitate & inſpiratione librorum novi Teſtamenti paucis monemus, eam exinde communiter deduci, quòd quâ veteris Teſtamenti libri θεόπνευςοι dicuntur, neceſſitate, eadem & in librorum novi Teſtamenti ſcriptione militare, adeoque etiam dicta 2. *Tim.* III. *16.* & 2. *Pet.* I. 20. 21. quod tamen ipſum maximè de *locutione* agit, hùc quoque ſpectare videntur, quòd porro, quia Apoſtolis coram tribunalibus conſtituendis θεοπνευςίας χάρισμα fuit promiſſum, etſi id renitentibus ſubinde iiſdem haud ſemper eo in caſu ſe exeruerit *Act.* XXIII. 5. ſqq. haud difficili connexione idem inſpirationis privilegium ad librorum quoque ſcriptionem, ubi

ubi illud haud minus, imò magis neceſſarium videri poterat, à noſtris applicatur, denique, quòd, quia teſtantur Apoſtoli, non ſaltem ſe res à ſe prædicatas à DEO accepiſſe *Gal.* I. 12. *Rom.* XVI. 26. 1. *Cor.* XI. 23. *Eph.* III. 3. ſed & ea extuliſſe verbis, quæ Spiritus Sanctus docet 1. *Cor.* II. 13. utpote qui nil eloqui poſſint, niſi quod Chriſtus ex iis eloquatur *Rom.* XV. 18. ita, ut ipſorum verbum deinde ab hominibus acceptum quoque fuerit non ut verbum humanum ſed ut verbum, quod & erat, divinum 1. *Theſſ.* II. 13. id ipſum non ad prædicationem ſaltem ſed & ad ſcriptionem quò minus referatur, nihil impedit, res autem ipſa haud obſcurè ſuadet, ut taceamus, τὸ ἄνωθεν, quod *Luc.* I. 3. exſtat, etſi id rectè à Luthero verſum ſit **von anbegin /** ad inſpirationem deſurſum factam quoque referri. Aſt hæc quidem mox recurrent, ubi data operâ ſed brevibus noſtram de inſpiratione Scriptorum ſacrorum ſententiam enarrabimus.

§. V.

Num ergò Scriptura ſacra exſtet, quod neſcio cur tàm operoſe quidam probent, & quid Scriptura ſacra ſit, prolixiùs definire jam ferè cum lectorum Chriſtianorum, maximè doctiorum, injuriâ conjunctum eſſe quis exiſtimaverit, quibus profectò definitionem rei maximè cognitæ dare res propemodum inutilis videtur. Sequamur tamen, ſi placet, receptum παιδείας τρόπον. *Scriptura ſacra* eſt verbum DEI imme-

diatè

diatâ Spiritus Sancti inſpiratione per Prophetas in veteri & Apoſtolos atque Evangeliſtas in novo Teſtamento in literas relatum, ut eſſet certiſſimum & unicum fundamentum ac norma fidei & vitæ ad ſalutem æternam. Hæc jam definitio ut explicetur, per methodum cauſarum communiter Theologi procedunt. Et hìc quidem primùm ſe offert cauſa efficiens principalis, quæ ſine dubio ullo DEUS eſt. *Jeſ.* XXXIV. 16. *Rom.* III. 2. 2. *Tim.* III. 16. ubi tamèn notandum, omnia iſta dicta de Patre, Filio & Spiritu-Sancto per Viros ſanctos loquentibus, quæ communiter adferri videas, gratis adduci, quia, ut ſcholaſticè mentem noſtram exſcribamus, à *locutione* ad *ſcriptionem* non valet conſequentia eaque, quæ per inſpirationem prædicantur, ſine inſpiratione ſcribi poſſunt, vel potius is, qui per inſpirationem loquitur, ſine inſpiratione ſubinde ſcribere poteſt. Quænam Scripturæ ſacræ cauſæ inſtrumentales ſint, multis probare abſonum eſſet, cum tituli librorum ſacrorum ſatis id oſtendant. Sed afferuntur tamen loca e. g. *Hebr.* I. 1. 2. *Pet.* I. 21. & plurima alia, quæ rurſus ſaltem de locutione agunt, ubi profecto iſtis probationibus longius petitis opus non habemus, cùm loca de ſcriptione agentia ubivis occurrant, queis tamen & ipſis in re tàm clarâ, ut lux diei affundatur, opus non eſt. Id verò nullatenus heic negligendum eſt, quod inter omnia præcipuum

 eſſe

eſſe videtur, nempe ut doctrinam de inſpiratione Scriptorum ſacrorum curatè hìc & perſpicuè ſolideque itidem tradamus. Præſupponimus autem hìc, (1) nullum eſſe dubium, Prophetas veteris Teſtamenti LOCUTOS FUISSE actos à Spiritu ſancto 2. *Pet.* I. 21. id quod tamen prolixè hìc nobis diducendum haud eſt, qui jam non de locutione ſed de ſcriptione agimus. (2) Idem de Apoſtolis in novo Teſtamento dicere liceat, qui ducti fuere in omnem veritatem *Joh.* XIV. 26. XVI. 13. ſqq. illuminati in die Pentecoſtes *Act.* II. & immediatis ſubinde revelationibus donati, uti ex Actis præcipuè adparet, etſi etiam poſt illuminationem Pentecoſtalem ſubinde in rebus graviſſimis e. g. in articulo de vocatione univerſali & de ſervatione legis Moſaicæ vel errarent vel dubii hærerent. Alioqui certa erat eorum non in converſatione, ubi peccavit Petrus *Gal.* II. 11. 14. Paulus *Act.* XXIII. 5. & Johannes *Apoc.* XIX. 10. XXII. 9. ſqq. ſed in doctrina infallibilitas, utpote queis datus erat Spiritus ſanctus *Joh.* XX. 22. 23. miraculis eam ſubinde confirmantibus, *Marc.* XVI. 20. *Hebr.* II. 2. ſqq. quæ & ſine infallibilitate ſuâ ſummâ alioqui fundamentum totius Eccleſiæ inconcuſſum eſſe non poſſet. *Eph.* II. 20. *Apoc.* XXI. 14. ut taceamus, ſummam Apoſtolorum & Virorum Apoſtolicorum in ſcribendo ſinceritatem ubique elucere, utpote qui nec fallere voluerint nec potuerint & quorum rela-

Digitized by Google

relationes ſcriptis quoque & Gentilium & Judæorum ſubinde confirmentur. Notandum eſt (3) communem Eccleſiæ Judaicæ de inſpiratione librorum veteris Teſtamenti ſententiam in novo Teſtamento fuiſſe approbatam *Rom.* III. 2. I. 2. 2. *Tim.* III. 15. 16. Unde non arbitramur, audiendos eos, qui putant, **γραφὰς ἁγίας** & **ἱερὰ γράμματα** hic ſaltem hoc donari nomine, quia de rebus ſanctis agant, non quia immediatè inſpirata ſint, vel **λόγια θεοῦ** ſaltem dici, quia contineant divina oracula, non quòd mediante divina inſpiratione ea conſcripta ſint, cùm **γραφὴ θεόπνευστος**, quæ Paulo dicitur, omnino ipſam ſcriptionem ex inſpiratione oriundam eſſe clamitet. Quod ubi ſupponitur, jam duæ hæ quæſtiones nobis curatius rem ponderantibus emergunt. Prima, quid per vocem **θεόπνευστον** Paulus hic indigitet? Secunda, num Paulus hic non ſolùm ad vetus Teſtamentum, de quo textus agere videtur, ſed & ad novum reſpiciat? Ad primam quæſtionem noſtrates ita reſpondent, ut ajant, per **γραφὴν θεόπνευστον** eam intelligi Scripturam, cujus tùm res tùm verba à Spiritu S. immediatè Scriptoribus ſacris ſuggeſta atque in calamum dictata fuerint. Ubi tamen notandum, MUSÆUM ſuggeſtionem ad ea, quæ Scriptoribus ſacris incognita erant, adeoque revelationem reſtringere, ad cætera nonniſi excitationem idearum requirere, CALIXTUM verò directionem aſſiſtentiamque

Digitized by Google

externam, ne in errorem inciderent, ſaltem in rebus jam notis ſtatuere verbaque inſpirata eſſe inficiari, DANNHAWERUM denique curatiſſimè ſententiam ſuam emphaticis hiſce terminis proferre, θεόπνευσιν eſſe à Spiritu Sancto non ſolùm (1) aſpirante cùm juſſu externo vel generali vel ſpeciali vel ſpecialiſſimo tùm pædagogia antecedanea directrice & erroris præcautrice utpote quæ quidem ſola Scripturam ſacram præſtitiſſet infallibilem, nondum tamen proprie θεόπνευστον, nec ſolùm (2) poſtſpirante per conſequens teſtimonium ſed (3) inſpirante per gratiam præſentiſſimam concomitantem, accurante, ne vel in puncto erraret ſcriptor, REVELANTE de novo res ratione humana ſuperiores, MODERANTE & DIRIGENTE conſignationem eorum, quæ vel viſu vel auditu accepiſſet, ſuggerente, quæ exciderunt, cavente errorem, ne levioribus quidem exceptis, dictitante verba aptiſſima, ſanctificante ſibique appropriante, & denique (4) reſpirante, quoties debito ordine oraculum ſacræ Scripturæ quæritur. Cæterùm non ſolùm res ſed etiam verba inſpirata eſſe ex eo probant noſtri, quòd hîc exſtet πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος voculaque πᾶσα non ſolùm res ſed etiam verba includat. Ex quo patet, locum hunc omninò valdè premendum eſſe, maximè ut obvietur objectionibus, quæ heic facile animo ſeſe oggerunt. Ita enim ſunt, qui dicant, & eam γραφὴν dici poſſe

Digitized by Google

poſſe θεόπνευστον, ad cujus ſcriptionem divino quodam impulſu ſcriptor fuerit actus, etſi in ipſa ſcriptione nihil inſpiratum fuerit, imò, quæ bono ſaltem ſcribentis & ſanctiore motu fuerit ſuſcepta, quemadmodum ſancti Patres Concilium Nicænum θεόπνευστον vocavere. Addunt alii, juxta canonem Logicum à potiori fieri denominationem & γραφὴν veteris Teſtamenti dici θεόπνευστον, quia maxima ferè pars contineat vaticinia & res Viris ſanctis immediatè inſpiratas, non quòd omnia per inſpirationem immediatam ſcripta ſint, nec ſane hoc ſine ſpecie dici, quoniam nec πᾶσα γραφὴ, ſi vocem iſtam premas, dici poſſit utilis ad docendum, corrigendum &c. multis, quæ hiſtorica, genealogica, chronologica & geographica ſint & hùc nihil faciant, in ſacro codice veteris Teſtamenti exſtantibus. Rurſus ajunt quidam, πνεῦσιν generalem eſſe vocem, quam neceſſum haud ſit ſtatim per inſpirationem efferre, cùm aſpiratio ſufficere poſſit darique etiam θεόπνευσιν, quæ non ſit immediata. *Job.* XXXII. 8. Denique & hoc quidam oggerunt, non dici hîc omnem Scripturam eſſe θεόπνευστον, ſed omnem ſcripturam, quæ θεόπνευστος ſit, eſſe utilem & quæ ſequuntur, id quod tamen ficulneum eſſe ex eo patet, quia per γραφὴν θεόπνευστον hîc manifeſte ἱερὰ γράμματα, de quibus in priore verſu dictum

Digitized by Google

fuerat, intelliguntur. Quin nec hoc putant neceſſarium eſſe, qui hìc diſſentiunt, vocem πᾶσα verba quoque includere, cùm, niſi ſtatuatur, omnes locutiones Biblicas abſolutè ſemper intelligendas eſſe, quâ re ex Scripturis ſacris infinita abſurda emergerent, nihil impediat, quò minus verba ita intelligantur, *omnis Scriptura quoad res in eadem contentas divinitus inſpirata eſt*, atque, ſi hæc interpretatio penitus rejiciatur dicaturque, vocem πᾶσα juxta omnem latitudinem ſuam capiendam premendamque eſſe, inde ſecuturum quoque ſit, literarum etiam formas & ductus, ſine quibus γραφὴ eſſe nequit, adeoque etiam amanuenſes, queis ſcriptores ſacri uſi fuere, fuiſſe inſpiratos, quod tamen nemo, qui ſapit, conceſſerit. Quæ omnia ita utique ſunt comparata, ut, licet haud abs re monita videri queant, tutius tamen videatur & ad ſacræ Scripturæ autoritatem evehendam magis accommodatum, communi interpretationi manus haud gravatim concedere. Secunda quæſtio idem ferè momentum ſecum fert: Num Paulùs in hoc loco de ſcriptis novi Teſtamenti quoque agat? Profectò enim is per γραφὴν θεόπνευστον intelligit ἱερὰ γράμματα, in quibus Timotheus inde à juventute fuerat inſtitutus, id quod de ſcriptis veteris Teſtamenti ſaltem intelligi poteſt, non de ſcriptis ullis novi fœderis tùm vel nondum compoſitis

vel

vel ſaltem in unum volumen nondum collectis aut in hominum communem notitiam nondum tractis. Si itaque ad novum Teſtamentum dictum hoc quis applicare voluerit, conjecturali opus eſt ut nitatur ſyllogiſmo, qui à libris veteris Teſtamenti ad ſcripta novi Teſtamenti tranſitum faciat eandemque utrobique inſpirationis neceſſitatem eſſe ſupponat & œconomiæ divinæ nullam planè heic libertatem relinquat, adeoque theſin ſuam non è textu extrahat ſed in textum inferat. At verò exſtat & alius locus, qui ad inſpirationem librorum novi Teſtamenti communiter adfertur, *Matth.* X. 19. 20. inveniendus, ubi Apoſtolis promittit Chriſtus, ſe, ubi coram Præſidibus & Regibus & ſynedriis teſtimonium de fide ſuâ ii ſint dicturi, ipſis daturum in illa hora, quid loquantur. *Non enim vos eſtis*, addit, *qui loquimini, ſed Spiritus Patris noſtri, qui loquitur in vobis.* Ubi hùc maximè quoque reſpiciendum eſſe Theologi noſtri dictitant, exſtare hìc: μὴ μεριμνήσητε, πῶς ἢ τί quomodo vel quid λαλήσετε. Ex πῶς ἢ τί enim pateſcere, & res & verba inſpirata eſſe. Et certum utique eſt, præclarum hoc teſtimonium eſſe, ex quo Apoſtolorum inſpiratio coram Judicibus, ubi confeſſio Evangelii edenda fuerat, probari poſſit. Hinc & exinde eorundem infallibilitatem egregiè deducit WITSIUS in *Miſcell. ſacr.* L. I. C. 22. §. 9. 10. ubi Auctorem literarum Gallicarum de inſpiratione, quem per-

fuerat, intelliguntur. Quin nec hoc putant neceſſarium eſſe, qui hìc diſſentiunt, vocem πᾶσα verba quoque includere, cùm, niſi ſtatuatur, omnes locutiones Biblicas abſolutè ſemper intelligendas eſſe, quâ re ex Scripturis ſacris infinita abſurda emergerent, nihil impediat, quò minus verba ita intelligantur, *omnis Scriptura quoad res in eadem contentas divinitus inſpirata eſt*, atque, ſi hæc interpretatio penitus rejiciatur dicaturque, vocem πᾶσα juxta omnem latitudinem ſuam capiendam premendamque eſſe, inde ſecuturum quoque ſit, literarum etiam formas & ductus, ſine quibus γραφὴ eſſe nequit, adeoque etiam amanuenſes, queis ſcriptores ſacri uſi fuere, fuiſſe inſpiratos, quod tamen nemo, qui ſapit, conceſſerit. Quæ omnia ita utique ſunt comparata, ut, licet haud abs re monita videri queant, tutius tamen videatur & ad ſacræ Scripturæ autoritatem evehendam magis accommodatum, communi interpretationi manus haud gravatim concedere. Secunda quæſtio idem ferè momentum ſecum fert: Num Paulus in hoc loco de ſcriptis novi Teſtamenti quoque agat? Profectò enim is per γραφὴν θεόπνευστον intelligit ἱερὰ γράμματα, in quibus Timotheus inde à juventute fuerat inſtitutus, id quod de ſcriptis veteris Teſtamenti ſaltem intelligi poteſt, non de ſcriptis ullis novi fœderis tùm vel nondum compoſitis

vel

vel ſaltem in unum volumen nondum collectis aut in hominum communem notitiam nondum tractis. Si itaque ad novum Teſtamentum dictum hoc quis applicare voluerit, conjecturali opus eſt ut nitatur ſyllogiſmo, qui à libris veteris Teſtamenti ad ſcripta novi Teſtamenti tranſitum faciat eandemque utrobique inſpirationis neceſſitatem eſſe ſupponat & œconomiæ divinæ nullam planè heic libertatem relinquat, adeoque theſin ſuam non è textu extrahat ſed in textum inferat. At verò exſtat & alius locus, qui ad inſpirationem librorum novi Teſtamenti communiter adfertur, *Matth.* X. 19. 20. inveniendus, ubi Apoſtolis promittit Chriſtus, ſe, ubi coram Præſidibus & Regibus & ſynedriis teſtimonium de fide ſuà ii ſint dicturi, ipſis daturum in illa hora, quid loquantur. *Non enim vos eſtis*, addit, *qui loquimini*, *ſed Spiritus Patris noſtri*, *qui loquitur in vobis.* Ubi hùc maximè quoque reſpiciendum eſſe Theologi noſtri dictitant, exſtare hìc: μὴ μεριμνήσητε, πῶς ἢ τί quomodo vel quid λαλήσητε. Ex πῶς ἢ τί enim pateſcere, & res & verba inſpirata eſſe. Et certum utique eſt, præclarum hoc teſtimonium eſſe, ex quo Apoſtolorum inſpiratio coram Judicibus, ubi confeſſio Evangelii edenda fuerat, probari poſſit. Hinc & exinde eorundem infallibilitatem egregiè deducit WITSIUS in *Miſcell. ſacr.* L. I. C. 22. §. 9. 10. ubi Auctorem literarum Gallicarum de inſpiratione, quem per-

peram JO. CLERICUM eſſe exiſtimavit, ſolidè refutavit atque accuratè etiam obſervavit, πῶς & τί ſignificare *& materiam dicendorum & dicendi modum*, qui poſterior tamen non præciſe inſpirationem horum vel illorum verborum ſed in genere ſaltem ſermonis habitudinem & affectum infert. *Ex.* IV. 12. *Act.* IV. 29. 31. Cæterùm promiſſio hæc Chriſti Apoſtolis data non fuit abſoluta ſed hypothetica ſaltem, ſi nempe ii Spiritui Sancto in ipſis operanti per affectum quendam humanum e. g. timorem ſuppliciique fugam obicem haud eſſent poſituri. Jam enim ſupra p. *66.* ex *Act.* XXIII. 5. ſqq. obſervavimus, Paulum coram Synedrio Hieroſolymitano non ea locutum eſſe, quæ homini θεοπνεύςῳ conveniebant erroremque, non quidem in doctrina ſed tamen in converſatione commiſiſſe. Neque profectò quis dixerit, ironicè ſaltem Apoſtolum dixiſſe: neſciebam, eum eſſe Pontificem, cum aliàs dictum appoſitum haud allegaturus aut ad ſarcaſmum ſuum detorturus fuiſſet. At nec WITSII hæc approbari poteſt explicatio: *Neſciebam, eum eſſe Pontificem*, *ſcilicet de jure.* Si enim hoc dicere voluiſſet, clarè ſententiam ſuam ennarrâſſet, paucis dicendo: *Non agnoſco eum pro Pontifice;* quæ ſane iis, quæ poſita hìc inveniuntur, *neſciebam, eum eſſe Pontificem*, haud æquipollent. Ait CLERICUS ad HAMMONDUM, Paulum tùm, cum iſta dixerit: *DEUS te cadat, paries*

dealbate,

dealbate, aliò convertiſſe oculos, nec animadvertiſſe, quis juſſiſſet ipſum cædi. Alii ajunt, Paulum neſciviſſe, hunc Pontificem eſſe, quia officium hoc utpote venale ſæpius fuerit mutatum & Pontifex neque loco neque veſte à Sacerdotibus cæteris atque ſenatoribus fuerit diſtinctus, quod tamen utrumque admitti nequit, non prius, quòd ſtatim ubique fama de novo Pontifice percrebuit hocque ſaltem reos latere non potuit, non poſterius, quia utrumque notoriè falſum. Ut adeò certum ſit, Paulum eo, quo iſta dixit, momento haud inſpiratum fuiſſe & timore actum iſta dixiſſe, id quod vel maximè ex verſ. *6. 7.* apparet, ubi, ut effugeret, litem inter Phariſæos & Sadducæos ſevit dixitque, ſe eſſe accuſatum ob reſurrectionem mortuorum defenſam, cùm tamen ob prædicationem novæ cujusdam religionis accuſatus fuiſſet. *Act.* XXI. 28. Scilicet cùm inſpiratio divina non ſit irreſiſtibilis nec Apoſtoli ita inſpirati fuerint ut trunci & ſtipites, clariſſimè patet, regulam iſtam ex *Matth.* X. *19.* 20. deſumtam manifeſtam exceptionem pati & quoad caſum expreſſè notatum, à quo ad ſcriptionem tamen eapropter concluditur, quia utrobique eadem præſupponitur militare neceſſitas. At, quid de hujus dicti explicatione nos ſtatuamus, jam in lectionibus ad Matthæum monuimus, ubi: Benè notandum hîc eſt, πῶς non repeti. Cæterùm concludunt ex hoc loco Theologi noſtri (1) à minore ad majus,

etiam ſcripta novi Teſtamenti eſſe inſpirata, cùm eorum inſpiratio non magis Eccleſiæ fuerit neceſſaria quàm inſpiratio apologiarum coram Magiſtratibus, (2) non res ſolùm ſed & verba eſſe inſpirata, cùm dicatur πῶς ἢ τί, quorum poſterius res, prius verba ſignificet. Utrumque veriſſimum eſt, prius, ſi conſequentiam iſtam credas probabilem, non demonſtrativam, poſterius, ſi per inſpirationem directionem Spiritus Sancti immediatam intelligas, quæ utique ita movit Scriptores ſacros, ne verba adhiberent incongrua & ad rem ſubſtratam ſignificandam minùs valentia. Atque ex his profectò, quæ heic ex citatis in Matthæum lectionibus noſtris ponimus, facile jam ſedulis rerum inveſtigatoribus patet, quid de inſpiratione librorum novi Teſtamenti ſtatuere habeant. Expoſuimus hanc in rem mentem noſtram ibidem prolixius, quam pauis hìc repetemus. Credimus ſcilicet omninò, ſacram Scripturam hominibus θεοπνεύστοις totam omnemque inſpiratam eſſe, novumque ſaltem hunc παιδείας τρόπον. à communi in terminis maximè abeuntem, formamus, ut exiſtimemus, inſpirationem ſub ſe duas ſpecies comprehendere, quarum prima ſit revelatio ſive ſuggeſtio, ſecunda directio. Prima præcipuè vaticinia & myſteria fidei concernit, ea nempe, quæ Scriptoribus ſacris antea ignota erant. Secunda concernit res hiſtoricas, quas vel ipſi viderant vel ab αὐτόπταις hauſerant, ubi

ubi Spiritus Sanctus immediata atque interna ἐλλάμψει non ſolùm ipſis adſtitit, ne in errorem unquam, qui fidei detrimentum afferre poſſet, laberentur atque ea etiam ubique ut verba adhiberent, quæ congrua rebusque ritè exprimendis apta eſſent, ſed & ipſorum ingenio, temperamento, indoli atque circumſtantiis, in quibus verſabantur, mirabili œconomiâ ita ſe attemperavit, ut aliquando permiſerit, ea ut ſcriberent, quæ & ſcripturi erant, ſi nulla ipſis inſpiratio contigiſſet atque ita ſua exprimerent, quaſi ex proprio iſta ingenio planè efferrent. Pertinent hùc ſalutationes epiſtolis additæ, mandatum Pauli Timotheo datum de Marco ſecum abducendo, de mittendis penula Troade relicta, libris & membranis, de vino bibendo ad firmandum ſtomachum & quæ alia ſunt. Ita porro Paulus *Rom.* XV. 24. 28. Romanis ſcribit, ſe ad ipſos venturum, ubi iverit in Hiſpaniam, quò tamen nunquam pervenit utpote Romæ martyrio coronatus. Ita idem ad Corinthios ſe iturum pollicetur, cum tranſiturus eſſet Macedoniam 1. *Cor.* XVI. 5. quod tamen iter non confeciſſe ſe teſtatur. 2. *Cor.* I. 15. ſqq. ubi profectò dici non poteſt, Spiritum Sanctum ſuggeſſiſſe Paulo, ut hæc ſcriberet utpote qui benè noverat, Paulum hæc itinera nunquam perfecturum. Id quod & de *Act.* XX. 22. ſqq. dicendum, ubi Paulus ſupponit, ſe Epheſios non amplius viſurum, utpote qui

qui teſtante ubivis Spiritu Hieroſolymis Martyrium ſubiturus eſſet. Quod tamen ipſum non ita evenit, Paulo poſt primam captivitatem Romanam in Græciam & Aſiam redeunte, ubi paucis notamus, ridiculum eſſe DORSCHÆI, qui tamen haud omninò hìc diſſentit ſed dicis gratia ſaltem aliqua reponit, effugium ex voce πάντες petitum, maximè ſi ſequentia reſpicias, in *Chronotaxi Act. Ap.* p. 1282. Adjici poſſunt ea loca, ubi Paulus aſſerit aliquid dubius vel ignorantiam quoque ſuam confitetur. Ita 1. *Cor.* XVI. 6. pollicetur Corinthiis, ſe forſan apud ipſos per hyemem permanſurum. Eâdem ratione Petrus 1. *Pet.* V. 12. hæc habet: *Per Sylvanum, UT PUTO, paucis ad vos ſcripſi.* Quinimò & Paulus, ubi *Rom.* XI. 33. exclamat ὦ βάθος, inſinuat, ſe myſteriorum viarumque divinarum rationem omnem non noſſe. Quò & id pertinet 2. *Cor.* XII. 2. 3. ubi ſe noſſe hominem in Chriſto ait, in cœlum raptum ſed ignorare, num fuerit in corpore an extra illud, & illud 1. *Cor.* I. 16. Denique affirmant ſæpius Paulus & Johannes, ſperare ſe, ſe huc vel illuc venturos, ubi DEUS permiſerit, quæ tamen omnia non oſtendunt, ipſos divinâ ἐλλάμψει hìc caruiſſe ſed ſaltem hoc à Spiritu Sancto ipſis præciſe tùm revelatum haud fuiſſe. Taceo ſalutationes aliorum nomine & rogatu literis additas, ſalutationem item illam Tertii *Rom.* XVI. 22. quæ profectò à Spiritu Sancto ſuggeſta haud fuit, niſi

niſi velis, & amanuenſem hunc à Spiritu Sancto inſpiratum fuiſſe. Ubi verò heic directionem immediatam Spiritûs Sancti Apoſtolis adfuiſſe ſtatuimus, eam profectò directionem non innuimus, quam SUAREZIUS & quam CALIXTUS ſtatuit, nudam ſaltem aſſiſtentiam externam ſecum ferentem, ſed *internam* directionem deſignamus, quæ in immediata ἐλλάμψει Spiritûs Sancti conſiſtit, quam & moderationem & directionem Theologi orthodoxi DANNHAWERUS, SCHERZERUS, QUENSTEDIUS, JÆGERUS noſtràs (at quanti Viri!) aliique nuncupavere, ita ut, qui hunc παιδείας τρόπον, quem eapropter invimus, ut Deiſtis, qui abſurdum eſſe putant, ſuggeſtionem, quæ κατ' ἐξοχὴν inſpiratio dicitur, in omnibus ſtatuere, eò magis obviam ire poſſemus, qui inquam hunc παιδείας τρόπον reprobant, nodum in ſcirpo quærere videantur. Egregiè WITSIUS, cujus verba noſtra facimus: Non credimus, Apoſtolos mera fuiſſe organa Spiritûs, qualis eſt fiſtula ad os ac in manu Muſici, ſed credimus eos, quoties docebant, tàm liquidè à Spiritu Sancto fuiſſe informatos, ut nunquam errorem pro veritate Evangelica obtruſerint, interim uſos quoque ſuo ingenio, judicio, meditatione, conſilio, quæ non tollebantur ſed ſanctè & potenter gubernabantur à Spiritu Sancto, in *diſſ. de Apoſtolorum in docendo infallibilitate.* §. 23. Ubi verò ad eam quæſtionem deſcenditur, num uti res ita & verba

inſpirata

inſpirata ſint, omninò exiſtimamus, magnam hanc de voce litem eſſe. Largimur quidem verba aliquando à Spiritu Sancto ſuggeſta Viris divinis eſſe, tùm maximè ubi dicitur, ponam verba mea in ore ejus, *Ex.* IV. 15. *Num.* XXV. 5. *Deut.* XIIX. 18. *Jeſ.* LI. 16. LIX. 21. *Jer.* I. 9. tùm ubi affirmatur, Spiritum ſanctum verba docere 1. *Cor.* II. 12. tùm ubi ad Johannem dicitur γράψον *Apoc.* I. 11. & alibi, tùm maximè, ubi per ecſtaſin loquebantur Prophetæ ὑπὸ πνεύματος φερόμενοι 2. *Pet.* I. 21. Aſt ſemper haud contigit ſuggeſtio iſta, ſaltem in ſcribendo parciſſimè facta eſt, ſed maximam partem obtinuit directio immediata atque excitatio, quâ ad ſcribendum moti fuere Viri ſancti, ita, ut ad eorum indolem geniumque & idiotiſmum Spiritus ſanctus ſe accommodaret atque attemperaret. Hinc eſt, quod Paulus 2. *Cor.* XI. 6. fatetur, ſe eſſe ἰδιώτην τῷ λόγῳ, quæ qualitas utique Spiritui ſancto attribui haud poteſt, eamque inſpirationem, quæ per ſuggeſtionem fit, haud ſapit. Hinc eſt, quòd allegata veteris Teſtamenti in novo, quòd eadem ſubinde à Chriſto dicta aliaque, quæ unica ſaltem ratione vel ſcripta vel pronunciata fuere, diverſimodè in ſcriptis ſacris repeti & referri videas. e. g. *Matth.* III. 17. exſtat: οὗτός ἐστιν ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητὸς, ἐν ᾧ εὐδόκησα. *Marc.* II. 11. habetur: σὺ εἶ ὁ υἱός μου, ἐν ᾧ εὐδόκησα

ἐυδόκησα & *Luc.* III. 22. eadem Marci verba ponuntur, niſi quod exſtet *ἐν σοὶ ηὐδόκησα.* Ubi ſane cùm ex his tribus formulis unica ſaltem è cœlis pronunciata fuerit, cogitandumque utique ſit, accuratiſſimum id eſſe, verba ponere, uti pronunciata fuere, exiſtimari haud poteſt, Spiritum Sanctum has differentias Scriptoribus ſacris ſuggeſſiſſe ſed, quoniam ſenſus eodem redit, verborum quidem libertatem datâ operâ heic Evangeliſtis reliquiſſe, aſt in ſcriptionis actu ita illis adfuiſſe eoſque ita lumine ſuo immediato direxiſſe, ut nihil heic, quod divino ſenſui contrarium eſſet, ſcriberent. Qualenam in explicatione hâc lateat virus, qualis in herba anguis, certè haud perſpicimus, qui nil plane hîc periculi nec orthodoxiæ nutans cœlum hîc videmus. Hinc & fuere ex Theologis, qui negavere verba eſſe inſpirata, id quod fecit cum Helmſtadienſibus ſequacibus GEORG. CALIXTUS & JO. MUSÆUS, qui tamen, cùm ad Profeſſionem Theologicam Jenenſem perveniret, recantare neceſſum habuit. Nec tamen nos iſta tàm crudè, quod abſit, proferimus ſed ſententiam noſtram his ſimilibus, præeuntibus Theologis, efferimus. Scriptores ſacri fuere calami Spiritûs Sancti. *Pſalm.* XLV. 2. Sicut autem peritus ſcriptor calamis diverſis commodè utitur, aliquando ſubtilioribus & acutis, aliquando craſſioribus & obtuſioribus, prout ipſi ad literarum figurationem placet & porro calamorum diverſi-

diverſitate eaſdem pingit diverſas, ſubtiliores vel craſſiores, prout penna vel craſſa eſt vel gracilis, uti habetur in venerandi Parentis noſtri *Collegio Biblico MS.* ad 2. *Tim.* III. 16. vel ſi DANNHAWERI ſimile *Hodoſoph.* p. 58. malis, ſicut in organo Muſico ſubſtantia cantici, harmoniæ, toni Phrygii Lydiive una eſt, fiſtulis autem acutioribus aliis, aliis obtuſioribus ſe ſpiritus, qui inflat tibias, accommodat, ita Spiritus Sanctus Scripturæ auctor diverſis ingeniis ſtyliſque hominum, quos non ſuſtulit ſed in actione ſuâ continuare ſivit, uſus eſt iiſque per **συγκατάβασιν** ſeſe accommodavit. Adde & JO. MICH. LANGII *diſp. de inſpiratione divinâ.* §. 21. Quod verò dicitur, ſi verba inſpirata haud ſint, nullam inter textum originalem & verſiones diſtinctionem fore, id ipſum nullum eſt, cùm etſi textum originalem Spiritus Sanctus haud ſuggeſſerit, eum tamen approbaverit atque infallibilem reddiderit, non ita verſiones. Maneat itaque hoc fixum, (1) Apoſtolorum Scriptorumque ſacrorum infallibilitatem atque tùm in prædicatione tùm in ſcriptione quoad dogmatica eaque, quæ religioni Chriſtianæ eſſentialia ſunt, extra omnem dubitationis aleam poſita eſſe argumentiſque evidentiſſimis probari poſſe, (2) inſpirationem, cujus tamen varii gradus ſint, univerſalem tùm quoad res tùm quoad verba ipſis quoque Scriptoribus ſacris adductis ejuſmodi argumentis, quæ probabilitatis haud infimam

Digitized by Google

infimam ſecum ferant ſpeciem, attribui poſſe. Sed nimis ferè in hoc argumento prolixi exſtitimus, quod & alibi excutere cœpimus & datâ operâ olim, ubi ad Theologiam polemicam enarrandam progreſſu temporis progrediemur, examinabimus. Hæc verò quæ poſuimus, credimus & rigidis orthodoxiæ defenſoribus haud diſplicitura, niſi verborum ii tendiculas aucupari & ex campo æquitatis ad locutionum hactenus receptarum angulos nos revocare numeroſque ſyllabarum eventilare tanquàm inſidioſi rerum ſcrutatores velint. Scilicet, cùm in libris Eccleſiæ noſtræ ſymbolicis hanc in rem nihil determinatum & cuivis permiſſum ſit, eum τρόπον παιδείας ſequi, quem veritati putat eſſe convenientiſſimum, nemo nobis vitio vertet, quòd hac libertate hic intrepidi utamur.

§. VI.

Jam enarratis ſacræ Scripturæ originibus ipſa illius *forma* inſpicienda eſt. Iſta vero vel externa eſt vel interna. *Externa*, quæ & materiale Scripturæ Sacræ dicitur, ſunt verba, ex quibus ſacra ſcriptura componitur. *Interna* ſunt res ſive ſenſus divinus, ipſis verbis ſignificatus, qui communiter formale Scripturæ ſacræ nuncupatur. Uno verbo: In Scripturâ ſacrâ ſpectari debent tùm res, tùm verba. *Res* ſunt ſenſus ſive conceptus divinus de modo & mediis ſalutis noſtræ ab æterno formatus & in tempore revelatus atque per ſcriptio-

F nem

nem nobis communicatus. Ubi id unicum hîc notandum, communiter genus hujus definitionis ex locis 1. *Cor*. II. 16. *Rom*. XI. 34. *Eph*. I. 9. *Act*. XX. 27. probari, etſi in prioribus quidem locis ne quidem de verbo prædicato ſed de reconditis ſapientiæ divinæ abyſſis, in poſterioribus verò de voluntate divinâ ſaltem ſit ſermo, ut taceam, Scripturam ſacram non ipſam mentem divinam, quæ eadem cum DEO eſt, ſed, ejus ſaltem ἐκτύπωμα remque creatam eſſe. Quùm autem de ſenſu Scripturæ ſacræ hîc quæſtio incidit, evolvendæ paululum ſunt ſenſus hujus diſtinctiones communes, ſine quarum notitia tractari hoc argumentum non poteſt. Diſtinguitur autem (1) ſenſus in ſenſum literæ & literalem. Senſus *literæ* eſt, quem litera in ſe ſpectata extra connexionem propriè infert, aliis, quem litera gignere poteſt. *Literalis* eſt, quem totus contextus requirit, ſive is dein ſit proprius ſive figuratus. (2) Senſus Scripturæ eſt vel literalis vel myſticus. *Literalis* eſt, qui immediate à Spiritu ſancto verbis intenditur. *Myſticus* eſt, qui per rem verbis intentam ſignificatur. Ita *Exod*. XII. 46. ubi exſtat: ne conteratis *ipſi* os, ſenſus literalis agit de agno Paſchali, ſenſus verò myſticus, qui rei eſt, de Chriſto. *Joh*. XIX. 36. (3) Myſticus dividitur in typicum, allegoricum & parabolicum. *Typicus* eſt, quo ſub externis factis vel Propheticis viſionibus res occultæ ſive præſentes ſive futuræ ex inſtituto divino figurantur, & præſer-

tim

Digitized by Google

tim ille, quo res geſtæ V. T. præſignificant ſeu adumbrant res N. T. *Allegoricus*, ſub quo & tropologicus moraliſque & anagogicus comprehenduntur, qui verba aut facta ad vitam æternam ſignificandam refert *Pſ*. XCV. 11. *Hebr*. IV. 5. hic maximè eſt, qui aliquid ex ſacra Scriptura novo ſenſu exponit atque accommodat ad ſpiritualem doctrinam vel ad vitæ inſtitutionem, ſive ſit deinceps hiſtoria, ut *Ex*. XXXIV. 30. coll. 2. *Cor*. III. 7. 13. 14. *Gal*. IV. 24. vel aliud quid, ut *Devt*. XXV. 4. coll. 1. *Cor*. IX. 9. *Parabolicus* eſt, quando res aliqua, ac ſi geſta eſſet, narratur & ad aliud ſpirituale deſignandum refertur. Quæ omnia GLASSIUS in *Philologiâ ſacrâ* L. 2. egregiè explicat. Jam quæritur, num unus ſaltem ſacræ Scripturæ ſenſus iſque immediatus ſit? Ubi ſine ulla hæſitatione quivis utique affirmando reſponſurus eſt, cùm hic ordo ſermonis ſimplicior ad vitandam rerum confuſionem dictioniſque obſcuritatem ita introductus fuerit, nec plures verbis divinis ſenſus im̃ediatos nobis ſaltem inducere liceat, niſi certitudinem & perſpicuitatem Scripturæ ſanctioris jugulare atque adeò ineptis ejuſdem interpretibus, qui allegorias amant, quidvis ex quovis deducendi anſam dare velis. Aſt non minima ſane ſed momentoſiſſima atque planè ardua heic ſe nobis offert difficultas, quæ præſtantiſſimis Theologis utique crucem figit. Ita enim allegari videas in novo Teſtamento loca ex vetere atque ad Chriſtum maximè applicari, quæ tamen pro contextu, in quo poſita leguntur, de

 alio

alio plane ſubjecto quàm de Chriſto agunt. E. g. *Matth.* II. 15. exſtat, Joſephum manſiſſe in Ægypto cum Maria & infante Chriſto uſque ad mortem Herodis, ut impleretur dictum à Domino per Prophetam dicentem: ***Ex Ægypto vocavi Filium meum***, quæ verba *Hoſ.* XI. 1. inveniuntur ſed de Iſraële poſita. Ita & 2. *Sam.* VII. 14. exſtat dictum DEI ad Davidem de Salomone: *Ero ipſi in Patrem & ipſe erit mihi in Filium*, quod tamen *Hebr.* I. 5. tanquàm de Chriſto dictum explicatur. Quæ duo ſaltem exempla ex plurimis omninò adferimus. Nec diffitendum ſanè eſt, religionis Chriſtianæ adverſarios putare, ſe hic inveniſſe non quod pueri in faba, ad labefactandam N. T. autoritatem oſtendendumque, V. & N. T. harmoniam falſo planè fundamento ſuperſtructam eſſe, cùm, quæ in illo de cepis dicta ſint, in hoc ad allia applicentur, id quod ferè ſingulis in capitibus fiat. Jam hunc nodum ut ſolvant, tres vias Theologi ineunt. Prima eſt, quâ dicunt Judæi & Romanenſes, duplicem vel plures ſenſus literales unius ejusdemq; dicti aliquando dari. Altera, quâ ajunt orthodoxi, ſenſum dictorum quorundam utiq; duplicem ſed immediatum unum ſeu literalem, alterum mediatum ſive myſticum, utrumque à Spiritu Sancto intentum eſſe, qui & ambo ſenſus juncti pro unico eoque pleno venditari poſſint. Tertia fert, dicta V. T. in N. ſæpe accommodari ſaltem ad præſens inſtitutum, non quòd Spiritus Sanctus in V. T. de hoc ſubjecto, ad quod in N. T. verba applicantur, eadem intellexe-

intellexerit ſed vel ex communi Judæorum licet falſa ſententia vel ex propriâ Scriptorum N. T. adinventione. Nos re diligenter penſitatâ ſecundum ſolvendi modum hic eligimus, rejectis primo, qui perſpicuitatem & certitudinem verbi, & tertio, qui veritatem ejus & infallibilitatem labefactat, etſi pro re nata & exemplorum ratione omnem accommodationem negari haud poſſe ſtatuamus, aſt probante Spiritu ſancto factam. Haud malè GROTIUS ad *Matth.* XXVII. 9. cujus verba, quia plurimum huic argumento diem affundunt, hic adponeremus, niſi prolixiora eſſent, quàm quæ inſtituti brevitas ferre poſſet. Adde tamen HUETII *Demonſtrationem Evangelicam Prop.* 7. §. 4. p. 559 & Prop. 9. C. 171. §. 7. p. 1175. ſq. edit. Lipſ.

§. VII.

Jam ad Scripturæ ſacræ affectiones, quas vocant, prona nobis via patet. Sunt verò illæ (1) Scripturæ divinitas & veritas infallibilis (2) perfectio (3) autoritas canonica & regulativa (4) perſpicuitas (5) efficacia (6) integritas. Scripturæ ſacræ divinitas & veritas infallibilis innoteſcit tùm ex teſtimonio Spiritus Sancti interno tùm ex teſtimonio Eccleſiæ externo tùm denique ex criteriis. De teſtimonio Spiritus Sancti interno, quod ſolum, monentibus Theologis, fidem divinam heic fundit, primùm agendum venit. Scilicet ea eſt verbi divini efficacia, ut, cùm mentibus noſtris illabitur, avthenticum de ſua divinitate teſtimonium, Spiri-

tu Sancto animos vertente atque ſuaviſſima quadam vi perfundente ferat. Hinc de Chriſto dicitur, quòd docuerit ὡς ἐξȣσίαν ἔχων *Matth.* VII. 19. Hinc & de eodem ita pronunciavere οἱ ὑπηρέται. ȣδέποτε ὕτως ἐλάλησεν ἄνθρωπος, ὡς ȣ̃τος ὁ ἄνθρωπος *Joh.* VIII. 46. Hinc efficacia ſermonis Stephani *Act.* VII. 54. ſqq. Addi poſſunt omnia iſta loca, in quibus de Spritu S. dicitur, quod teſtetur & doceat. *Joh.* XIV. 26. XV. 26. XVI. 13. 1. *Cor.* II. 4. 10. 2. *Cor.* I. 22. 2. *Cor.* III. 3. 18. *Rom.* VIII. 14. 15. 16. *Eph.* I. 13. 1. *Theſſ.* I. 5. 1. *Joh.* II. 20. 27. Maximè verò hùc trahitur 1. *Joh.* V. 6. quamvis, uti ex 1. *Joh.* IV. 1. 2. 3. coll. cum 1. *Joh.* V. 5. 6. patet, hîc agatur de ratione modoque diſcernendi Spiritum innuatque potius Apoſtolus, Spiritum Sanctum teſtari, eum Spiritum, qui Chriſtum DEI filium credat, uti v. 5. habetur, verum eſſe. Scilicet idem Spiritus Sanctus, qui de filiatione noſtra divina nos certos reddit, nos quoque de divinitate verbi certiores reddit, ubi per illud nos regenerat atque ſanctificat. Probè autem hîc notandum venit, (1) teſtimonium hoc Spiritûs Sancti ad propriam quidem ſed ad aliorum convictionem, qui eo non gaudent, minus adhiberi poſſe. Unde, ubi cum Deiſtâ atque incredulo egeris, præmiſſis argumentis fidem humanam gignentibus id primum facias oportet, ut animus ipſius diſponatur atque præparetur, quò ad teſtimonium hoc Spiritûs capiendum fiat idoneus. (2) teſtimonium

Digitized by Google

nium hoc privatum haud eſſe ſed omnibus fidelibus vereque ad DEUM converſis commune, imò & irregenitis ſubinde, quibus nihil impedit, quò minus divinæ iſtius convictionis quædam portio ſubinde affulgeat, ad gratiam prævenientem pertinens. (3) teſtimonium hoc Spiritûs S. per verbum ſive prædicatum ſive ſcriptum, non per phantaſiam lumenque quoddam immediatum gigni. Nec tamen dici poteſt, hîc committi circulum & teſtimonium Spiritûs S. internum ex Scriptura, Scripturæ verò divinitatem ex teſtimonio Spiritûs S. deduci. Quemadmodum enim ſigillum literis Principis appenſum earum ipſarum autoritatem oſtendit itidemque ex hiſce vim ſuam omnem nanciſcitur, ita & res ſe cum Spiritus S. interno teſtimonio habet, quod ſigillum eſt voluntatis DEI revelatæ, quæ nobis ſignificatur. (4) teſtimonium hoc Spiritûs S. internum & habituale ſolis fidelibus, ſolis iis, qui abnegatâ voluptate ad DEUM converſi ſunt vel in viâ ad converſionem verſantur, non impiis competere. Ex quo conſpicere eſt, homines impios, qui verbum Evangelii prædicant, fidem humanam ipſi ſaltem dare nec de ulla veritate ſacra divinitùs certos miſerrimosque eapropter verbi ſanctioris veritatisque divinæ diſpenſatores eſſe. De teſtimonio Eccleſiæ externo, quod in canone conſiſtit, per omnia ſecula continuato, non eſt quod multa dicamus. De criteriis vero externis paucis monendum hoc eſt, primum ferè, qui rem

hîc in ſyſtema quoddam redegerit huncque *παιδείας τρόπον* paulò luculentius exſecutus fuerit, fuiſſe ÆGIDIUM HUNNIUM, Theologum Marpurgenſem in tractatu de *majeſtate & certitudine Scripturæ S.* Is autem ſequentia, ex quibus Scripturæ S. divinitas hauriri poſſit, criteria enumerat (1) ejusdem antiquitatem, quia antiquiſſimos ea libros contineat, religionis omnis initia inde à creatione mundi usque ad noſtra tempora, non narratione quadam futili ſed veritatis evidentiſſimas notas ſecum vehente recenſentes, (2) doctrinæ rerumque, quæ in eadem occurrant, majeſtatem ſummam, quam nullus liber humanus, nulla alia, quæ jactetur, revelatio aſſequatur, (3) ſermonis genus ſimpliciſſimum ab omni vano rerum ornatu alienum, quod veritatis ſubinde præſtantiſſimum ſignum ſit, (4) mirandam harmoniam & connexionem omnium Scripturæ partium, (5) teſtimonium Spiritûs S. internum, quod verò nos haud abs re à criteriis externis ſejunximus, (6) ampliſſima conſolationum efficaciſſimarum argumenta, quæ ſacer Codex nobis fundat, itidem ad teſtimonium Spiritûs S. internum referenda, (7) efficaciam Scripturæ ad convertendos & ſanctificandos hominum animos eodem ſpectantem, (8) religionis Chriſtianæ præ omnibus aliis religionibus falſis miram præſtantiam, (9) occultam ſacræ Scripturæ virtutem ad excutienda humanarum mentium arcana, quæ itidem teſti-

monii

Digitized by Google

monii Spiritûs S. interni pars eſt, (10) exquiſitiſſimum ſtudium, quo veritatem rerum omni ſuæ exiſtimationi præpoſuerint ſacrorum Bibliorum Scriptores, (11) mirandam ſacræ Scripturæ perfectionem ad omnes hæreſes confutandas, (12) perpetuam & non interruptam traditionem de ſcriptorum veteris Teſtamenti autoritate, (13) miracula Moſis eandem firmantia, (qualia & in N. T. facta eandem ſcriptorum N. T. autoritatem probant) (14) perpetuam itidem traditionem pro veritate librorum N. T. pugnantem, (15) mirabilem propagationem doctrinæ Evangelicæ, (16) admirandam item conſervationem cœtus, qui ſacræ Scripturæ cuſtos exſtiterit, (17) ſanctorum Martyrum in profitenda verâ religione conſtantiam, (18) univerſale omnium populorum pro populi Judaici rebus geſtis teſtimonium, (19) vaticiniorum Biblicorum complementum, (20) pœnas denique perſecutorum & contemtorum verbi divini. Quæ omnia ſtylo homiletico & prolixiore ſed claro admodùm laudatiſſimus Theologus diducit, à quo cæteri hæc dein in ſyſtemata ſua transduxere, πάσης utique ἀποδοχῆς ἄξια, etſi, quod ipſa rerum inſpectio docet, nervoſius iſta atque brevius enarrari potuiſſent. Ita verò, qui datâ operâ argumentum hoc tractandum ſibi ſumit, quod ii omnes fecere, de veritate religionis Chriſtianæ qui ſcripſerunt, & ſolidè & eruditè & curatè & eleganter in rebus ſuis verſari debet atque ita ſua efferre, ut in aſſenſum lector vel invitus rapiatur con-

F 5 victio-

Digitized by Google

victioque in omnium, qui veritatem amant, animos ſtatim influat. Aſt hæc quidem omnia, cùm ſuâ luce radient, prolixius diducere opus non eſt, niſi quòd repetendum nobis hoc veniat, omnia hæc criteria nondum divinam fidem in nobis gignere poſſe, niſi ubi cum teſtimonio Spiritûs Sancti interno conjungantur, quod ipſum tamen nonniſi Scripturæ formale, quod nominant, & quidem res articuloſque maximè practicos eorumque ad ſtatum noſtrum ſpiritualem applicationem concernit. In rebus enim hiſtoricis mereque theoreticis Spiritûs Sancti teſtimonium nonniſi mediatum atque indirectum haberi poteſt.

§. VIII.

De perfectione Scripturæ S. hæc paucis ediſſerenda ſunt. *Perfectio* Scripturæ ea dicitur ejuſdem præſtantia, ſecundum quam illa omnia fidei dogmata ad ſalutem acquirendam ſcitu neceſſaria comprehendit atque etiam omnia iſta præcepta continet, quæ ad converſionem ſanctificationemque hominis perficiendam ſpectant. Illam Theologi nuncupant eſſentialem, hanc finalem. Quæ enim eſt integralis perfectio, ſub peculiari titulo integritatis latet. Eſſe autem Scripturam S. perfectam ratione articulorum fidei, quos ea omnes comprehendit, Theologi noſtri ſequentibus dictis probant. *Deut.* IV. 2. XII. 32. ubi exſtat, ad præcepta legis Moſaicæ nihil addendum & ex iis nihil detrahendum eſſe. Aſt arbitramur, vel nudam hujus dicti recenſionem oſtendere,

Digitized by Google

dere, id non probare, quod probandum erat. Subjectum enim theſeos noſtræ eſt Scriptura S. dicti verò allati legis Moſaicæ ea pars, quæ nobis præcepta divina ſiſtit, prædicatum hujus eſt, quòd perfecta ſit in præceptis, illius verò, quòd perfecta ſit in articulis fidei. Jam verò, ubi videmus, ad legem Moſis addita eſſe & multa alia ſcripta hiſtorica, & Prophetica & moralia, Canon ut perficeretur, facile patet, pro perfectione Scripturæ S. ex hoc dicto nihil depromi poſſe, niſi quòd additamenta illa, quæ ex proprio conficta cerebro ad Scripturam S. addideris, reprobanda eſſe atque rejicienda, haud malè ex verbis iſtis quis concludere poſſit, quà vero ratione perfectio Scripturæ S. nondum patet. Aliud adfertur dictum ex Eſaj. VIII. 20. ubi: לתורה ולתעודה אם לא יאמרו כדבר הזה אשר אין לו שחר׃ Inſpiciamus, ſi placet, Rabbinos. KIMCHIUS aliique quamplurimi ajunt לתורה ולתעודה eſſe juramentum per legem & per teſtimonium atque ita etiam R. SALOMO BEN MELECH in *Michlal Jophi*. Ita ut ſenſus foret: **Ich ſchwöre bey dem Geſetz des lebendigen GOttes / wo ſie nicht werden (das iſt / daß ſie auf dieſe weiſe werden) ſprechen nach einem ſolchen Wort / welches keine Deutlichkeit hat.** ABARBENEL ita: Si vobis dixerint, *quærite pythones* &c. vos potius quæratis oportet legem & teſtimonium. Quod ſi enim verbum hariolorum quæſiveritis, tale vobis

vobis dabitur, quod nullam lucem habet. Addit tamen mox & illam explicationem, quæ verba per juramentum explicat. Verſio Anglica, quæ pro לו ſubſtituit לָהֶם, ita habet: *if they ſpeak not according to this word, it is, becauſe there is no light in them. Si non dixerint ſecundum hoc verbum, id inde eſt, quod non eſt lux in ipſis.* THEODORUS HASÆUS in *diſſ. crit.* in h. l. אם לא vertit *annon* & per שחר intelligit *obſcuritatem.* Perſpicere ex his eſt, quàm difficilis ſit hujus textus ſenſus. Et profectò nec hoc confectum hactenus eſt, quid per תורה & תעודה hìc intelligatur. Cùm enim, quod benè notandum, hìc de deciſione dogmatum fidei quæſtio planè haud ſit ſed de determinatione dubiorum belli eventuum, quam Judæi expiſcabantur ab aruſpicibus, videri poſſet Propheta eos ablegare ad תורה quidem ſive eam legis partem, quæ præcepta & comminationes continet itemque promiſſiones, & ad תעודה hoc eſt, ad Sacerdotem ſummum, qui ope τῶν אורים ותומים DEUM erat in caſu dubio de rerum eventu interrogaturus. Sed ponamus, quæ & explicatio haud temere eſt rejicienda, ſenſum hunc eſſe, *ad legem & teſtimonium* ſcriptum eſſe abeundum, *niſi quis malit eligere ejusmodi verbum, cui nulla ſit aurora,* quale quidem verbum eſt hariolorum, id tamen certum eſt, (1) hìc de articulis fidei ſermonem planè non

non eſſe, adeoque à quæſtionis ſtatu quàm maximè iſta abire, (2) ab œconomia veteris Teſtamenti ad N.T. & minus ſolidam & minus proficuam eſſe illationem, cùm magna principiorum fidei differentia hìc intercedat. In vetere enim Teſtamento primùm ſola obtinuit revelatio & traditio oralis Patrum, poſtea lex quidem ſcripta ſed cum revelationibus immediatis Urimque & Thummim heic conjungenda, id quod jam aliter ſe habet, ita, ut diſſentientes, ſi quidem œconomias divinas heic confundere par ſit, cauſæ noſtræ jugulum hinc petere atque ferire poſſint. Aliud argumentum adfertur ex *Pſalm.* XIX. 8. ubi dicitur, legem Domini eſſe תְּמִימָה *perfectam*, quâ voce ipſius puritas potius & præſtantia ſumma, haud præciſè perfectio illa, quâ omnes fidei articulos complectitur, indigitatur. Quin vel de lege veteris Teſtamenti ſolùm quæſtio eſt vel ſi ad prædicationem Evangelii ubique factam ex v. 5. hoc referatur, ad Scripturam S. hæc trahi per demonſtrationem ſaltem haud poſſunt. Quin nec dicta *Joh.* V. 39. *Act.* XX. 27. *Gal.* I. 8. 2. *Tim.* III. 15. 16. *Apoc.* XXII. 18. 19. probanda probant. Non *Joh.* V. 39. ubi hoc ſaltem dicitur, Scripturas veteris Teſtamenti de Chriſto teſtimonium perhibere & eapropter ſcrutandas eſſe. At verò hinc nondum ſequitur: Ergo Scripturæ novi Teſtamenti omnes fidei articulos ſcitu neceſſarios comprehendunt. Non *Act.* XX. 27. ubi affirmatur, Paulum Epheſiis prædicâſſe omnem voluntatem

tem

tem DEI. Jam enim à prædicatione ad ſcriptionem nulla conſequentia demonſtrativa ex hoc effato necti poteſt. Non *Gal.* I. 8. ubi dicitur, præter id Evangelium, quod Paulus NB. prædicavit, nullum NB. aliud eſſe prædicandum recurritque adeo prior reſponſio, cùm aliis ex rationibus probandum veniat, omnia ea in libris novi Teſtamenti ſcriptis mandata eſſe, quæ Paulus prædicavit. Non 2. *Tim.* III. 16. ubi de libris veteris Teſtamenti cum applicatione vaticiniorum, quæ inibi exſtant, ad Chriſtum factâ explicatis ſermo eſt diciturque, eos ad omne bonum opus hominem inſtructum reddere nihilque adeò de libris novi Teſtamenti, quorum Canon tùm nondum confectus fuerat, vel de perfectione eorundem quoad omnes fidei articulos dicitur. Ita & denique *Apoc.* XXII. 18. 19. ſaltem exſtat, huic libro **τῆς προφητείας ταύτης**, nihil addendum, nihil detrahendum eſſe, queis profectò verbis uti haud ſignificatur, Apocalypſin omnes fidei articulos continere, ita quoque hinc ad perfectionem librorum novi Teſtamenti nihil argui poteſt. Melius eſſet argumentum, quod ex 1. *Cor.* IV. 6. petitur, ubi dicitur, non ſapiendum eſſe **ὑπὲρ ὃ γέγραπται**, niſi hæc ad peculiarem ſaltem caſum reſtringerentur. At verò non opus eſt, tanto ſudore nobis hujus articuli ut probatio conſtet. Quæramus ſolidiora. Heic verò mentem noſtram melius exprimere haud poterimus, quàm

hiſce

hiſce theſibus in medium prolatis. I. In veteere Teſtamento ex lege Moſis ſcriptiſque Prophetarum ſemper omnia creditu neceſſaria fuerunt hauſta. Hinc eò ablegat Chriſtus *Ioh.* V. 39. *Luc.* XVI. 29. qui & ſua ſubinde ex lege ſcriptâ rejectis traditionibus humanis *Matth.* XV. 9. 13. demonſtravit *Luc.* XXIV. 27. 44. eandem viam paſſim ineuntibus Apoſtolis, qui extra Scripturam nil prolaturi erant *Act.* X. 43. XXVI. 22. 1. *Cor.* XV. 3. eamque eapropter plurimùm commendant tùm ut valdè utilem 2. *Tim.* III. 16. tùm ut apparitionibus divinis firmiorem 2. *Pet.* I. 19. II. Apoſtolos omne conſilium DEI de hominum ſalute hominibus manifeſtâſſe tùm prædicando *Act.* XX. 27. *Gal.* I. 8. 9. *Eph.* II. 20. tùm ſcribendo. Hoc enim niſi foret, Johannes ſub finem Evangelii ſcribere haud potuiſſet, ſufficere Evangelium ſuum, ut ſalvifica in Chriſtum fides concipiatur *Ioh.* XX. 31. Quod ſi itaque Evangelium Johannis ſolum tàm perfectum eſt, ut nihil in eo deficiat, quod ad ſalutem creditu ſit neceſſarium, quidni hoc de toto novi Teſtamenti Canone aliiſque ejus libris ſingularibus dicamus? Quin, niſi Apoſtoli ſcriptis plenam perfectamque ſanctiorem doctrinam nobis reliquiſſent, in incerto fluctuaret Chriſtiana fides, id quod tamen nemo conceſſerit. III. Cum traditiones Eccleſiaſticæ orales incertæ ſint atque dubiæ, ita ut jam ſeculo II. ubi controverſia de Paſchate fuit agitata,

Digitized by Google

rata, traditio traditioni opponeretur, facilè patet, ex particulari traditione nihil, quod creditu neceſſarium ſit, eſſe depromendum. At verò nullus fidei articulus eſt, qui ex traditione Eccleſiæ univerſali, ſecundum quam aliquid ſemper, ubique & ab omnibus creditum fuit, probari poſſit & in ſcripturis non exſtet. Traditiones enim horum vel illorum Patrum, harum vel illarum Eccleſiarum, horum vel illorum Pontificum particulares nil moramur. IV. Si traditio Eccleſiæ, ſi conſenſus Patrum, ſi Canon Eccleſiæ valet, ad Scripturas Canonicas in rebus fidei ſemper recurrendum eſt. V. Non datur ullum certius principium, non dulcior fons, ex quo fides hauriri queat, quàm Scriptura ſacra. Quicunque igitur ex fontibus impuris & ubi deceptionis magnum eſt periculum, bibunt, perperam faciunt. VI. Nec revelationes immediatæ quoque fons fidei eſſe poſſunt, quippe ad quas in libris ſcriptis nullibi ſed potius ad λόγον προφητικὸν βεβαιότερον *2. Pet.* I. 19. ablegati ſumus, quæ & dubiæ ſunt perpetuoque ſi valerent, quæcunque jactantur, in incertitudine Eccleſiam, maximè cùm inſpirationum verarum criteria tàm dubia, ſaltem tàm difficilia ſint, relicturæ eſſent. Et hæc de Scripturæ perfectione eſſentiali. Finalis verò, quæ agenda maximè reſpicit, &, quod libros V. T. ſpectat, ex *2. Tim.* III. 16. probatur & ex omnibus ferè N. T. paginis adſtrui poteſt,

Digitized by Google

Qui ſummam rerum noſſe avet, prædicationem Chriſti in monte factam ſaltem perlegat.

§. IX.

Tertia Scripturæ S. affectio eſt autoritas Canonica & normativa. Rem itidem certas in poſitiones redigamus. I. In V. T. normam fidei fuiſſe legem ſcriptam patet vel maximè ex *Luc.* XVI. 29. *Joh.* V. 39. *Jeſ.* VIII. 20. 2. *Pet.* I. 19. 2. *Tim.* III. 16. & ex omnibus allegatis, quæ in libris N. T. exſtant, ubi tamen probè obſervandum, Canone V. T. nondum clauſo principium S. Scripturæ non fuiſſe ſolitarium ſed revelationes divinas ipſi fuiſſe collaterales. At clauſo dein perfectoque Canone ſola ſcripta lex fuit principium fidei. *Act.* XVII. 11. XXVI. 22. 1. *Cor.* XV. 3. ſqq. II. Libri Scripturæ S. olim Canonici nuncupati fuere, non quòd eſſent Canon fidei & morum ſed quod per Canonem Eccleſiaſticum eorum avthentia fuit determinata. III. Verbum divinum per Chriſtum & Apoſtolos ſive prædicatum ſive ſcriptum norma fidei & morum eſt. *Matth.* VII. 24. ſqq. *Joh.* VIII. 31. *Eph.* II. 20. 1. *Theſſ.* II. 13. *Joh.* XX. 31. IV. Quodnam à Chriſto Apoſtoliſque verbum prædicatum fuerit, ex ſcriptis Apoſtolicis certiſſimè conſpici poteſt, incertiſſimè ex traditionibus, quæ & eapropter norma fidei eſſe non poſſunt. V. Ex ſolâ Scripturâ S. decidendas eſſe controverſias Chriſtianorum, hinc ſole clarius patet. Etſi

Digitized by Google

tata, traditio traditioni opponeretur, facilè patet, ex particulari traditione nihil, quod creditu neceſſarium ſit, eſſe depromendum. At verò nullus fidei articulus eſt, qui ex traditione Eccleſiæ univerſali, ſecundum quam aliquid ſemper, ubique & ab omnibus creditum fuit, probari poſſit & in ſcripturis non exſtet. Traditiones enim horum vel illorum Patrum, harum vel illarum Eccleſiarum, horum vel illorum Pontificum particulares nil moramur. IV. Si traditio Eccleſiæ, ſi conſenſus Patrum, ſi Canon Eccleſiæ valet, ad Scripturas Canonicas in rebus fidei ſemper recurrendum eſt. V. Non datur ullum certius principium, non dulcior fons, ex quo fides hauriri queat, quàm Scriptura ſacra. Quicunque igitur ex fontibus impuris & ubi deceptionis magnum eſt periculum, bibunt, perperam faciunt. VI. Nec revelationes immediatæ quoque fons fidei eſſe poſſunt, quippe ad quas in libris ſcriptis nullibi ſed potius ad *λόγον προφητικὸν βεβαιότερον* 2. *Pet.* I. 19. ablegati ſumus, quæ & dubiæ ſunt perpetuoque ſi valerent, quæcunque jactantur, in incertitudine Eccleſiam, maximè cùm inſpirationum verarum criteria tàm dubia, ſaltem tàm difficilia ſint, relictura eſſent. Et hæc de Scripturæ perfectione eſſentiali. Finalis verò, quæ agenda maximè reſpicit, &, quod libros V. T. ſpectat, ex 2. *Tim.* III. 16. probatur & ex omnibus ferè N. T. paginis adſtrui poteſt,

Qui ſummam rerum noſſe avet, prædicationem Chriſti in monte factam ſaltem perlegat.

§. IX.

Tertia Scripturæ S. affectio eſt autoritas Canonica & normativa. Rem itidem certas in poſitiones redigamus. I. In V. T. normam fidei fuiſſe legem ſcriptam patet vel maximè ex *Luc.* XVI. 29. *Joh.* V. 39. *Jeſ.* VIII. 20. 2. *Pet.* I. 19. 2. *Tim.* III. 16. & ex omnibus allegatis, quæ in libris N. T. exſtant, ubi tamen probè obſervandum, Canone V. T. nondum clauſo principium S. Scripturæ non fuiſſe ſolitarium ſed revelationes divinas ipſi fuiſſe collaterales. At clauſo dein perfectoque Canone ſola ſcripta lex fuit principium fidei. *Act.* XVII. 11. XXVI. 22. 1. *Cor.* XV. 3. ſqq. II. Libri Scripturæ S. olim Canonici nuncupati fuere, non quòd eſſent Canon fidei & morum ſed quod per Canonem Eccleſiaſticum eorum avthentia fuit determinata. III. Verbum divinum per Chriſtum & Apoſtolos ſive prædicatum ſive ſcriptum norma fidei & morum eſt. *Matth.* VII. 24. ſqq. *Joh.* VIII. 31. *Eph.* II. 20. 1. *Theſſ.* II. 13. *Joh.* XX. 31. IV. Quodnam à Chriſto Apoſtoliſque verbum prædicatum fuerit, ex ſcriptis Apoſtolicis certiſſimè conſpici poteſt, incertiſſimè ex traditionibus, quæ & eapropter norma fidei eſſe non poſſunt. V. Ex ſolà Scripturà S. decidendas eſſe controverſias Chriſtianorum, hinc ſole clariùs patet. Etſi

Digitized by Google

enim Scriptura S. non ſit Judex perſonalis, qualis nec in hiſce terris requiritur, cùm ſolus DEUS ſibi hoc judicium in die extremo ferendum reſervaverit iique, qui ſibi illud in his terris arrogant, & ex ſcripturis ſanctioribus hoc privilegii, quod affectant, probare nequeant & fallibilitatis ſuæ quotidiana dent ſpecimina, etſi inquam Scriptura S. non ſit Judex perſonalis, eſt tamen realis, hoc eſt, eſt ea lex, ſecundum quam judicium olim feretur *Joh.* XII. 48. Cæterùm nolim hùc trahere *Hebr.* IV. 12. ubi potius de efficacia verbi divini agitur, nec *Gal.* VI. 16. ubi per Canonem vel verſus præcedens vel nova creatura intelligitur. Aſt non opus eſt, multis poteſtatem normativam Scripturæ S. probare, cum ſuppoſita ſemel ejus divinitate & integritate ea per ſe pateat. At verò ſi Scriptura S. norma fidei eſt, profectò non doctis ſolùm ſed & laicis legenda & ſcrutanda venit *Joh.* V. 39. *Act.* XVII. 11. cùm nihil abſurdius ſit, quàm normam alicui præſcribere, quam iſte noſſe haud debeat, vel quam ſine periculo noſſe haud poſſit. *Luc.* XVI. 29. *Rom.* I. 7. 1. *Cor.* I. 2. *Col.* IV. 16. 1. *Theſſ.* V. 27. *Deut.* VI. 6. ſqq. XXXI. 11. 12. *Ieſ.* XXXIV. 16. *Pſ.* I. 2.

§. X.

De perſpicuitate velim breviſſimis iſta notari. I. Præcepta in lege V. T. contenta eſſe planè clariſſima, fatente Pſalmiſta *Pſ.* XIX. 9. CXIX.

Digitized by Google

CXIX. 105. II. Vaticinia de Chriſto, quæ in V. T. exſtant, ſi non clariora tamen firmiora eſſe lumine Thaborio, imò eſſe Phoſphorum lucentem 2. *Pet.* I. 19. III. Evangelium ſive prædicatum ſive ſcriptum clarum eſſe iis omnibus, qui luci illuminandos ſe præbent, cæteris non item, & obſcurum ſaltem evadere hominum vitio 2. *Cor.* IV. 3. 4. IV. Scripturam collectivè atque in toto ſuo complexu ſumtam eſſe clariſſimam, ita ut omnia credenda & agenda clariſſimè in eâdem poſita inveniantur, id quod ex inductione vel maximè patet. Itaque non negatur, multa, quæ ad articulos fidei non pertinent, in ſcripturis obſcura reperiri, nec negatur quoque, exſtare & loca in ſcripturis, ubi articuli fidei tractentur, quæ obſcura ſint & ubi ſenſus difficulter eruatur. Sufficit, eſſe alia loca, ubi res exponatur clarius. Cæterùm multa heic dicta pro perſpicuitate Scripturæ S. allegari videas, nihil omninò probantia. Quod reſtat, de interpretatione Scripturæ S. hîc ut quædam dicamus, occaſio ſe exhibet. Sed nolumus jam in iſtum campum exſpatiari prolixiuſque hoc argumentum, quod ad Theologiam exegeticam pertinet, tractandum ſuſcipere. Vide interim *Primitias Tubingenſes* P. I. p. 14. ſqq. P. II. p. 56. ſqq. 107. ſqq.

§. XI.

De efficacia Scripturæ S. ut jam agamus, rerum ordo poſcit. Intelligitur autem per efficaciam

eaciam Scripturæ S. intrinſeca illa atque divina vis Evangelii, quâ illuminamur, convertimur atque ſalvamur. Hâc ratione Salvator Chriſtus verbum ſuum *ſpiritum & vitam* nuncupavit. *Joh.* VI. *63. 68.* Ita & Evangelium *Rom.* I. *16.* vocatur potentia DEI & 1. *Petr.* I. 23. *ſemen incorruptibile*, in æternum permanens additurque in his locis, nos *per illud regenerari & ſalvari.* Adjice *Joh.* XX. 31. 1. *Cor.* I. 21. *Luc.* XXIV. 32. *Joh.* XVII. 17. 20. XV. 3. 2. *Cor.* III. *6. Deut.* XXXII. 47. 2. *Tim.* III. 15. *16.* 1. *Cor.* II. 4. 5. IV. 15. *Hebr.* IV. 12. *Rom.* X. 17. *Col.* I. *5. 6.* Scilicet, ubi voluntas DEI de noſtrâ ſalute nobis innoteſcit perque fidem nobis admiſcetur *Hebr.* IV. 2. vi quadam Spiritûs S. in nobis operantis ſupremâ atque divinâ percellitur animus, compungitur, illuminatur, convertitur. Nec opus eſt, ut arbitramur, in campum ſcholaſticum atque arenam polemicam hîc deſcendere, ubi vel maximè iis dica ſcribitur, qui virtutem objectivam & ſignificativam ſaltem verbo divino, non autem inſitam, internam & operativam concedunt, quâ ſub ratione medii id nos convertit & ſalvat, vel qui Scripturam S. literam mortuam eſſe dicunt. Multis enim logomachiis hîc diſſentientes operam dare ex eo facile patet, quoniam, qui materiale ſcripturæ à formali ſolicitè hîc diſtinguunt, facilè omninò litem hanc diſſlant. Materiali quippe in ſe ſpectato ut virtutem iſtam divinam adſcribamus, nemo requirit. At formali,

mali, quod eſt conceptus ille ἔκτυπος, non ἀρχέτυπος divinæ voluntatis de noſtra ſalute, qui per ſignum externum Scripturæ ſanctioris nobis ſignificatur, nemo virtutem divinam denegabit, neque in actu primo nec ſecundo. Quemadmodum enim conceptus humanus vim perſuadendi non ſaltem objectivam ſed etiam ſubjectivam & formalem, adeoque & in actu primo & ſecundo habet, ſed ſaltem humanam, ita conceptus ſive ſenſus divinus eodem modo divinam habet & ſupernaturalem, quâ animus convertitur Spiritûſque S. lumine & virtute ſic imbuitur. A materiali verò quin formale ſeparari poſſit quotidieque à malè ſapientibus & incredulis iiſque, quos vel præjudicia vel impietas vel ignorantia rerum occœcat, ſeparetur, nullum eſt dubium. At, ubi formale incorruptum adeſt & cum hoc formali conjunctum materiale, ibi ſemper efficax id eſt vel ad mortem vel ad vitam *Hebr.* IV. 12. *Joh.* XII. 48. 2. *Cor.* II. 15. 16. Cæterùm bene notandum (1) Verbum DEI non eſſe ipſam mentem Domini vel DEUM ipſum ſed ſaltem ejus expreſſionem adeoque rem quandam creatam, quâ Spiritus S. noſtram converſionem operatur, (2) efficaciam illam, de quâ loquimur, conceptibus in S. Scripturâ efformatis planè inſitam eſſe, ita ut conceptus hi etiam in actu primo, ubi nec leguntur nec prædicantur, tamen ſint efficaciſſimi, & actu ſecundo ſuam deinde efficaciam exferant

erant, niſi obex moroſæ reſiſtentiæ ponatur, (3) efficaciam hanc ad ſalutem operandam huic ſaltem Scripturæ parti aſſignandam eſſe, quæ ordinem ſalutis nobis tradit, non quæ res merè theoreticas e. g. hiſtorica, Geographica, Genealogica nobis ſiſtit, quorum ad ſalutem vel regenerationem in nobis operandam efficacia nulla ſtatui poteſt, (4) ex his, quæ poſuimus, diſpaleſcere, quid homo irregenitus propriis viribus & ſine lumine Spiritûs S. in ſcripturis ſanctioribus rectè aſſequi poſſit, quid ſecus. Ea ſcilicet, quæ mere theoretica ſunt & directe ad converſionem noſtram operandam haud vergunt. Id quod verò de iſtis conceptibus divinis, per Scripturam S. qui nobis innoteſcunt, dici nequit, qui ſpiritum, hoc eſt, efficaciam divinam ſecum conjunctam habent adeoque & ſine ſpiritu capi non poſſunt, cum homo ψυχικὸς τὰ τῦ πνεύματ-τος nequeat δέχεσθαι, 1. *Cor.* II. 14. prout natura gratiam capere & adprehendere nequit. Quod reſtat, id quod præcipuum in toto hoc de Scriptura S. articulo eſt, pauciſſimis efferimus, ita ſcilicet eam in uſus noſtros adhibendam tractandamque eſſe, ut eâ convertamur, ſanctificemur melioreſque & pii efficiamur. Quid enim juvat, hunc de divinis tabulis articulum magna cum eruditione enarrare poſſe, quid juvat in bellis literariis contra incredulos, contra Romanenſes & contra Fanaticos homines, qui igne quodam fatuo, quem lumen divinum eſſe miſeri crepant, hìc feruntur. ἀριςεύειν, quid

juvat

Digitized by Google

juvat in communibus ſententiis ex nimiâ ſæpiùs ſcrupuloſitate ortis & ubi externis, quibus mens divina exſcripta exſtat, ſignis nimia ſubinde adſcribuntur, defendendis tenaciſſimum & religioſiſſimum eſſe, ſi efficaciam verbi quoad te vitiis tuis ſufflamines ipſe, ſi armis hiſce ad debellandam impietatem, mundum, Satanam, ad jugulandos pravos affectus minus utaris, ſi, ubi divina hæc lux plena te circumfuderit, oculos claudas atque tanquàm in tenebris ambules caligeſque, ubi videre poteras, ſi velles. Ita verò verbum ad vitam datum evadit judex *Joh.* XII. 48. & quod odor vitæ ad vitam erat, odor erit mortis ad mortem omnibus, qui **πρὸς κέντρα λακτίζουσι.** 2.*Cor.*II.15.16. Ejiciendus potius animo eſt omnis ſcientiæ & eruditionis apparatus, qui pietate caſſus eſt, & ſi ita res habeat, impedimentorum loco habendus & ad **σκύβαλα** illa *Phil.* III. 8. relegandus, quàm ut hoc in rerum ſalutiſque periculum incurratur, ubi, quò major ſcientia, eò major reddenda erit ratio. O verò felices eos & terque quaterque imò millies atque in infinitum beatos, qui hoc lumine & illuminari ſe & emendari patiuntur & quos Spiritus hic, divina animis mutatione, ſanctitate & virtute affuſâ, ſanctificat. Eja, *ſanctifica nos,* O Pater, *in veritate tuâ, verbum tuum eſt veritas. Joh.* XVII. 17.

§. XII.

Poſtremum Scripturæ ſacræ attributum eſt

integritas, juxta quam & nullus liber Canonicus ſive qui unquam in Canone fuit, periiſſe & ſinguli libri Canonici ab omni corruptione univerſali hactenus præſervati eſſe dicuntur. Quod prius attinet, ſolicite repetendum nobis eſt, diſtinguendum hic eſſe inter librum divinitus inſpiratum & librum Canonicum, nec negari poſſe, prioris ordinis libros periiſſe, id quod tamen de Canonicis quò minus adfirmemus, impedit Canon vetus Eccleſiæ & Judaicæ & Chriſtianæ, quem ſi inſpexeris, nullum profectò librum, qui in hodierno Canone deſit, in eo conſpicies. Duo verò ſunt, quæ Canonicum librum efficiunt, unum, ſi ſit divinus inſpiratus, alterum, ſi tanquàm norma fidei Eccleſiæ divinitus ſit traditus, id quod per ejus conſtans perpetuumque teſtimonium nobis innoteſcit. Quod verò integritatem partialem librorum ſacrorum concernit, optimum, quod heic adferri queat, argumentum, uti ſupra jam diximus, ex conſenſu codicum manu ſcriptorum & verſionum petitur, ex quo conſpicitur, nullam corruptionem univerſalem, quæ & alicujus momenti ſit, in textum hic irrepſiſſe, profectò haud voluntariam, quæ ſane quoad vetus Teſtamentum Judæis affingi non poteſt, cùm aliàs à Chriſto Apoſtiſque & Eccleſiæ Patribus fuiſſet notata, quoad novum verò Teſtamentum itidem fieri haud potuit ob innumera apographa per totum mundum diſperſa, quæ ita corrumpi uno ictu haud potuere, ut nullum corruptionis hujus veſtigium

Digitized by Google

um in ſcriptis veterum exſtaret. Et ſic de Scripturæ S. affectionibus abundè ſatis egimus.

§. XIII.

Jam verò ubi, quæ de S. Scripturâ noſſe oportet, ex ſacris iiſdem literis protulimus, num eum iis, quæ tradidimus, librorum noſtrorum ſymbolicorum conſpirent effata, facile patet. Perpauca autem ſunt, quæ in iiſdem inveniuntur, hùc ſpectantia. Nec eſt ferè, quod in cenſum hic venire mereatur niſi id, quod in Formula Concordiæ ſub rerum initium exſtat, ubi determinatur, Scripturam S. *unicam fidei normam* eandemque *limpidiſſimos puriſſimoſque Iſraelis fontes* eſſe. Addi poſſunt, quæ de traditionum humanarum nullâ ad ſalutem gignendam virtute in libris ſymbolicis paſſim dicuntur, quæ & de efficacia verbi externi ad convertendos hominum animos contra Enthuſiaſtas maximè p. 331. ſqq. 579. 670. afferuntur. Sed enim hæc cum iis, quæ poſuimus, amiciſſimè conſpirant.

§. XIV.

Hiſtoriam hujus articuli dogmaticam ſi pandere vellemus, non jam unus vel alter paragraphus conficiendus ſed volumen dandum eſſet. Aſt ſuffecerit nobis pro inſtituti, quod perbreve eſt, ratione, ſi fontes rerum ſaltem lectoribus noſtris aperuerimus. Hiſtoriam Canonis Biblici, quæ utique maximi momenti eſt, dedere JO. COSINUS, Epiſcopus Dunelmenſis Anglus, PET. DAN. HUETIUS, Epiſcopus Abrincenſis Gallus, JOSEPHUS DE VOISIN,

JO. MARTIANÆUS, HUMPHREDUS HODY, GERHARDUS VAN MASTRICHT, JAC. BASNAGE & JO. MILLIUS, ut Autores noſtros Theologoſque, qui idem argumentum quoque ſed non illâ rebus prolixâ curatâque operâ datâ excoluere, inter quos ***πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων*** prodit THUMMIUS noſtrâs, qui tùm in *ſynopſi* tùm in *diſquiſitione de verbo DEI* hiſtoriam dogmaticam articuli de Scripturâ S. multâ eruditione adſperſam tradidit, utpote in *lectione I. præliminari in Matthæum* habitâ à nobis pridem recenſitos taceamus. Idem verò & THUMMUS velim de traditionibus non ſcriptis cum CHAMIERI *Panſtratiâ Catholicâ* & CHEMNITII *Examine Concilii Tridentini* conſulatur, queis addi debent DION. PETAVII *prolegomena in dogmata Theologica*, JAC. BASNAGII *Hiſtoria Eccleſiæ* L. IX. C. 5. ſqq. & quæ nos in *notis ad Irenæi fragm.* 2. diximus. Argumentum de traditionibus exegeticis (diſtinguendæ enim ſolicitè ſunt dogmaticæ, exegeticæ, hiſtoricæ & rituales) egregie excuſſit DAN. WHITBY in *diſſ.* de *ſacrarum Scripturarum interpretatione ſecundum Patrum commentarios*, quæ Londini A. 1714. prodiit. Hiſtoriam textus Biblici veteris novique Teſtamenti enarravere RICH. SIMON, JAC. LE LONG, BRIANUS WALTONUS, MICH. WALTHER, ABR. CALOVIUS, JO. MILLIUS, JO. ALB. FABRICIUS ſcripturarumque ſacrarum præcipui

pui interpretes omnes. Hiſtoriam dogmaticam controverſiæ inter Orthodoxos & Pontificios de Scripturis & ſacris vernaculis, quò & de Sacræ Scripturæ lectione laicis concedenda argumentum pertinet, datâ operâ exaravit JAC. USSERIUS, Archiepiſcopus Armachanus, digeſtamque & notis atque auctario donatam Londini A. *1690.* edidit HENR. WHARTON. Et verò ſi unicum ſaltem Autorem quendam quis hîc noſſe anhelaverit, quem conſulere præ aliis poſſit, DABIMUS MAGISTRUM, quod de Tertulliano dixit Cyprianus, JO. nempe GERHARDUM, Theologum noſtratem, qui in *locis theologicis*, qui in *confeſſione Catholicâ* mirâ induſtriâ loca Patrum, articulum quæ hunc noſtrum illuſtrant, in unum coacervavit, ut HEERBRANDUM, ut HAFENREFFERUM noſtrum, ut alios jam taceamus, apud quos hiſtoria dogmatum floret atque utramque ſemper paginam facit. De inſpiratione librorum ſacrorum quæ conferri poſſunt Patrum effata, apud DAN. WHITBY in *prolegomenis* ad *commentarium Anglicanum in novum Teſtamentum* collecta vididimus. Inter Romanenſes denique ante omnes alios conferendi hoc in articulo quoad dogmatis hiſtoriam veniunt CANISIUS, BELLARMINUS, CHERUBINUS, MASSUETUS. At verò in omnibus locis theologicis iidem Patrum, ut conſtat, loca magno conatu cumulant.

§. XV.

Digitized by Google

§. XV.

Reſtat, ut huic de Scriptura S. articulo umbilicum imponamus. Quod fiet, ſi pauciſſimis quæſtiones controverſiaſque, quæ in eodem occurrunt, ſuas in claſſes pro ratione inſtituti digeſſerimus. Prima claſſis eſt quæſtionum realium & neceſſariarum, quæ ſcilicet momentum haud parvum ſecum trahunt. Hùc pertinent ſequentes: Num Scriptura S. quoad dogmata, quæ continet, resque geſtas præcipuas vera ſit, origine itidem divina, ita ut certo illi inniti poſſis? contra incredulos, qui veritatem religionis Chriſtianæ vel negant vel in dubium vocant. Porrò num Scriptura S. omnia ſcitu & creditu ad ſalutem neceſſaria contineat adeoque unica perfectaque credendorum & agendorum norma ſit? contra Romanenſes, qui hoc negant ajuntque, & traditiones dogmaticas & rituales, nempe oretenus hactenus propagatas, donec per conſenſum Patrum, ſtatuta Conciliorum & Pontificum Romanorum & liturgias Eccleſiæ ſcripto exponerentur, pari pietatis affectu cum ſcripturis Canonicis recipiendas eſſe, cùm ex conſenſu Eccleſiæ univerſalis iſtas Apoſtolicam habere originem pateat Eccleſiaque, maximè, quod ritus attinet, talia ſtatuta imponere fidelibus poſſit; itemque contra Fanaticos, qui lumen immediatum Spiritûs S. quo illuſtrari ſe putant, vaſtantur, fidei normam ſcripturæque S. ſi non præſe-

præferendum, certe æquiparandum eſſe. Rurſus, num ſola Eccleſia Romana habeat facultatem Scripturas interpretandi ipſiuſque explicationes ſine controverſiâ ſint adprehendendæ? Num laicis quoque permittenda ſit ſcripturarum divinarum lectio easque in ſermonem vernaculum transferre licitum ſit? Utrum libri è Canone perierint? Num, quos nos putemus apocryphos, ad Canonem pertineant? num verſiones dentur infallibiles & authenticæ atque textus Hebraicus V. T. & Græcus N. T. ita ſit corruptus, ut verſiones vel Græca vel Vulgata ſint meliores & fide digniores? Num judex controverſiarum perſonalis à DEO deſignatus vel Eccleſiæ neceſſarius ſit? Accedunt jam aliæ quæſtiones, quæ momentum quod attinet rerumque pondus, memoratis cedunt. An res non ſolùm ſed & verba inſpirata ſint? An nulli planè errores hiſtorici, genealogici, chronologici &c. in ſacris Scripturis inveniantur? Num inſpirationis nulli admittendi ſint diverſi gradus? Num puncta vocalia coæva literis, num & θεόπνευςα illa ſint, quod & de accentibus quæri poteſt? Num Scriptura S. V. T. literis Samaritanis primùm conſignata fuerit, queis dein Aſſyriacæ ſucceſſerint? Quid de Maſorâ tenendum & num ea ſepes legis ſit? Num in nullo planè vel V. vel N. T. loco etiam, qui fidei caput nullum tangit, corruptio codicum exſtantium univerſalis reperiatur? & quæ alia

ſunt

Digitized by Google

ſunt hùc referenda, curioſa potius quàm utilia & ſcitu neceſſaria. Denique & logomachias in hoc de ſcripturis ſacris articulo magno numero tractari videas aut quæſtiones ſaltem, queis multum logomachiæ ineſt. Quale quid eſt, ubi quæritur, an Scriptura ſacra fuerit neceſſaria? an Apoſtoli ſcripſerint mandato divino? Num in Scripturâ S. inveniantur barbariſmi & ſolœciſmi? Num eadem ſit perſpicua? Num in uno dicto plures admitti ſenſus poſſint debeantve? Num Scriptura S. ſit judex controverſiarum? Num Ratio judex vel principium fidei ſit? Num Scriptura S. ſit efficax extra uſum? Num Scripturæ autoritas dependeat à teſtimonio Eccleſiæ? Num textus Vulgatus dici poſſit authenticus? Num libri V. T. ſint adhuc norma in Novo? & quæ alia ſunt, heic à nobis pluribus haud cumulanda, quoniam Theologiam polemicam jam datâ operâ tradere & quî terminis ritè explicatis lis tota hîc diffluat, oſtendere noſtri jam inſtituti haud eſt. Sed enim ex propylæo in ipſum Theologiæ dogmaticæ palatium introire atque ibidem ſedem figere & commorari pauliſper atque ex uno conclavi ad aliud penetrare omniaque,
quæ viſentibus hîc ſe offerunt,
vaſa excutere alacres jam
contendimus.

INSTI-

Digitized by Google

INSTITUTIONUM

THEOLOGIÆ DOGMATICÆ

PARS PRIMA,

CAPUT I.

DE DEO.

§. I.

PRæmiſſis jam prolegomenis, quæ ad ſyſtema Theologiæ dogmaticæ formandum viam ſternunt, è veſtibulo rerum in ipſum, quod luſtrandum nunc nobis venit, ſacrarium alacres attentique ingredimur. Ubi profectò primum illud, quod oculis noſtris ſpectandum offertur vel menti potius noſtræ curatius meditandum proponitur, DEUS eſt, rerum omnium, quæ cogitari poſſunt, nobiliſſimum, perfectiſſimum præſtantiſſimumque illud ENS, cui omnia reliqua originem ſuam, cui & noſmet ipſi omne id, quod ſumus vivimusque, debemus. Hoc quamvis nobis, qui finiti ſumus, incomprehenſibile ſit nulloque termino, qui ex aſſe ipſi

ipſi conveniat definitumque ſuum exhauriat, deſcribi poſſit, haud tamen errabimus, ſi dixerimus, DEUM eſſe ENS neceſſariò exiſtens, independens, unum, ſimpliciſſimum, ſpirituale, immutabile, infinitum, æternum, immenſum, omnipotens, omniſcium, ſapientiſſimum, providum, ſanctiſſimum, optimum, miſericors, juſtiſſimum, veraciſſimum, liberrimum, beatiſſimum perfectiſſimumque & excellentiſſimum, quod omnia creaverit, omnia ſervet, cui abſoluta in omnia poteſtas competat, id denique, quod præcipuo quodam ſummoque jure ſuo SUMMUM BONUM dici mereatur, in quo ſolo ſalutem beatitudinemque & felicitatem veram æternamque nobis invenire contingat, dignum profectò NUMEN, quod amemus, colamus, veneremur, ac præſtitis obſequiis, quæcunque vel cogitare ſaltem poſſumus, domitâque quàvis pravà cupiditate, quibuſcunque vitiis jugulatis neglectiſque omnibus mundi hujus bonis timeamus, imitemur nobiſque eo, ac idem id fieri jubet vultque, modo conciliemus. Agedum, cùm hæc planè excellentia ſint ſcituque neceſſaria atque omnia ENTI SUMMO OPTIMOque vel maximè congrua, talia &, quæ Chriſtiana religio omninò SUPREMO NUMINI adſcribat, per ſingula rerum capita brevibus eamus ampliſſimumque argumentum nuci, ſi fieri poſſit, includamus.

§. II.

Digitized by Google

§. II.

At primò quidem injurius ferè in lectorem Chriſtianum, quod ſapiens quidam monet, quis fuerit, ſi, EXISTERE DEUM, quem deſcripſimus, ducto hanc in rèm tùm ex ratione tùm ex revelatione longo argumentorum ſyrmate, probatum iverit, cùm & veteres Philoſophi jam ſtolidum eſſe innuerint, de re, tantam quæ evidentiam ſecum ferat, vel tantiſper dubitare, & divinus Pſaltes *Pſ.* XIV. 1. idem adfirmet, & primum id ſit principium quoddam, cujus neceſſaria haud videatur demonſtratio, proceſſuſque etiam cauſarum finitarum in infinitum materiæve aut mundi æternitas in terminis contradictionem implicent ſemetque hæc invicem ipſa jugulent, denique & natura DEUS eſſe; niſi id, quod finitum eſt & contingens dependenſque, infinitum & independens & neceſſarium & quæ alia ſunt ad DEUM pertinentia, ſimul eſſe maximâ cum judicii ſanioris eclipſi exiſtimaveris, nequeat. At verò cùm & connata inſitaque ſummi Creatoris notitia conſcientiæque dictamen, quod maximè Apoſtolus Paulus *Rom.* I. 19. II. 15. urget, & cujus rationes in capite, de homine ubi agemus, enarrabimus, & rerum creatarum ſummique, quo omnia, quæcunque exſtant, ſecum invicem connectuntur gubernanturque, ordinis ſummæque, quâ fulgent, pulchritudinis, cum quibus utique & fortuitus atomo-

rum concurſus conſiſtere nequit, aſpectus *Act.* XIV. 17. XVII. 24. ſqq. *Rom.* I. 20. *Jeſ.* XL. 26. *Pſ.* XIX. 1. ſqq. imò & noſmet ipſi, qui exiſtimus & exiſtere cœpimus, vel ſolà exiſtentiâ noſtrà, DEUM ESSE, qui nos, qui & cætera, quæcunque ſunt, condiderit, clamitemus, argumentaque adeò & metaphyſica & moralia & hiſtorica & domeſtica & externa ſint ipſeque gentium univerſalis conſenſus, qui DEUM eſſe dictitet inculcetque, ii denique, qui ſcepticiſmo univerſali inhiant, per omnia, quæ proferunt ipſi, ſtultitiæ manifeſtiſſimæ rei peragi ſine ullo negotio poſſint, nil ſupereſt, quàm ut, DEUM ESSE, veritatem indubiam eſſe dicamus, quam qui neget, vel ſanam mentem vel ſanam voluntatem vel utramque penitus ejuraverit ſtultiſque accenſeri pœnâque etiam plecti præcipuo quodam jure ſuo mereatur.

§. III.

Jam, ubi DEUM ESSE demonſtravimus, QUID ille ſit, cognoſcere nobis licebit, non quidem perfectè, quis enim ENS INCOMPREHENSIBILE comprehenderit? *Gen.* XXXII. 29. *Ex.* XXXIII. 18. ſqq. *Indic.* XIII. 18. *Jerem.* XXXII. 19. *Pſ.* XCII. 6. CXXXIX. 6. *Iob.* XXXVI. 26. *Ioh.* I. 18. *Rom.* XI. 33. 34. 1. *Tim.* VI. 16. 1. *Ioh.* IV. 12. ſed prout mortali & viatori id datum eſt. 1. *Cor.* XIII. 9. 12. Quis verò ille ſit, ex attributis ejus, quæ idem cum ipſo ſunt,

ſunt, etſi à nobis diverſimodè concipi pro diverſarum, quas connotant, relationum ratione debeant, liquet. Ita ſcilicet ipſæ ſanctiores tabulæ DEUM nobis depingunt, ſive datis ipſius nominibus, ex quibus illud יהוה eminet, id ipſum propriè ad ſolum DEUM, uti rectè CLERICUS ad *Gen.* XVI. 13. *Ex.* XX. 1. XXIII. 20. exiſtimat, pertinens ipſiuſque eſſentiam exprimens *Ex.* III. 13. ſqq. VI. 3. *Apoc.* I. 4. 8. IV. 8. XI. 17. XVI. 5. (ubi ἐσόμενος, non ὅσιος juxta HEIDEGGERUM, qui tamen aliàs Scripturam ſacram ab univerſali etiam minutiſſimorum corruptione immunem pronunciat, legendum eſt,) ſive recenſitis ipſius attributis, uti videre eſt ex iis, quæ *Ex.* XXXIV. 6. 7. *Deut.* VI. 4. XXXII. 4. ſqq. *Jeſ.* XLII. 8. *Joh.* IV. 24. 1. *Tim.* I. 17. VI. 15. 16. ponuntur. Sunt autem attributa DEI, (quæ nolim quæſo accidentium in numero habeas,) ut jam diſtinctionem illam inter quieſcentia & operativa mittamus, vel negativa vel poſitiva. Priora tria potiſſimùm ſunt, independentia, aliàs aſeitas, cæterorum attributorum radix & conceptus DEI, quem barbaro admodum vocabulo eoque haud neceſſario homines nuncupant ſcholaſtici, quidditativus, quem alii infinitatem eſſe ajunt, *Jeſ.* XLI. 4. XLIII. 10. XLIV. 6. *Joh.* V. 26. *Apoc.* I. 8. unde & unitas DEI diſpaleſcit *Deut.* VI. 4. *Jeſ.* XLIV 6. 8. *Marc.* XII. 29. 1. *Cor.* VIII. 4. 1. *Tim*

H 2 II. 5.

II. 5. 1. *Ioh.* V. 7. ſimplicitas, juxta quam DEUS omnis confuſionis compoſitioniſque & mutationis expers eſt, actus ſcilicet puriſſi-& ſpiritus κατ' ἐξοχὴν, immortalis adeò & inviſibi-lis incorruptibiliſque *Ex.* III. 14. *Mal.* III. 6. *Pſ.* XXXIII. 11. CII. 27. 28. *Ioh.* IV. 24. *Rom.* XI. 29. 2. *Cor.* III. 17. 1. *Tim.* I. 17. VI. 16. *Hebr.* VI. 17. *Iac.* I. 17. atque infinitus *Ieſ.* XL. 12. ſqq. *Pſ.* CXLV. 3. *Iob.* XI. 7. ſqq. quò pertinet æternitas *Gen.* XXI. 33. *Ieſ.* XL. 28. *Pſ.* XC. 2. CII. 28. *Iob.* XXXVI. 16. *Hebr.* I. 20. XVI. 26. 1. *Tim.* I. 17. VI. 16. *Hebr.* IX. 14. & immenſitas atque omnipræſentia 1. *Reg.* VIII. 27. *Ieſ.* LXVI. 1. *Ierem* XXIII. 23. 24. *Pſ.* CXXXIX. 7. ſqq. *Iob.* X. 8. *Act.* XVII. 28. Poſitiva verò attributa ſunt perfectio infinita, quæ uno nomine illa omnia & majeſtatem maximè complectitur *Deut.* VII. 21. *Pſalm.* XLVII. 3. L. 9. 12. *Luc.* I. 32. *Act.* XVII. 25. *Iac.* I. 17. omnipotentia *Gen.* XVIII. 14. *Matth.* XIX. 26. *Luc.* I. 37. *Eph.* III. 20. quâ DEUS omnia, quæ vult, efficere valet, exceptis, quæ contradictoria ſunt & quæ vel ex parte ipſius vel ex parte rei implicant, hoc eſt, omnipotentiam divinam jugulant, quæ qualia ſint, ille maximè ſcit, qui eſt omniſcius, nos imperfectè ac in quibuſdam ſaltem aſſequimur, *Eph.* III. 20. 2. *Tim.* II. 13. quâ & idem creavit mundum *Gen.* I. & conſervat *Hebr.* I. 3. *Col.* I. 16. & miracula facit, queis ordinarium rerum curſum

curſum ſiſtit mutatque, & omnia gratiæ ſuæ opera eaque longè præſtantiſſima perficit *Eph.* I. 19. ſqq. unde &, ubi vita DEO adſcribitur *Deut.* V. 26. XXXII. 40. *Ioſ.* III. 10. 1. *Sam.* XVII. 36. *Ierem.* X. 10. *Ioh.* V. 26. *Act.* XIV. 15. alibique paſſim, vel maximè quoque omnipotentiam divinam, prout illa ſeſe exerit vitamque creaturis largitur & ſervat, intelligi exiſtimamus. Sequitur omniſcientia, quâ DEUS omnia etiam minutiſſima perfectiſſimè novit 1. *Reg.* VIII. 39. *Pſ.* CXXXIX. 1. ſqq. LVI. 9. 1. *Ioh.* III. 20. *Matth.* VI. 26. ſqq. X. 29. *Hebr.* IV. 13. ubi notandum venit, DEUM & ſe ipſum & res poſſibiles rerumque eſſentias, quod ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, quam vocant, neceſſariam illam pertinet, & res actu exiſtentes futuraſque, quæ viſionis eſt ſcientia, hæc ex vaticiniis vel maximè clara, & libera, & futuribiles ſive certâ ſub conditione eâque ponibili non poſitâ futuras licet nunquam futuras, quæ media vocatur 1. *Sam.* XXIII. 11. 12. *Ierem.* XXXVIII. 19. *Ezech.* III. 6. *Matth.* XI. 21. 22. XXIV. 22. *Ieſ.* I. 9. *Act.* XXVII. 3. noſſe. Adjici jam debet ſapientia divina *Rom.* XVI. 27. 1. *Tim.* I. 17. *Iob.* XII. 13. *Matth.* XI. 19. *Pſ.* CIV. 24. CXXXIX. 3. *Prov.* III. 19. VIII. 1. *Eph.* I. 8. *Rom.* XI. 33. & alibi paſſim, quâ providentiam & ſuam DEUS mirè exercet omniaque ad gloriam ſuam manifeſtandam optimoſque fines, uti ſuo loco dicemus, dirigit. Poſt intelligentiam verò divinam ſapientiamque memoranda eſt quoque

voluntas DEI, quâ is ſe ipſum & omnia, quæ extra ipſum ſunt, vult, *Pſ.* CXV. 3. *Rom.* IX. 19. *Eph.* I. 11. *Apoc.* IV. 11. Hæc autem eſt liberrima *Dan.* IV. 32. *Matth.* XX. 15 utpote quæ à creaturis haud determinetur, ſeque ipſam ſola ex ſpontaneo motu determinet, nullâ planè neceſſitate internâ vel externâ vim rebus hîc adferente, ſanctiſſima *Levit.* XI. 44. 45. 1. *Sam.* II. 2. *Jeſ.* VI. 3. XL. 25. *Pſ.* V. 6. LXXVII. 14. I. *Pet.* I. 15. *Apoc.* VI. 10. XV. 4. optima *Matth.* XIX. 17. *Iac.* I. 17. malum adeò morale cauſari neſcia *Pſ.* V. 5. *Iac.* I. 13. *Deut.* XXXII. 4. 1. *Ioh.* II. 16. III. 10. 2. *Tim.* II. 13. *Ioh.* VIII. 44. juſtiſſima *Deut.* XXXII. 4. *Pſ.* XI. 5. 6. 7. CXIX. 137. CXLV. 18. quæ poteſtatem dominiumque DEI in creaturas ſupponit, ex creatione oriundum, *Luc.* XIV. 5. *Act.* I. 7. *Rom.* IX. 20. 21. *Apoc.* IV. 11. *Act.* V. 29. *Pſ.* CXIX. 137. 2. *Theſſ.* I. 5. ita ut non poſſit non idem peccatores in peccato perſeverantes (innocentes enim vexare juſtiſſimus nequit,) vel tandem (mallet enim remittere *Jeſ.* XXVIII. 21. *Thren.* III. 33.) punire, quippe queis niſi reſipiſcentibus atque ad miſericordiam divinam, eo, quo DEUS jubet, ordine confugientibus peccati pœna reatusque non remittitur *Rom.* I. 32. II. 15. *Ex.* XXXIV. 6. 7. *Num.* XIV. 18. *Pſ.* V. 6. ut adeò juſtitia punitiva in DEO planè eſſentialis ſit, uti & miſericordia *Ex.* XXXIV. 6. 2. *Cor.* I. 3. *Rom.* II. 4. *Eph.* II. 4. quâ peccata remittit quoque

Digitized by Google

quoque *Pſ.* CIII. 3. 8. ſqq. *Jer.* XXXI. 34. hominemque ſalvat. Accedit veritas DEI fidesque 2. *Sam.* VII. 28. *Hebr.* VI. 18. *Deut.* XXXII. 4. *Num.* XXIII. 19. *Rom.* III. 4. *Tit.* I. 2. *Hebr.* VI. 18. X. 23. *Pſ.* LXXXIX. 2. ſqq. CXLVI. 6. 1. *Cor.* X. 13. 2. *Cor.* I. 20. 2. *Theſſ.* III. 13. & denique ipſius beatitudo ac gloria 1. *Tim.* I. 11. VI. 15. *Luc.* II. 13. 14. *Eph.* I. 6. ut taceamus, ea, quæ DEO adſcribuntur κατ' ἀνθρωποπάθειαν, affectus & membra humana, odium, iram, amorem, metum, pœnitentiam, oculos, manus, & quæ alia ſunt, de DEO θεοπρεπῶς intelligenda.

§. IV.

Quæ librorum noſtrorum Symbolicorum de hoc articulo mens ſit, ex ſymbolis Apoſtolico Nicænoque patet. Hiſtoriam verò ejuſdem nemo luculentius dedit DIONYSIO PETAVIO, qui primum theologicorum dogmatum tomum argumento huic ex Patribus enarrando conſecravit operâque hâc egregiè admodum defunctus eſt, ut, quæ ad Symbolum Apoſtolicum PEARSONIUS & KINGIUS, ad Nicænum verò atque Conſtantinopolitanum JOH. HENR. SUICERUS, Theologus Tigurinus nuper enarravere, taceamus. Res in compendio ſiſti poteſt, ſi errores veteres novoſque, qui in hoc ar-

Digitized by Google

ticulo errati fuere, quis recenſuerit. Quod qui fecerit, & quid de quæſtionibus heic obortis cenſendum ſit, unà eàdemque ſcriptionis fideliâ depingere poterit. Exiſtentiam DEI nemo niſi Atheus negat, quale genus hominum & olim vixit & noſtro quoque ſeculo haud infrequens conſpicitur, etſi gentes atheas nullas dari uterque FABRICIUS, JO. LUDOVICUS, Theologus quondam Heidelbergenſis præſtantiſſimus in apologetico pro genere humano contra Atheiſmi calumniam, operibus ejuſdem inſerto, & JO. ALBERTUS, Polyhiſtor Hamburgenſis doctiſſimus in *Bibliographiâ antiquariâ C. VIII.* §. 3. oſtenderint, qui & PETRUM BÆLIUM argumentum ex conſenſu gentium petitum & hinc convellentem atro ibidem lapillo notat, ab HOCHSTETTERO noſtrate in elegantiſſimâ de *religione naturali* diſſertatione, à LOESCHERO, LACROSIO, BERNARDO, TOURNEMINIO aliiſque hic refutatum. Ipſorum verò Atheorum hiſtoriam dedit clariſſimus Jenenſium Theologus, JO. FRANC. BUDDEUS in elegantiſſimo libello de *Atheiſmo & ſuperſtitione*, ubi & varias Atheiſmi ſpecies doctiſſimè ſolidiſſimeque & recenſet & refellit Autorumque huc pertinentium indicem dat. Non ergò dubitandum eſt, dari atheos ſpeculativos, qui tamen, etſi præfractè DEUM negent & ſeriò negent, nulli ſine conſcientiæ ſtimulis vivunt, niſi

niſi hùc eos referas, quibus ob ſtupiditatem ingenii naturalem rationis uſus vix eſt, ita ut hæc quæſtio in logomachiarum campum videatur releganda. Notitias inſitas ex modernis poſt Scholaſticos quoſdam, Socinianos & Remonſtrantes, quoſdam etiam Reformatos negavere maximè THOMAS HOBBES, PET. CHAUVIN & JO. LOCKE, quos cum aliis refutavit idem, quem iterum laudamus, BUDDEUS, etſi ita notitias inſitas explicet, ut cum LOCKIO quidem facile ipſi convenire poſſit. Qui unitatem DEI negavere, duoque principia coæterna bonum & malum olim ſtatuerunt, hæretici varii, inter quos MANICHÆI & MARCIONITÆ eminent, depicti fuere à PETAVIO, ITTIGIO & WOLFIO. Eorum veſtigia preſſiſſe BÆLIUS, quem modò reprehendimus, videri poterat, niſi affirmâſſet, ſe, ſi à priori, quod ajunt, res inſpiciatur, benè videre, ſententiam iſtam, quæ duo principia DEO coæterna ſtatuit, longè abſurdiſſimam eſſe, eſſe ſaltem argumenta à poſteriori pro hoc ſyſtemate militantia quæ ex ſolo rationis lumine, poſitis, quæ nunc DEO adſcribamus, divinis attributis ſolvi non poſſint. Quæ diſputatio utique, ſi intra iſtos limites ſubſiſtat, non hæretica quidem ſed inepta & Chriſtiano homine indigna eſt, etſi & nos in *primitiis Tubingenſibus* omnia, quæ originem mali circumfundant, dubia ſolvi non poſſe aſſeruerimus. P. 2. p. 246.

p. 246. 247. Nomen יהוה DEO proprium creaturiſque extra compoſitionem nunquàm datum eſſe, hactenus Sociniani & Remonſtrantes negant, qui & cum aliis nomine אלהים Trinitatem inſinuari inficiantur. Simplicitatem DEI inter veteres negâſſe referuntur, qui vel DEUM ſtatuerunt corporeum, MELITO, TERTULLIANUS aliique & AUDÆUS, atque Anthropomorphitæ, quos tamen l. c. p. 86. 87. jam ex parte vindicavimus nec malè excuſat PETAVIUS, cùm vix comprehendi poſſit, quî eò abſurditatis homines Chriſtiani progredi potuerint, vel attributa divina à DEO realiter diſtincta eſſe aſſeruere, quod fecere GILB. PORRETANUS & Græci PALAMITÆ, AETIO & EUNOMIO contrarium errorem errantibus, qui inter attributa divina modoſque, qui eſſentiam divinam afficiunt, & hanc nihil planè intereſſe cauſati ſunt. Inter recentiores verò & Socinianis, qui & attributa divina ab eſſentiâ realiter diſtinguunt & accidentia in DEO ponunt, & VORSTIO & HOBBESIO & SPINOSÆ dica hæc & rectè quidem ſcribitur, quod ſimplicitatem DEI inficientur. De æternitate DEI & veteres quidam, uti Origenes, uti Palamitæ, qui DEO coæternum quid ſtatuerunt ſed abs DEO creatum, inter recentiores Sociniani & maximè CONR. VORSTIUS, qui in hoc articulo Scriptoribus polemicis plurimùm vapulat, haud egregiè

Digitized by Google

ègregiè ſentiunt,quod & de im̃enſitate, infinitate, omnipræſentia præſcientiâque futurorum contingentium & ſingularium ſcientiâ obſervandum eſt, ubi neſcio, quæ in avia homines hi, ſubtiles aliàs doctique vel ſolo rationis, quam aliâs crepant, lumine aliter edocendi hìc inciderint. Immutabilitatem eſſentiæ divinæ MANICHÆI olim aliique hæretici, decretorum verò iidem Sociniani cum VORSTIO, quem ſemper iis comitem hìc adjungimus, perverſè ſtatuunt. Scientiam mediam, quam Jeſuitæ primùm in ſyſtema redegere, noſtri depuravere, negant Thomiſtæ ſive ii, qui prædeterminationem phyſicam ſtatuunt, & Reformati. Qui DEUM peccati autorem ſtatuerunt olim & qui prædeterminationem voluntatis humanæ phyſicam aſſerunt voluntatiſque humanæ libertatem negant, ſanctitati divinæ bonitatique & juſtitiæ haud, uti par erat, conſulunt. Bonitatem DEI jugulaverunt Manichæi veteresque illi omnes, qui duo principia coæterna bonum & malum aſſeruere. Juſtitiam DEI in voluntate, non in ſanctitate fundant eſſentialemque DEO eſſe negant Scholaſtici quidam, id quod & de juſtitiâ punitivâ adfirmant Sociniani & Remonſtrantes, & neſcio qui alii. De attributis divinis in univerſum miram GUIL. KINGII, Epiſcopi Dublin. ſententiam in Primit. Tubing. P. I. p. 120. indicavimus. Nec tamen negandum eſt, haud ſatis ſemper

in

Digitized by Google

in hiſce controverſiis terminos evolvi, & litem quoque hic aliquando de vocibus eſſe. Ita ſi quæratur, num DEUS poſſit contradictoria facere, eſt inter noſtros, qui id adfirmet, HULSEMANNUS, ſed, uti omnes nôrunt, ſano ſenſu. Ita & idem & alii apud noſtrates ſcientiam mediam negant & rectè, nondum ſcilicet depuratam eam & congruiſmum gratiæ ſecum ferentem, quam iſto à luto repurgatam utique ſtatim exoſculantur. Sed verò & falſa ſubinde heic adſcribi autoribus videas. Ita accuratiſſimus SCHERZERUS cauſatur, Armineanos DEO affectus humanos propriè ſic dictos adſcribere, id quod falſum eſt, quùm ſemper ii inculcent, hæc de DEO imperfectionibus demtis & θεοπρεπῶς intelligenda eſſe. Curioſas verò ineptaſque quæſtiones, quas in hoc loco homines ſcholaſtici cumulant, ne quidem dignas reputamus, queis chartam hanc maculemus. Quod reſtat, nolimus, quenquam credere, articulum hunc de DEO nudam theoriam involvere, cùm totus ad πρᾶξιν ferat, quam hic præ cæteris benè urgere videmus STEPH. CURCELLÆUM & PHIL. LIMBURGIUM, Theologos Remonſtrantes Belgas. Sed non opus eſt aliena, in re tàm evidente ſcrinia ut excutias. Paucis multa habe. Si DEUS eſt, cave tibi, qui ita converſationis tuæ rationem inſtituis, ac ſi iſte non eſſet. Si à ſe iſte, humiliare tu, qui omnia illi debes, tantamque maje-

Digitized by Google

majeſtatem, ut decet, ſubmiſſè venerare. Si unus ille, cave, ne duobus ſervias vel præter eum alium colas, cui animum tuum dedas, h. e. ne voluptatibus inhies easque loco DEI habeas. Si omnipræſens eſt, time tibi, peccator, DEUS videt omnia, nihil eſt coram ipſo abſconditum. Si ſpiritus ille, & ſpiritu tuo illum cole nec perſuade tibi, quòd externis contentus ſit ille, queis ipſum demulcere conaris, cærimoniis. Si æternus, à peccatis, quæſo, deſiſte, æternum experiere vindicem, & obedi, ſic æternum benefactorem experiere. Si perfectiſſimus, cura, ut, qui DEO ſimilis cupis evadere debeſque, ab unâ perfectione ad aliam ſemper enitare, noli & eſſe ſuperbus ſed humiliare iterum, ubi imperfectiones tuas conſpicis. Si ſapientiſſimus, noli tu DEO ſapientior eſſe & judicare ipſius voluntatem, quæ ſapientia eſt. Si omniſcius, quid ineptis, hypocrita? Si omnipotens, ſi bonus, ſi verax, quid deſperas in calamitate, qui noſti, DEUM & poſſe & velle te ſalvare & certò quoque hoc facturum? Si optimus, ergo optima quæque ab eo exſpectà, malusque eſſe deſine; ſi juſtus, noli peccare, certò te puniet, ſi ſanctus, quî ergo ſomnias, te ſine ſanctimoniâ ipſum viſurum? ſi miſericors, fiduciam in illo certam firmamque repone, ſi beatus, communionem ipſius quære & anhela, ſi denique is ſummum, quod cogitari poteſt, bonum eſt, eja, id age, in id totus & ſemper incumbe;

Digitized by Google

be, ut eo quantocyus fruare, id quod fieri nequit, niſi, ſub jugum miſſis pravis voluptatibus, aliam mentem, alium animum divinâ virtute imbutum tibi induas Deumque, quantum potes, ſanctum illum, bonum, juſtum omniſque virtutis perfectiſſimum exemplar in omni vita tuâ imitere. Conſpicere hinc eſt, quî attributorum divinorum contemplatio totam nobis Theologiam moralem omniaque, quæ Chriſtianis hominibus incumbunt, officia fundere poſſit. Quin &, quî ad ἄσκησιν iſta adhiberi poſſint, Myſtici Scriptores docent, inter quos hic eminet PETRUS MATTHÆUS PETRUCCI, Epiſcopus Æduanus, poſtea Cardinalis in *lettere e trattati ſpirituali e Miſtici* P. 2. *L.* 3. p. 462. ſq. ubi exſtat *contemplazione dell' eſſere divino*, quæ plane egregia & præſtantiſſima eſt.

CAPUT II.
DE
TRINITATE.
§. I.

QUæ in priore capite de DEO diviniſque attributis diximus, pleraque ita comparata ſunt, ut univerſalem Eccleſiæ Chriſtianæ traditio-

traditionem pro ſe militantem habeant & à Chriſtianis in controverſiam vocata nunquàm fuerint. At verò in hoc articulo, ubi de Trinitate perſonarum, quæ in eſſentiâ divinâ, unâ illâ, quam probavimus, conſpicitur, quæſtio inſtituitur, jam inde à primis temporibus diſſenſiſſe videmus atque diverſa ſibi caſtra formaſſe eos, qui Chriſtianam fidem profeſſi ſunt. De Patribus, qui ante Nicænum Concilium floruere & qui profectò haud ubique ſana hanc in rem efferunt, de hæreticis etiam primorum temporum, qui vel veritatem divinæ naturæ Chriſti negavere, quales fuere maximè Cerinthiani, Ebionitæ, Alogi & Paulus Samoſatenus, vel unam ſaltem in Deitate perſonam ſtatuerunt, qui error & Montano & Praxeæ & Noëto & Sabellio & Patripaſſianis adſcribitur, vel ſyſtema æonum confinxere, inter quos Valentiniani eminent, egerunt DION. PETAVIUS, GEORG. BULLUS, CHR. SANDIUS, TH. ITTIGIUS, SAMUEL CRELLIUS, JO. ERN. GRABE, PET. ALLIX, JO. FR. BUDDEUS, REN. MASSUETUS, GUIL. WHISTONUS, alii, ex quibus & ſunt, qui fidem Nicænam heic explicant, quam & STEPH. CURCELLÆUS & RAD. CUDWORTHUS & GUIL. CAVE & JO. CLERICUS nobis depinxere, atque ita profectò depinxere, ut oſtenderint, eam haud omni ex parte cum ſyſtemate illo ſcholaſtico, quod

quod utramque hodie paginam facit, conſentire, cum & ſubordinationem perſonarum illa & ὁμουσίαν ſubinde ſpecificam, quam nos numericam volumus, & generationem Filii ab æterno haud factam inferat, niſi quòd, poſteriora hæc quod attinet, aliis in locis ſaniora aliquando Nicæni proferant. De Arianorum fide, quam ſanè ARIUS primus haud confinxit & quæ in Concilio Nicæno damnata fuit, id monendum eſt, quod juxta illam Filius in tempore & ante mundum creatus eſſe, negatâ ipſius cum Patre ὁμουσίᾳ ſive ſpecificâ, quo ſenſu vox ὁμούσιος juxta Græcæ linguæ indolem ſumitur, ſive numericâ, quæ potius ταυτουσία eſt, rejectoque ὁμουσίε termino, quem tamen & ſeculo priore in Paulo Samoſateno Patres Antiocheni iique orthodoxi rejecerant, ſtatuatur. Ipſi verò Ariani in varias abiere ſectas. Fuere enim, qui filium Patri ὁμοιούσιον, qui ὅμοιον & qui ἀνόμοιον dicerent. Surrexit dein Macedonius, qui ex Semi-Ariano factus Pnevmatomachus divinitatem Spiritûs S. negavit, in Concilio Oecumenico II. Conſtantinopoli habito damnandus, ſurrexit Photinus, qui Chriſtum nudum hominem nec ante ſecula genitum eſſe exiſtimavit, ſurrexit denique Jo. Philoponus, cui ſecurius minuſque curatè ſua efferenti Tritheiſmus impactus fuit, qui & inter recentiores Valentino Gentili adſcribitur. Poſtmodum, cum Nicæna fides & Conſtantinopolitana vel tandem ubique

ubique triumpharet, cum & inter Græcos Latinoſque lis de proceſſione Spiritus S. ex ſolo Patre, illi ut ajebant, his inficiantibus Filiumque addentibus, orta eſſet, cùm denique in Concilio Lateranenſi IV. A. MCCXV. contra JOACHIMUM Abbatem, quaternitatem in Deitatem inducturus qui credebatur, tota de Trinitate fides decideretur, à Scholaſticis hominibus res diligentius exculta & verbis ex Philoſophiâ Ariſtotelicâ deſumtis enarrata fuit ſubtiliſſimiſque quæſtionibus involuta, ubi, quæ ſcire nobis viatoribus haud contingit, intenſis ingenii ſui nervis enarrare acuti homines conati ſunt. Invaluitque utique hæc iſta tractandi diſciplina uſque ad ea tempora, quibus ſacra repurgata fuere. Ubi cùm Reformatores præcipui ſyſtema Nicænum, prout à Scholaſticis expoſitum inflexumque id fuit, ſuis tradidiſſent, contigit, ut ex Hiſpaniâ Italiâque advolarent Viri, multo quidem ingenii acumine, multâ eruditione prædíti, ex quibus eminuere SERVETUS & SOCINUS, à quo Sociniana gens nomen tulit, qui Trinitatem, qui divinitatem Filii DEI negavere. Poſtea, uti in *Primitiis Tubingenſibus* P. 2. p. 52. 53. Homero nuci incluſo diximus, ſurrexere autores alii, quorum unuſquiſque peculiare ſibi de Trinitate Syſtema finxit, à nobis tamen jam hîc ne quidem tangendi. Neque enim ad hiſtoriam hujus dogmatis pertexendam plura niſi ſaltem duo hæc monemus. Primum

Digitized by Google

eſt, Remonſtrantes in Belgio, etſi in Socinianorum partes haud penitus deſcendant, tamen nec Syſtema noſtrum ſcholaſticum approbare, ob has maximè rationes, quòd varia in illo determinentur, quæ revelatio haud determinaverit, & quòd varii hîc termini adhibeantur atque omnibus ſub pœnâ imputationis heterodoxiæ obtrudantur & injungantur, qui tamen in ſacris literis non exſtent. Addunt iidem, ſe in re ſufficienter haud revelatâ & ubi in utramque partem effata ſacra ejuſdem ferè valoris adferri poſſint, malle ἐπέχειν & pleniorem rerum deciſionem alteri ævo reſervare, quàm inconſulto anathemate diſſentientes heic damnare, ut taceamus, eos ſubordinationem perſonarum in Trinitate, quam tamen & Nicæni Patres agnovere, nos verò negamus, ſtatuere. Alterum, quod omninò quoque notandum venit, eſt, inde ab aliquo tempore Theologos Anglicanos, quod ſubordinationem illam modò nominatam attinet, cum Remonſtrantibus ſentire, id quod & in ipſo BULLO, qui Remonſtrantes aliâs refutat, obſervare licet, magnumque etiam Arianorum & Socinianorum, qui ſcriptis quoque ſua propalant, numerum in Angliâ exſtare, ex quibus eminet, qui bonâ profectò fide errat, GUIL. WHISTONUS, variis hanc in rem ſcriptis editis celebris multiſque ab adverſariis impetitus. Cæterùm conſultò hiſtoriam hujus loci dogmaticam primùm dedimus. Jam ſententiam

Digitized by Google

tentiam in Eccleſiis Proteſtantibus receptam paucis explicabimus, ita tamen, ut, ne tenebras lectori offundamus, terminos, quibus ſyſtema hoc ſcholaſticum floret ſuperbitque, curatè evolvamus atque explicemus.

§. II.

Eſt itaque hæc communis Chriſtianorum ſententia, DEUM eſſe UNUM in ESSENTIA, TRINUM in PERSONIS, unitatem illam eſſe non ſpecificam ſed numericam, eſſentiam illam unam eſſe Patrem, Filium & Spiritum S. eandem neque generare neque generari neque procedere vel ſpirari, ſed Patrem eſſe, qui generet Filium, Filium, qui à Patre gignatur, Spiritum S. qui procedat ab utroque & ab utroque ſpiretur, itaque in Trinitate non eſſe aliud & aliud, ſed alium Patrem, alium Filium, alium Spiritum S. generationem, quâ Filius à Patre generatur, itemque ſpirationem, quâ Spiritus S. à Patre & Filio ſpiratur atque procedit, ab æterno fieri & unius ejuſdemque numero eſſentiæ communicationem inferre, ita tamen, ut, quænam inter generationem & ſpirationem ſit formalis differentia, quam Scholaſtici illam ab intelligentiâ, hanc a volitione derivando aſſignant, ferè ignoretur, perſonas divinas, licet ab eſſentia divinâ non differant, tamen inter ſe non diſtinctione eſſentiali nec ſolâ rationis diſtinctione ſed reali utique quamvis minore ſive modali differre. Quæ omnia ut ritè capiantur, explicandi quoque rerum ter-

mini ſunt. Ita in hoc myſterio efferendo inde à Concilio Nicæno Græci utuntur voce ὁμοȣσίας, de cujus variâ acceptione probè notare velimus, quæ jam diximus. Adhibetur & ab iiſdem vox ὑποςάσεως, quæ veteribus Græcis mox ȣσία mox πρόσωπον eſt, Latinis quoque eandem pro ȣσίᾳ ſubinde ſumentibus, unde lites plurimæ enatæ olim fuere. Et in concreto quidem ſive materialiter ſpectata illa ſignificat eſſentiam divinam charactere hypoſtatico inſignitam *Hebr.* I. 3. in abſtracto verò ſive formaliter ſumta ipſam perſonalitatem ſeu ſubſiſtentiam deſignat, quæ eſt actus, modus ſeu gradus ultimus, quo natura intelligens ſubſiſtit incommunicabiliter & quem Græci τρόπον ὑπάρξεως vocant, à ſubſiſtentia illa, quâ ſubſtantia conſtituitur in eſſe ſubſtantiæ, probè diſtinguendum. Emergunt exinde χαρακτῆρες ὑποςατικοὶ ſive proprietates, relationes & notiones, per quas perſonæ divinæ à ſe invicem realiter diſtinguuntur. Harum quinque à Scholaſticis hominibus recenſeri videas, innaſcibilitatem & paternitatem in Patre, ſpirationem activam in Patre & Filio, filiationem in Filio & proceſſionem ſive ſpirationem paſſivam in Spiritu S. quibus alii arbitrantur addi poſſe inſpirabilitatem & impaternibilitatem in Filio, ingenerabilitatem & improductivibilitatem alterius perſonæ in Spiritu S. Eſt quoque JO. DAMASCENUS, qui in περιχωρήσει ſive imme-

Digitized by Google

immeatione intrinſecâ & mutuâ itemque eſſentiali perſonarum divinarum ediſſerendâ multam operam ponit. CæterùmGræcum ὐσίας nomen Latini maluere exprimere per eſſentiam quam ſubſtantiam, tùm ne categoriis DEUM includerent, tùm quia DEUS accidentibus non ſubſtat, tùm quia per ſubſtantiam & ὑπόςασις quandoque intellecta à veteribus fuit. Ὑποςάσεως autem loco iidem vocem perſonæ adhibent, quæ eſt ſubſtantia determinata intelligens, per ſe & immediatè ſubſiſtens, incommunicabilis nec ſuſtentata ab & in alio. De voce Trinitatis id notandum, maximè hîc obſervandam eſſe diſtinctionem inter Trinitatem, quæ tres ſubſiſtendi modos & triplicitatem, quæ compoſitionem ex tribus rebus ſive ſubſtantiis vel eſſentiis infert. Quod reſtat, actiones illæ perſonales, quæ proprietates illas & relationes intrinſecas perſonarum divinarum fundant, vocari ſolent opera eſſentiæ divinæ characteriſatæ ad intra adeoque non eſſentialia ſed perſonalia, eaque immanentia atque diviſa h. e. vel uni vel duabus perſonis propria, quâ ratione generare & mittere Filium ſoli Patri, ſpirare & mittere Spiritum S. Patri & Filio convenit. Atque hæc ſi probè nobis impreſſerimus, eum ſyſtematis de Trinitate ſcholaſtici conceptum nobis formabimus, qui omnem, quæ haberi hîc poteſt, evidentiam ſecum ferat, & quo poſito eo facilior nobis ad argumenta adverſa-

 riorum

riorum diluenda via pandatur. Quin & exinde, ſi dein Autores variarum, in quas Chriſtiana religio dividitur, ſectarum evolverimus, patebit, eos in hoc articulo, Socinianis Arianiſque modernis & Remonſtrantibus, itemque Theologis quibuſdam Anglicanis, uti ſupra monuimus, exceptis, ſatis convenire. Abſurdumque oppidò eſt, quod Romanenſes quidam AUTOTHEISMI hæreſin quandam Calvino & ſequacibus aut Proteſtantibus in genere affingere voluere, cùm Filium illi αὐτόθεον non ratione characteris hypoſtatici, quo à Patre is diſcernitur, ſed ratione eſſentiæ ſaltem aſſerant. Quin & abſurdum itidem fuit, quòd ex Romanenſibus quidam noſtris errores de Trinitate adſcripſere, Bellarminus, Poſſevinus, Gregorius de Valentiá, Buſæus & vel maximè Wolfg. Hermannus & Melch. Cornæus, quos Theologus præſtantiſſimus JO. GEORG. DORSCHEUS in *Interventione pro myſterio SS. Trinitatis* ejuſque defenſione depexos dedit, atque ita depexos dedit, ut omnes incommodas Scholaſticorum locutiones, quibus hoc myſterium ii enarravere, itidem in unum coacervaverit atque ita par pari reddiderit.

§. III.

Cæterùm, qui ea, quæ jam poſuimus, probè inſpexerit ſecumque ponderaverit terminiſque, quos prolatos hìc videt, ſuos conceptus eoſque

eoſque evidentiores voluerit adjungere, facilè nobis quoque jam tacentibus perſpiciet, hoc de Trinitate ſyſtema ſuis difficultatibus haud carere atque & hinc quoque pateſcere, myſterium hoc humanæ rationi impervium eſſe & ſub comprehenſionem noſtram haud cadere. Id quod jam in *Primitiis Tubingenſibus* P. 2. p. 52. 53. & p. 251. ſqq. affirmavimus, ubi diximus, nos ideam Trinitatis formare non poſſe, idque deinde contra Virum clariſſimum, JO. ALPH. TURRETTINUM ita defendimus: non quidem negari poſſe, quòd luculenter ſciamus, quid unum ſit, quid trinum, quid perſona, uti hic terminus communiter ſumatur, quid filiatio, quid DEUS, aſt in unam ideam omnia hæc conflari à nobis non poſſe, cùm comprehendi nequeat, quì tres perſonæ quoad eſſentiam ſuam numero à ſe invicem diſtinctæ eſſe haud poſſint, & quì una eademque numero eſſentia charactere hypoſtatico inſignita ſemet ipſam alio charactere perſonali veſtitam perſonæ alteri communicare valeat, ita tamen, ut perſonarum quidem numero aucto ipſa tamen eſſentia non multiplicetur. Hinc eſt, quod, qui Socini de grege ſunt, cauſantur, conceptum Trinitatis perſonarum in unitate eſſentiæ ſuimet ipſius jugulativum eſſe & diverſas numero perſonas ſine diverſitate eſſentiarum individuarum ne quidem cogitari poſſe, cùm nec in humanis ullum in contrarium hujus rei exemplum habeatur. Sed enim nec neceſſarium

 eſt,

eſt, hoc ut ænigma ſolvamus, cùm conſtet, myſterium hoc comprehendi à viatoribus neſcium eſſe & inadæquatam analogicamque ſaltem ejus ideam in hâc vitâ nobis contingere, nec meliorem Trinitatis conceptum in hâc rerum imperfectione nobis datum iri, niſi vel nova revelatio plura heic nobis ſuggeſſerit, vel novæ nobis facultates ad tantas res animo concipiendas donentur, aut eæ ſaltem, quibus gaudemus, m rum in modum eleventur. Nec tamen negari poteſt, plura hîc ex rationis ſcriniis ſyſtemati huic ſcholaſtico opponi, quæ attentionem planè haud mereantur. Ut enim plurima ſophiſmata, quæ heic ab adverſariis nectuntur Theologiſque profectò indigniſſima ſunt, taceamus, quibus profectò ſolvendis jam inſudare chartaſque has maculare nolumus, conſtat, quid heic maximè monuerit STEPH. CURCELLÆUS. Is verò in *præfatione ad opera Sim. Epiſcopii* §. 6. diſſentire eos in perſonæ definitione ait, qui tres in Deitate perſonas ſtatuant. Juxta quoſdam perſonam eſſe ſuppoſitum intellectuale, quæ definitio omninò falſa ſit, cùm ſic tres futuri ſint in Trinitate Dii atque ita etiam anima ſeparata quævis & humana Chriſti natura futuræ ſint perſonæ. Juxta alios verò perſonam nihil aliud eſſe quàm τρόπον ὑπάρξεως ſive modum exiſtendi, quæ definitio & à ſapientioribus adhibeatur ſed itidem abſurda ſit. Secundùm Metaphyſicos enim modum entis medium quiddam eſſe inter

ter ens & purum putum nihil, in quem cenſum etiam referantur privationes, entia rationis & ejuſmodi alia. Unde ſequatur, ſi perſona divina nihil aliud ſit niſi ejuſmodi modus, eam minus entitatis habituram quàm accidens & propemodum nihil fore. Proinde cùm, uti celebres multi Theologi ſentiant, eſſentia in divinis nec generet nec generetur ſed tantùm perſona, tùm Patrem, quà Pater ſit & Filium genuerit, tùm Filium, quà Filius & à Patre genitus ſit, minus quid fore quàm exile accidens, quod annon ad Atheiſmum viam ſternat, intelligentibus conſiderandum ſe relinquere. Unde porrò colligit idem, eos, qui perſonam per modum exiſtendi definiunt, ut & illos, qui negant, eam eſſe rem ſeu ens aliquod vel ſubſtantiam, non videri habere legitimam anſam, his cur admodum ſuccenſeant, qui unam tantùm in DEO perſonam agnoſcant. Utroſque enim in hoc, quod præcipuum ſit, convenire, eſſentiam ſive naturam divinam eſſe unam & eam totam in Patre eſſe nihilque eſſentiæ DEI decedere, ſive una ſive plures cenſeantur eſſe perſonæ. Et quæ inter ipſos agitetur controverſia, non eſſe de re aliquâ ſed tantùm de modo rei, qui adeò exilis ſit, ut minus ſit quàm accidens & ferè nihil. De re autem tàm exiguâ pacis & unitatis Eccleſiaſticæ amantes cum aliis digladiari non decere. Hactenùs CURCELLÆUS. Aſt

facile iſta quidem ab iis, qui ſyſtema ſcholaſticum rectè capiunt, diluuntur. Ut enim taceamus, CURCELLÆUM perſonam materialiter & formaliter, in concreto & abſtracto ſumtam malè ſibi invicem opponere, id quod nemo Philoſophorum ſine crimine fecerit, notus eſt, qui apud Metaphyſicos valet, canon, quo multiplicatis perſonis non ſtatim multiplicari eſſentias dictitatur, id quod ex eo pateſcere arbitrantur, quoniam in divinis una eademque numero eſſentia tribus hypoſtaſibus ſeu τρόποις ὑπάρξεως ornata conſpicitur, ubi unaquæque perſona eſt ſuppoſitum intellectuale eâdemque numero cum cæteris eſſentiâ gaudet. Quod verò de animâ ſeparatâ, quod & de humanâ Chriſti naturâ dicitur, omninò falſum eſt, cùm natura ſuppoſitum haud ſit & utraque ſubſiſtentiâ ultimâ ſive hypoſtaſi careat, quæ tamen ad ſuppoſitum requiritur. Nec, quod de modo entis, qui ens non ſit ſed ſaltem aliquid entis atque accidente vilius quiddam, affirmatur, ad modos contrahentes illos, quos in Trinitate conſpicimus, pertinet, cùm eſſentia divina, ſi τρόποις illis exuatur, qui cum eſſentiâ idem ſunt, & ipſa tollatur. Quin &, ubi ex communi canone, quo eſſentia neque generare neque generari dicitur, ſapit Vir doctus, non obſervat, illum de eſſentiâ characteriſatâ à nemine intelligi. Ex quibus jam facile perſpicere eſt, num ſyſtema ſcholaſticum ad Atheiſmum ducat & num de modis ſaltem,

Digitized by Google

ſaltem, qui minus quid ſint quàm accidens, hic quæſtio ſit. Id verò planè ineptum eſt ridiculumque, quod ex Scholaſticorum Socinianorumque armamentario ad Pyrrhoniſmum ſuum defendendum hîc adhibet PETRUS BÆLIUS, qui in Dictionario Hiſtorico & Critico, in articulo *Pyrrhon* f. 2431. col. 1. ita infit: *Il eſt evident, que les choſes, qui ne ſont pas differentes d' une troiſiéme, ne different point entre elles: c' eſt la baſe de tous nos raiſonnemens, c' eſt ſur cela que nous fondons tous nos ſyllogiſmes, & néanmoins la revelation du myſtére de la Trinité nous aſſûre, que cet axiome eſt faux. INVENTES TANT DE DISTINCTIONS, qu' il vous plaira, vous ne montrerés jamais, que cette maxime ne ſoit pas démentie par ce grand myſtére.* Qui ex Theologis Reformatis BÆLIUM hîc refutavere, IS. JAQUELOTIUS & JO. LA PLACETTE, nodum ſecant, non ſolvunt, cùm ille quidem materialiter ſaltem reſpondeat, perſonam in divinis aliter ſumi quàm in creatis, atque adeò argumentum hoc planè intactum relinquat, alter verò, conſcriptâ hanc in rem peculiari diſſertatione, mox Canonem hunc, qui tamen fundamentum totius doctrinæ ſyllogiſticæ eſt idque longè ſolidiſſimum eaque propter ad logicam magis quàm ad metaphyſicam pertinet, penitus falſum eſſe, poſt CARAMUELEM adfirmet, mox argumentum ex eo ductum totum concedat. Jam verò tàm exilis at-

que

que jejuna eſt tota hæc objectio, tàm trita atque proletaria, ut miremur, tantum eam ſudorem Viris doctis expreſſiſſe, utpote à novitiis academicis noſtris facilimè ſolvendam. Quis enim negaverit, cum, quæ ſunt idem uni tertio, idem ſint inter ſe, & perſonas divinas quoad illud tertium, cui illæ idem ſunt, hoc eſt, quoad eſſentiam divinam idem inter ſe eſſe? Ita habemus quod volumus proprioque mucrone BÆLIUM, qui putabat, ſe hìc inveniſſe, non quod pueri in fabâ, interficimus. Aſt ex communibus libellis noſtris, queis metaphyſica rerum myſteria enarrantur, ſapere hìc potuiſſet, ſi voluiſſet, BÆLIUS, ubi communiter, canonem hunc, *quæ in uno tertio conveniunt, ea inter ſe conveniunt*, de tertio ſaltem incommunicabili intelligendum eſſe dicitur. Qua verò ratione is contra myſterium Trinitatis allegari nequit, cùm eſſentia divina ſtatuatur communicabilis. Sed quid metaphyſica hìc cumulamus, qui promiſimus, nos per denſas diſtinctionum ſylvas & abruptas abſtractionum rupes haud ituros eſſe? Verùm è viâ hìc divertendum pauliſper erat, ut oſtenderemus, quàm elumbia ſæpius ſint modernorum arma, quibus receptas de rebus divinis opiniones adgrediuntur, nec peccare, quicunque iis ſubinde illud Pauli applicet: **φάσκοντες εἶναι σοφοὶ ἐμωράνθησαν.** *Rom.* I. 22. Velim tamen & conferri hìc, quæ de ſyſtemate Trini-

Digitized by Google

Trinitatis Nicæno & ſcholaſtico monet Vir eruditiſſimus JO. CLERICUS in *prolegomenis Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ duorum primorum à Chriſto nato ſeculorum Sect. 3.* quæ exhibet religionis Chriſtianæ delineationem C. I. §. 9. ſqq. p. 96. ſqq.

§. IV.

Jam propius ad rem agedum accedamus & communi παιδείας τρόπῳ adhibito hoc de Trinitate dogma ex Theologorum noſtrorum latifundiis erutum ſuis cum argumentis tradamus. Id quod melius haud exſequi poterimus, quàm ſi per poſitiones certas eamus. Sit itaque theſis I. UNUS SALTEM DEUS EST ET UNICA DIVINA ESSENTIA. At verò hoc ex ſuperioribus jam patet, nec opus eſt, pluribus ut id probatum eamus. II. IN UNA HAC ESSENTIA DIVINA PLURES SUNT PERSONÆ. Id quod eluceſcere videtur א ex voce אלהים junctâ vel verbo ſingulari ad denotandam in unâ eſſentiâ perſonarum pluralitatem *Gen.* I. 1. II. 5. XVII. 3. vel verbo plurali ad eandem eò clarius inſinuandam. *Gen.* XX. 13. XXXV. 7. ב ex dictione plurali, quâ Deus de ſe ipſo loquens utitur *Gen.* I. 26. III. 22. XI. 7. *Jeſ.* VI. 8. ג ex dictionibus illis, quibus Deus à Deo aliquid facere vel cum Deo ſermones ſerere inducitur *Gen.* XIX. 24. *Pſ.* CX. 1.

CX. 1. *Hoſ.* I. 7. ex iis locis, ubi DEO Filius adſcribitur *Pſ.* II. 7. *Proverb.* XXX. 4. III. IN UNA ESSENTIA DIVINA SUNT TRES PERSONÆ. Huc trahitur *Gen.* I. 1. 2. *coll. Pſ.* XXXIII. 6. *Ioh.* I. 1. ſqq. *Hebr.* I. 2. XI. 3. *Gen.* XLVIII. 15. 16. *Deut.* VI. 4. ubi maximè ex accentibus res decidenda, 2. *Sam.* XXIII. 2. 3. hùc & refertur *Jeſ.* VIII. 18. XLVIII. 16. LXI. 1. LXIII. 7. ſqq. cum iis dictis, ubi קדוש קדוש קדוש exſtat *Num.* VI. 23. 24. 25. *Jeſ.* VI. 3. *coll. Joh.* XII. 41. *Act.* XXVIII. 26. *Hebr.* II. 13. Quæ utique ex vetere Teſtamento, ubi myſterium Trinitatis tàm clarè ac in novo revelatum haud fuit, petita ſunt. Argumenta verò ex novo Teſtamento hauſta majorem rerum evidentiam ſecum ferunt. Sunt, qui agmen hìc ducere jubeant dictum 1. *Joh.* V. 7. etſi id in nullo Græco codice ante inventam typographiam ſcripto hodie exſtet, quod & nuper in Primitiis Tubingenſibus obſervavimus, mirumque utique eſt, viros præſtantiſſimos, qui certatim de hoc effato Johannæo egere, ad codices Græcos ſubinde provocare, utpote ipſâ eorundem inſpectione hìc refutandos. Quicquid autem hujus ſit, dicti hujus αὐθεντίαν jam olim in differt. crit. de genuinis librorum N. T. lectionibus adſtructum ivimus. Accedit θεοφάνεια illa *Matth.* III. 16. 17. ubi Pater in voce auditâ, Filius in aſſumtâ humanâ naturâ, Spiritus S. in figurâ columbæ ſe manifeſtavit. Denique adjicitur baptiſmi

baptiſmi formula *Matth.* XXVIII. 19. cum dictis *Ioh.* XIV. 16. 17. 2. *Cor.* XIII. 13. *Apoc.* I. 4. 5. IV. NOMINA TRIUM IN UNA DIVINA ESSENTIA PERSONARUM SUNT PATER, FILIUS ET SPIRITUS S. Id quod ex dictis jam allatis abunde conſtat. V. INTER HAS DIVINAS RERSONAS ORDO SIT, NECESSE EST, non naturæ temporiſque, quæ Arianorum fuit mens, nec dignitatis & eminentiæ, quæ Remonſtrantium eſt ſententia, ſed originis & relationis. Ita Pater à nullo eſt utpote ἀγέννητος, Filius eſt à Patre & Spiritus S. ab utroque. Et hic *ordo* eſt, qui vocatur, *ſubſiſtendi*, quem ſequitur *ordo operandi* & quem ſacræ literæ inſinuare dicuntur per particulas illas διακριτικὰς ἐκ, διὰ, ἐν, *Rom.* XI. 36. quarum prima ad Patrem 1. *Cor.* VIII. 6. ſecunda ad Filium *Joh.* I. 3. *Hebr.* I. 2. tertia ad Spiritum S. applicatur 2. *Theſſ.* II. 13. Ubi tamen velim obſerves, ad ὁμοουσίαν perſonarum divinarum denotandam particulas haſce quoque miſceri 1. *Cor.* I. 9. *Rom.* VI. 4. *Ebr.* II. 10. *Joh.* XVI. 15. *Col.* I. 14. 16. *Jud.* 1. uti & ordo perſonarum divinarum aliquando invertitur 2. *Cor.* XIII. 13. *Apoc.* I. 4. 5. VI. VERA ET REALIS PERSONARVM DIVINARUM DISTINCTIO NON INFERT ESSENTIÆ DIVINÆ DIVISIONEM, MULTIPLICATIONEM AUT COMPOSITIONEM. DEUS enim non dividitur in tres perſonas ſed perſonæ inter ſe diſtinctæ unicam illam numero eſſen-

eſſentiam indiviſam & infinitam indiviſim poſſident, ita ut quælibet perſona eandem eſſentiam ſine ejus multiplicatione aut diviſione habeat. In hoc enim myſterio datur ἄλλος καὶ ἄλλος, ALIUS & ALIUS ὑποςατικῶς, non ἄλλο καὶ ἄλλο ALIUD ET ALIUD ὀυσιωδῶς. Nec compoſitio quoque ulla hîc conſpicitur, quæ ſimplicitatem DEI jugulet, cùm nulla heic plurium eſſentiarum in unam ſit conflatio, ſed ſaltem diverſorum modorum ad unam eſſentiam characteriſandam concurſus. VII. Ὁμουσίας conſequentia ſunt א mutua perſonarum immeatio & περιχώρησις, quâ una perſona propter eſſentiæ unitatem eſt in aliâ *Joh.* XIV. 11. XVII. 11. ב earundem perfectiſſima æqualitas, ut nulla perſona major, nulla minor ſit, *Ioh.* X. 30. ג perfectiſſima omnium perfectionum inter eaſdem communio *Joh.* XVI. 14. 15. & ταυτότης ſeu identitas tùm ipſorum operum divinorum ad extra, tùm modi agendi, ut ταῦτα καὶ ὁμοίως agant *Joh.* V. 19. quanquàm non eodem ordine. Hinc rectè ſe habet Auguſtini illa regula: *Opera Deitatis ad extra ſunt indiviſa*, etſi & opera *ad intra*, quæ eſſentialia ſunt, indiviſa ſint. Scilicet eſſentiæ divinæ ἑνότητα potentiæque agendi κοινότητα ſequitur operum ταυτότης. VIII. MYSTERIUM TRINITATIS, uti ex modò dictis videre eſt, IN VETERE QUOQUE TESTAMENTO FUIT REVELATUM.

LATUM. Memorantur quippe ibi DEUS אחד *Deut.* VI. 4. יהוה *Jeſ.* LXIII. 7. אב 2. *Sam.* VII. 14. בן *Pſ.* II. 7. רוח *Jeſ.* LXIII. 10. & divinæ illæ מוצאת *Mich.* V. 2. Hinc & in verſione Chaldaicâ & in veterum Judæorum libris, (moderni enim Trinitatem abominantur,) maximè vero in doctrinâ Cabbaliſticâ ea inveniuntur, quæ non ineptè ad Trinitatem noſtram quis applicaverit, id quod poſt RAYMUNDUM MARTINI ipſiuſque expoſitorem JOS. DE VOISIN, PETRUM item GALATINUM, JO. STEPH. RITTANGELIUM, HERMANNUM WITSIUM, JO. MEYERUM, alios, demonſtravere ALLIXIUS & WOLFIUS, in alia omnia heic abeuntibus maximè GULI. HENR. VORSTIO & STEPHANO NYE, ut, quæ pro orthodoxa ſententiâ VAN DER WAEYEN & CAMP. VITRINGA contra JO. CLERICUM & autorem *Platoniſmi revelati* itemque JO. FR. BUDDEUS ſcripſere, taceamus, cum tota hæc lis aliis, nominatim GOTF. OLEARIO ad *Matth.* p. 248. ſatis ferè recenſita ſit. Nec ullum profectò dubium eſt, Chriſtum, ubi in N. T. myſterium Trinitatis clarius revelavit, ea verba adhibuiſſe, quæ Judæorum Theologis tùm erant valdè familiaria. Quin ipſa de Meſſiâ doctrina ex V. T. tàm evidenter deduci à Chriſto Apoſtoliſque haud potuiſſet, niſi dogma de Trinitate in eodem quoque, mediante maximè expoſitione illâ myſticâ, quæ

per traditionem propagata fuit, elatum exſtitiſſet *Act.* XXVI. 22. ut taceamus, acutiſſimum HILLERUM noſtratem myſterium Trinitatis ex veterum Hebræorum nominibus propriis in *Onomaſtico* ſuo deducere. Unde peccant, qui è lacunis Platonicis, è quibus & Philo ſua depromſit, hæc in Johannæum maximè Evangelium influxiſſe arbitrantur, quo de argumento conſulendi ſunt PETAVIUS, VOIGTIUS, CUDWORTHUS, PFANNERUS, PARKERUS, CARPZOVIUS, HUETIUS, CLERICUS, VAN DER WAEYEN, WITSIUS, BENOIST, FEUSTKINGIUS, JANUS, MOURGUES, alii. IX. MYSTERIUM TRINITATIS EST CREDITU NECESSARIUM PERTINETQUE AD FUNDAMENTUM FIDEI PRIMARIUM. *Joh.* XVII. 3. *Joh.* VIII. 24. 1. *Ioh.* II. 23. X. MYSTERIUM TRINITATIS IDEA QUADAM REALI ET ADÆQUATA COMPREHENDI NESCIT. Hinc rectiſſimè illi faciunt, qui in re minus evidente in nudis ſacrarum literarum terminis, relictis humanæ ſapientiæ verbis, acquieſcunt. En verò quid hic ajat LUTHERUS noſtrâs, qui de ὁμουσίῳ hæc verba in libro contra Latomum, Theologum Lovanienſem, quem in arce Wartburgenſi ſcripſit, T. 2. Lat. Witteb. f. 252. ponit: *Quodſi odit anima mea vocem homouſion & nolim eâ uti, non ero hæreticus. Quis enim coget me uti, modò rem teneam, quæ in Concilio per Scripturas definita eſt? Etſi Ariani malè*

Digitized by Google

malè ſenſerunt in fide, hoc tamen optimè ſive malo ſive bono animo exegerunt, ne vocem profanam in regulis fidei ſtatui liceret. Scripturæ enim ſinceritas cuſtodienda eſt nec præſumat homo ſuo ore eloqui aut clarius aut ſincerius, quàm DEUS elocutus eſt ore ſuo. Qui verba DEI non intelligit in rebus Dei per ſe loquentis, non credat, ſe intellecturum verba hominis de rebus alienis loquentis. Nemo melius loquitur quàm qui optimè intelligit. Quis autem res DEI intelligat meliùs quàm DEUS ipſe? imò, quantum eſt id, quod homo intelligit de rebus DEI! Nec malè etiam adeò NIC. HUNNIUS in *epitome credendorum* C. 5. §. 79. **Es iſt einem billich frey zu ſtellen / ob er wolle dieſe Art zu reden (in dem einigen Göttlichen Weſen ſind drey Perſonen / oder der einige GOtt iſt in Perſonen dreyfaltig) welche im Streit mit den Ketzern bißhero ſind geführet worden / gebrauchen / oder einfältig dabey bleiben / daß er ſpreche: der einige wahre GOtt iſt der Vatter / Sohn und Heil. Geiſt.** Cujus ſententiæ ſuæ §. 88. cauſam dat HUNNIUS, **dieweil dieſe Art zu reden (von der H. Dreyfaltigkeit oder den dreyen Perſonen in GOtt) in der Heil. Schrifft nicht zu finden ſeye.** Eandem ſemitam calcat ABR. CALOVIUS ὁ πάνυ T. I. *Opp. Anti-Socin.* f. 280. in *paraſceve refutationis Crellianæ*, ubi ait, ſe apertè profiteri, nos nullam moturos controverſiam ſuper terminis

iſtis eccleſiaſticis *eſſentia*, *perſona*, modò Sociniani nobiſcum unam eandemque amplecterentur fidem de DEO Patre, Filio & Spiritu S. quæ verba & in *conſid. Armin.* p. 103. idem defenſum it. Denique & SPENERUS in tractatu von der ewigen GOttheit JEſu Chriſti C. 1. §. 29. 30. p. 28. 29. HUNNII mentem ſibi induit. Noſtram verò nuper in *diſſ. de articulis fidei fundamentalibus* jam declaravimus, quæ hùc vergit, voces iſtas ἀγράφως haud neceſſarias ad articuli hujus explicationem eſſe, etſi orthodoxo ſenſu adhiberi poſſint. §. V.

Enarrata in genere de Trinitate doctrinâ ad ſingularium perſonarum recenſionem ordo naturæ nos deducit. Et hìc primùm quidem cujuſvis perſonæ evolvenda eſt divinitas, poſtea perſonalitas. Divinitas ex quatuor deducitur fontibus, nominibus, attributis, operibus & cultu. Perſonalitas ex τρόπῳ ὑπάρξεως peculiari & actionibus perſonalibus liquet. Age jam, à primâ Deitatis perſonâ, Patre nempe, initium faciamus. Eſt verò Pater prima Deitatis perſona neque genita neque procedens ſed quæ ab æterno Filium generat & cum Filio Spiritum S. ſpirat, quæ cum Filio & Spiritu S. omnia in tempore creavit, conſervat, gubernat, quæ & Filium Redemtorem & Spiritum S. Sanctificatorem ad reſtituendum genus humanum miſit. Jam opus haud eſt, ut divinitatem Patris,

Patris, quam nemo negat, ex nominibus, attributis, operibus & cultu probemus. Perſonalitas Patris ex τρόπῳ ὑπάρξεως h. e. paternitate liquet, juxta quam Filium is ab æterno genuit. *Pſalm.* II. 7. *Mich.* V. 2. *Prov.* VIII. 22. Hæc generatio eſt opus DEI Patris perſonale ad intra, quo Pater inde ab æterno unius ejuſdemque numero eſſentiæ communicatione Filium ſibi conſubſtantialem verè propriéque, modo tamen ſupernaturali atque imperſcrutabili generat. Et generationis quidem hujus conſequens in tempore fuit miſſio Filii ad opus redemtionis peragendum *Joh.* III. 17. *Rom.* VIII. 3. *Gal.* IV. 4. Patet porrò & Patris perſonalitas ex ſpiratione illa activa, quâ Pater unà cum Filio inde ab æterno unius ejuſdemque numero eſſentiæ communicatione Spiritum S. ſibi conſubſtantialem atque coæternum uno actu indiviſibili & æterno modo ſupernaturali producit. Atque hujus ſpirationis conſequens in tempore fuit miſſio Spiritus S. *Joh.* XV. 26. Quemadmodum autem character Patris ad intra eſt generatio Filii & ſpiratio Sp. S. ita character ejus ad extra eſt creatio & conſervatio hujus univerſi, quæ Patri non excluſivè, non κατ' ἐξοχὴν, non tanquam uni cauſæ principali ſed ob perſonalem ordinem atque κατ' οἰκονομίαν ſolet communiter attribui. *Gen.* I. 1. 2.

Pſ. XXXIII. 6. *Joh.* I. 3. 1. Cor. VIII. 6. At verò de ſecundâ perſonâ Trinitatis plura notanda veniunt. Hæc eſt DEUS Filius, à Patre ab æterno unius ejuſdemque numero eſſentiæ communicatione verè propriéque aſt ſupernaturaliter genitus, ſpirans cum Patre ab æterno Spiritum S. miſſus verò in tempore à Patre, ut in aſſumta humanitate opus redemtionis perficeret. Ex quo liquet, Filium hunc talem non eſſe per adoptionem aut gratioſam glorioſamque cum DEO conjunctionem imaginiſque divinæ communicationem, quâ ratione & nos Filii DEI efficimur, nec propter mirabilem in utero Mariæ virginis ex Spiritu S. conceptionem, quæ Sociniana mens eſt, nec propter generationem aliquam ante ſecula, quâ verbum è Patre emanaverit, quod quidem Patres ante-Nicæni Arianique exiſtimavere, ſed per veram ab æterno generationem *Joh.* I. 14. 18. III. 16. 18. V. 18. *Rom.* VIII. 32. I. *Joh.* IV. 9. *Matth.* III. 17. *Col.* I. 15. *Hebr.* I. 3. ubi Chriſtus dicitur Filius DEI μονογενὴς, ἴδιος & ἀγαπητὸς κατ' ἐξοχὴν. Jam ut Deitas Filii probetur, primò allegandа ſunt nomina ipſius divina tùm eſſentialia tùm perſonalia, (officialia enim in articulum de Chriſto reſervamus,) porro attributa, rurſus opera, denique cultus divinus. Ita Filius DEI vocatur in vet. Teſt. אלהים יהוה אל גבור & quæ alia ſunt *Num.* XXI. 5. 6. *coll.* 1. *Cor.* X. 9. *Jeſ.* VI. 1. ſqq. *coll. Joh* XII. 40.

40. 41. *Pſ.* LXVIII. 19. *coll. Eph.* IV. 8. *Pſ.* XLV. 7. *coll. Hebr.* I. 8. 9. *Pſ.* CX. I. *coll. Hebr.* I. 13. *Ieſ.* IX. 6. 7. ut alia dicta taceamus. In N. T. ſæpius Filius DEI vocatur θεὸς abſolutè in oppoſitione ad idola *Col.* II. 2. 1. *Theſſ.* III. 2. *Tit.* II. 13. *Luc.* I. 16. *Rom.* IX. 5. & κύριος 1. *Cor.* VIII. 6. XI. 23. ſqq. κύριος ἐξ ὀυρανοῦ 1. *Cor.* XV. 47. κύριος τῆς δόξης 1. *Cor.* II. 8. κύριος κυρίων *Apoc.* XIX. 16. κύριος πάντων *Act.* X. 36. & μόνος κύριος *Iudæ* 4. Et hæc ſunt nomina eſſentialia. Perſonalia ſunt, queis appellatur Filius DEI verbum Patris *Pſ.* XXXIII. 6. *Ioh.* I. 1. 14. I. *Ioh.* V. 7. verbum vitæ 1. *Ioh.* I. 1. ſapientia Patris *Prov.* VIII. 12. *Luc.* VII. 35. 1. *Cor.* I. 24. imago Dei inviſibilis *Col.* I. 15. ſplendor gloriæ & character hypoſtaſeos Patris *Hebr.* I. 3. Poſt nomina divina Chriſto data in cenſum veniant attributa divina, æternitas immutabilitaſque *Ieſ.* IX. 6. *Prov.* VIII. 22. *Mich.* V. 2. *Ioh.* I. 1. 15. 27. VIII. 58. *Apoc.* I. 8. 17. XXII. 13. *Pſ.* XLV. 7. CII. 26. *coll. Hebr.* 18. ſqq. XIII. 8. majeſtas & gloria ante-ſecularis *Ioh.* XVII. 5. omnipotentia *Ioh.* V. 17. 26. 28. *Phil.* III. 21. *Hebr.* I. 3. *Apoc.* I. 8. XI. 17. *Ieſ.* IX. 6. *Luc.* I. 35. omniſcientia *Luc.* VI. 8. *Ioh.* II. 24. 25. XVI. 30. XXI. 17. *Col.* II. 3. *Hebr.* IV. 13. *Apoc.* II. 23. omniſapientia *Prov.* VIII.

12, 14. 22. ſq. *Matth.* XI. 19. *Luc.* XI. 49. *Col.* II. 3. omnipræſentia (quam neſcio cur hic omittat KOENIGIUS noſter, cujus, quod ὡς ἐν παρόδῳ notamus, ἡγόπον παιδείας in hoc articulo ſequimur) *Matth.* XVIII. 20. XXVIII. 20. *Joh.* III. 13. *Eph.* I. 23. *Apoc.* I. 13. II. 1. ſumma agendi libertas *Ioh.* V. 21. *Matth.* VIII. 3. denique tota Deitatis plenitudo *Col.* II. 9. & æqualitas unitaſque cum Patre *Ioh.* V. 17. 18. X. 30. XVI. 15. XVII. 10. Attributa divina excipiunt opera divina, quæ Filio DEI in ſacris literis aſſignantur. Non verò jam opus illud ad intra, quod perſonale eſt, ſpirationem nempe activam Spiritûs S. nominabimus, ſed opera illa externa, quale eſt creatio univerſi *Gen.* I. 2. *Pſ.* XXXIII. 6. CII. 26. ſqq. *Ioh.* I. 3. *Col.* I. 16. ejuſdem conſervatio & gubernatio *Ioh.* V. 17. 1. *Cor.* VIII. 6. *Col.* I. 17. *Heb.* I. 3. miracula αὐτοκρατορικῶς καὶ παντοκρατορικῶς edita *Joh.* V. 19. redemtio *Hoſ.* XIII. 14. *Zach.* IX. 11. *Act.* XX. 28. ſqq. *Luc.* VI. 19. VIII. 46. *Act.* IV, 7. 10. Eccleſiæ & fidelium contra portas inferorum conſervatio *Matth.* XVI. 18. *Ioh.* X. 28. 29. excitatio è mortuis *Ioh.* V. 21. VI. 40. Antichriſti deſtructio 2. *Theſſ.* II. judicium extremum *Joh.* V. 22. *Act.* XVII. 31. ſalvatio *Ioh.* XVII. 2. X. 28. ſqq. maximè verò electio *Ioh.* XIII. 18. redemtio *Act.* XX. 28. vocatio *Ioh.* X. 16.

16. *Matth.* XI. 1. ſanctificatio *Eph.* V. 26. miſſio Spiritus S. *Joh.* XVI. 7. 14. XV. 26. defenſio adverſus omnes hoſtium inſultus & donatio vitæ æternæ *Ioh.* X. 10. 28. ſuique ipſius ſuſcitatio ex mortuis *Ioh.* II. 19. X. 18. *Rom.* I. 4. Claudat argumentorum agmen cultus divinus Chriſto tributus *Ioh.* V. 22. 23. XIV. 1. *Act.* VII. 59. *Matth.* XXVIII. 19. *Phil.* II. 10. *Hebr.* I. 6. *Apoc.* V. 13. 14. Quæ omnia dum ponimus, pauciſſimis addimus, inter ſcriptores novi Teſtamenti vel maximè Johannem divinitatem Chriſti adſtruxiſſe, qui & eapropter Theologus dicitur Cerinthoque, qui divinitatem Chriſti inficiabatur, Evangelium ſuum oppoſuiſſe fertur. Jam eodem ordine de Spiritu S. agamus. Is verò eſt tertia Deitatis perſona, à Patre & Filio unius ejuſdemque numero eſſentiæ divinæ communicatione uno actu indiviſibili & æterno modo ineffabili ſpirata & ad convertendos ſanctificandoſque homines in tempore miſſa. Nota igitur I. Nomina divina. Quod dum facimus, ante omnia obſervamus, Spiritum S. talem hic jam non dici ratione eſſentiæ ſuæ, quæ eſt ſpiritualis, ita enim ſingulæ in Deitate perſonæ optimo jure hoc nomen ſibi arrogare poſſunt *Ioh.* IV. 24. ſed ratione *τρόπυ ὑπάρξεως* ſpirationiſque æternæ, quâ à Patre & Filio Sp. S. ſpiratur. Quin & ſanctum eum appellari conſtat non ratione attributi eſſentia-

lis, quod ſanctitas eſt, omnibus tribus perſonis indiviſim competens, ſed ratione ſingularis characteris, juxta quem Sp. S. **κατ' οἰκονομίαν** opus ſanctificationis in nobis peragit. Quod reſtat, Sp. S. vocatur יְהוָה *Ieſ.* VI. 8. 9. ***coll.*** *Act.* XXVIII. 25. ſqq. *Pſ.* XCV. 7. ſqq. ***coll.*** *Hebr.* III. 7, ſqq. **θεὸς** *Act.* V. 3. 4. 1. *Cor.* III. 16. I. *Ioh.* V. 7. 9. 2. *Pet.* I. 21. **κύριος** 2 *Cor.* III. 17. 1. *Cor.* XII. 4. 5. Accedunt attributa divina nempe æternitas *Ebr.* IX. 14. omnipotentia *Matth.* XII. 28 *Luc.* I. 35. XI. 20. *Act.* X. 38. *Ieſ.* XI. 2. *Cor.* XII. 11. omniſcientia *Ieſ.* XI. 1. 2. 3. *Ioh.* XVI. 13. 1. *Cor.* II. 10. ſqq. bonitas & miſericordia *Neh.* IX. 20. *Pſ.* CXIII. 11. omnipræſentia *Pſ.* CXXXIX. 7. 8. & opera divina, creatio *Gen.* I. 2. *Iob.* XXVI. 13. *Pſ.* XXXIII. 6. conſervatio *Iob.* XXXIII. 4. *Pſ.* CIV. 30. *Ieſ.* LVII. 16. miracula *Matth.* XII. 28. *Rom.* VIII. 11. *Act.* X. 38. 1. *Cor.* XII. 4. ſqq. redemtoris quoad humanitatem miſſio *Ieſ.* XLVIII. 16. conceptio *Luc.* I. 45. unctio *Pſ.* XLV. 8. *Ieſ.* LXI. 1. *Ioh.* III. 34. *Act.* X. 38. inſtructio *Ieſ.* XI. 2. directio *Matth.* IV. 1. *Luc.* IV. 1. juſtificatio, converſio, ſanctificatio, ſalvatio, *Ioh.* III. 5. 1. *Cor.* VI. 11. XII. 11. *Ioh.* XIV. 16. *Gal.* IV. 6. *Act.* XX. 28. 2. *Cor.* II. 6. 10. 12. *Eph.* I. 12. *Gal.* VI. 8. 18. *Theſſ.* II. 13. *Tit.* III. 5. denique cultus divinus *Ieſ.* VI. 3. *Matth.* XII. 32. *Act.* XXVIII. 25. 26. 2. *Cor.* XIII. 13.

Digitized by Google

13. *Apoc.* I. 4. *Matth.* XXVIII. 19. Atque ita quidem divinitas Spiritûs S. probatur. Perſonalitas verò, quæ vel maximè hic demonſtranda venit, contra eos, qui Spiritum S. ſaltem virtutem DEI eſſe dictitant, Macedonianos nempe, Socinianos & Remonſtrantes, quos uno vocabulo Pnevmatomachos nuncupaveris, ex eo liquet, quia Spiritui S. conveniunt א nomina hypoſtatica ב perſonæ definitio integra ג idiomata & opera perſonalia & ד apparitiones viſibiles nonniſi perſonæ competentes. Quod primum attinet, novimus, Spiritum S. adpellari DEUM, paracletum, teſtem, ἐκεῖνον τὸ πνεῦμα *Ioh.* XIV. 26. XV. 26. XVI. 13. & ἄλλον *Ioh.* XIV. 11. Quod ſecundum ſpectat, nemo negaverit, Spiritum S. eſſe ſubſtantiam, utpote qui in forma corporea deſcenderit ſeque viſendum præbuerit, qui ſit intelligens *Ieſ.* XI. 2. 1. *Cor* II. 10. volens I. *Cor.* XII. 11. diſtinctus perſonaliter à Patre & Filio *Matth.* III. 16. *Ioh.* XIV. 16. XV. 26. *Act.* II. 3. ſqq. XXVIII. 29. & individuum, quod ex ipſius unitate diſpaleſcit 1. *Cor.* XII. 11. *Epheſ.* IV. 4. Jam & idiomata ejus perſonalia neminem latent, à Patre & Filio quod procedat & mittatur *Ioh.* XVI. 7. ſqq. Tacco opera perſonalia, ut creare, conſervare res omnes, mittere, prædicere futura, ſuggerere & docere omnia, ducere in omnem veri-

veritatem, arguere mundum, loqui per Prophetas &c. *Act.* XX. 26. 1. *Cor.* XII. 11. *Ioh.* XVI. 13. 14. XV. 26. 1. *Cor.* III. 16. quæ in ſacris tabulis paſſim Spiritui S. tribuuntur. De apparitionibus denique evolvas velim *Matth.* III. 16. *Act.* II. 3. ſqq. De proceſſione Sp. S. quæ eſt ipſius proprietas characteriſtica ad intra (character enim Sp. S. externus ſanctificatio eſt fidelium, quemadmodum Filii character externus redemtio hominum,) ſive de ſpiratione paſſiva notandum eſt, quod ea fiat à Patre & à Filio. Id quod *contra Græcos* bene notandum eſt, qui poſterius inficiantur & longas eapropter lites cum Eccleſiâ Romanâ habuere, quarum recenſio ad hiſtoriæ Eccleſiaſticæ eam partem, ubi hiſtoria dogmatum & hæreſium explicatur, ſpectant. Argumenta probantia hæc ſunt, ſatis utique clara & evidentia, quia Sp. S. vocatur Spiritus Chriſti *Rom.* VIII. 9. Spiritus Filii *Gal.* IV. 6. Spiritus labiorum Meſſiæ *Ieſ.* XI. 4. Spiritus JESU Chriſti *Phil.* I. 19. & Spiritus oris Chriſti 2. *Theſſ.* II. 8. 1. *Pet.* I. 11. & quia æque à Filio ac à Patre is dicitur mitti *Ioh.* XIV. 26. XV. 26. XVI. 7. *Apoc.* XXII. 1. (miſſio verò à Patre & Filio in tempore eſt conſequens proceſſionis in æternitate,) quia Spiritus S. dicitur audire & accipere à Filio *Ioh.* XVI. 13. 14. 15. quia denique *Ioh.* XX. 22. Chriſtus, cùm diceret diſcipulis: *accipite Spi-*

te Spiritum S. in eos inſufflavit, ut *Apoc.* XXII. 1. jam taceamus. A Patre autem eum procedere ex *Ioh.* XV. 26. *Pſ.* XXXIII. 6. 1. *Cor.* II. 12. & mitti ex *Luc.* XI. 13. *Ioh.* XIV. 16. patet. Adde *Act.* I. 14. II. 1. ſqq. *Gal.* III. 2. 5. *Tit.* III. 5. 6. 1. *Cor.* XII. 13. Denique & de officiis Spiritûs Sancti quædam hic dicenda veniunt. Sunt verò quatuor illa, elenchticum *Ioh.* XVI. 8. 9. 1. *Cor.* XIV. 24. 25. *Tit.* I. 9. *Act.* VII. 51. *Gen.* VI. 3. *Ieſ.* LXIII. 10. didacticum 1. *Cor.* II. 6. ſqq. *Eph.* I. 17. 18. 2. *Pet.* I. 10. 1. *Ioh.* II. 27. V. 6. *Matth.* XVI. 17. *Act.* XVI. 14. paræneticum *Rom.* VIII. 14. 26. 27. 1. *Ioh.* III. 9. *Hebr.* XI. 24. ſqq. 2. *Cor.* IX. 1. denique & conſolatorium 2. *Cor.* I. 5. *Rom.* XV. 4. *Pſ.* CXIX. 92. 1. *Pet.* IV. 15. *Act.* V. 41. Et hæc jam de Trinitate ſufficiant, quæ ſi quis cum ſyſtemate Ariano vel Sociniano comparaverit, ubi profectò & effata ſcripturaria in ſpeciem pro adverſâ ſententiâ militantia producuntur, facile videbit, ea, quæ nos afferimus, numero & evidentia iſta vincere adeoque normam eſſe, ad quam illa explicanda veniant.

§. VI.

Quid de Trinitate Libri noſtri ſymbolici ſentiant, ex ſymbolis, quæ ſub initium eorundem conſpiciuntur, videre eſt. Hiſtoriam verò dogmatis cùm ſub initium capitis jam in com-

compendio enarraverimus, repetere hîc non vacat. De Græcorum errore paucis id monitum volumus, eum fundamentum fidei haudquaquam tangere atque Theodoreto natales ſuos debere, qui poſt Neſtorianos ita ſtatuiſſe fertur. Occaſionem verò liti præbuit vox *Filioque* Symbolo à Latinis Seculo jam VII. addita, hinc nata ſeculo VIII. hanc in rem controverſia, quæ inter Synodum Nicænum II. & Gentiliacenſem Forojulienſemque interceſſit & ſec. IX in concilio Conſt. inter Photium & Nicolaum Pont. Rom. cujus tamen ſucceſſor Joh. VIII. interpolationem hanc improbavit, denique & ſec. XI. inter Leonem IX. Epiſc. Rom. & Michaëlem Imp. Conſt. occaſione epiſtolarum Michaëlis Cerularii continuata fuit. Nec vel in Concilio Barenſi vel Lugdunenſi, ubi JO. VECCUS rem ſuam malè egit, aut Florentino facta unio ſed ficta tantùm adeoque reſciſſa poſtmodùm fuit. Nam quamvis & in Florentino Græci Latinis acceſſiſſe videantur, tamen ex *confeſſione orthodoxâ Eccleſiæ Græcæ* liquet, quòd proceſſionem Spiritûs S. à ſolo Patre in hunc uſque diem ſtatuant atque illud δὶ ὑῦ non adjiciant. Unde patet, quid ſtatuendum ſit de eo, quod SCHERZERUS ponit in *ſyſtemate Theol.* p. 79. litem de vocibus & atque *per* fuiſſe, admittique Græcorum ſententiam poſſe, *Spiritum S. à Patre per Filium, medіante ſcilicet ordine, procedere, unde & inique propter hoc dogma*

anathe-

anathematizatos à Latinis Græcos ajat Hülſemannus in vindiciis Opp. poſth. f. 19. Inſpici quoque poteſt J. C. DANNHAWERI ſtylus vindex æternæ Spiritûs S. à Patre Filioque proceſſionis, ubi datâ operâ hoc negotium tractatur. Cæterùm & notandum hîc eſt, Socinianis proceſſionem nihil aliud eſſe quàm dationem Spiritûs S. Remonſtranteſque hîc Græcis ferè adhinnire, ut Weigelii, qui cauſatur, Spiritum Sanctum ante nativitatem Chriſti à ſolo Patre proceſſiſſe, poſt aſcenſionem verò Chriſti à Filio etiam procedere adeoque per proceſſionem, miſſionem intelligunt, ut JO. REINBOTHI errorem, qui idem ſtatuit & per proceſſionem miſſionem in tempore intelligit, taceamus. Num verò miſſio Spiritus S. & humanæ naturæ Chriſti competat, ex mente HUNNII & HOEPFNERI vide diſputantem eundem SCHERZERUM p. 78. qui inter miſſionem per naturam & per gratiam egregiè diſtinguit. At quis negaverit, in hoc de Trinitate articulo multas quæſtiones maximè in Scholaſticis occurrere, curioſas eas ſed inutiles, ſed ineptas? Nec tamen velim, hùc referri quæſtiones de neceſſitate credendæ Trinitatis, de ejus in V. & N. Teſt. factâ ejuſdem claritatis vel certitudinis revelatione, item de divinitate Chriſti, num & ea ipſa ex V. T. probari poſſit, de ſubordinatione perſonarum in Trinitate, de divinitate Filii & Spiritûs S. in univerſum hujuſque

juſque perſonalitate, item num Filius ſit **αὐτόθεος**, num generatio Filii ſit propria, ſit ab æterno, num generatio Filii ex intellectu Patris, ſpiratio Spiritus S. ex voluntate fiat, quam ſententiam & ex Scholaſticis SCHERZERUM noſtrum adoptâſſe adeoque ſepta orthodoxiæ communis hìc tranſiliiſſe miramur, an denique humana Chriſti natura in conſortium Trinitatis evecta fuerit, ubi & Romanenſes & maximè Arianos, Socinianoſque & Remonſtrantes diverſa à nobis ſentire videmus,ita tamen,ut & logomachiæ quædam hìc ſubinde rebus immiſtæ conſpiciantur, quæ ſolicitè evolvendæ ſunt. At verò præcipuum, quod in articulo hoc de Trinitate ritè evolvendo agendum venit, planè hoc non eſt, ut ſubtilibus rerum inveſtigationibus vel anathematiſmis in re minus evidente contra diſſentientes formandis inhiemus. Præterquam enim, quòd ſimplicitati fidei hìc indulgendum eſt atque iis res deſcribenda terminis, quos non humana mens ſed Spiritus S. adinvenit, nec ultra id, quod ſcriptum eſt, ſapiendum eſt, ſed plenior rerum notitia vitæ beatiori reſervanda, agendum hìc, quod de Trinitate monet Hilarius, Patrum acutiſſimus: fide hìc explenda eſſe, quæ præcepta ſint, id quod ii demùm faciant, qui adorent Patrem & venerentur cum eo Filium & Spiritu S. abundent, &, quod reliquum ſit, omnes heic vanas altaſque rerum inveſtigationes inſuper habeant.

Digitized by Google

beant. Ita profectò, o Chriſtiane, ſi plenius noſſe DEUM illum, quem credis, cupis, ipſi obedi & mandata ejus ſerva 1. *Ioh.* II. 4. & in communionem cum DEO Patre, quem filiali cultu reverendum tibi ſiſtas oportet, cum DEO Filio, qui Spiritum adoptionis, Spiritum iſtum filialem & tibi roganti largiturus eſt, Spirituque itidem Sancto, quem niſi inhabitantem habeas, miſerrimus fueris, cùm ſine illo virtus nulla, nulla converſio, nulla & vita æterna eſſe poſſit, in communionem inquam cum DEO illo, qui & Patrem ſe tibi præſtare & in filiorum DEI numerum te recipere & Spiritu ſuo te donare vult, deſcende, tuaſque res ita diſpone, ut, quem comprehendere jam neſcis, qui viator es, in animo tuo agentem eum, commorantem, ambulantem, trahentem, illuminantem, convertentem, ſanctificantem, conſolantem atque ſpiritualibus gaudiis pectoris tui latifundia ſuaviter jugiterque perfundentem ſentire atque experiri tibi detur. Quod ſi fiat, articulus hic, quem merè theoreticum eſſe hactenus exiſtimaveras, πρακτικώτατος tibi non ſine ſummâ quâdam, quæ tibi hic ſubnaſcetur, animi tui diffuſione evadet, eritque Spiritus S. cujus lumine myſterium hoc tibi obſignabitur & qui certitudinem hic rebus tuis adfundet pleniſſimam, ſignaculum illud & pignus futuræ hæreditatis tuæ futuræque gloriæ, quâ circumfuſus olim videbis DEUM ſine ænigmate, uti eſt, & perpetua

L intima-

intimaque unione eâque tibi jam incomprehenſibili ipſi aſſociabere. At enim, quî ad pietatem animis noſtris infundendam hic de Trinitate articulus queat adhiberi, luculentius nemo GOTH. ARNOLDO, exoſo aliàs Viro, qui tamen hîc plurima egregia habet, oſtendit.

CAPUT III.

DE CREATIONE.

§. I.

A tractatione de DEO ad tractationem de actionibus divinis, ex quibus & Deitas & omnipotentia conſpicitur *Rom.* I. 20. prompta nobis jam via patet. Sunt autem actiones DEI vel *ad intra* vel *ad extra*. Jam verò rogamus lectorem noſtrum, ut pauliſper, quoniam in ſylvâ hâc diſtinctionum, quam ingredimur, monumenta quædam latent, quorum inſpectio à viatoribus haud facilè negligitur, in campum ſcholaſticum duci ſe patiatur. Actiones *ad intra* quæ vocantur, in ipſo DEO terminantur, actiones *ad extra* verò circa objectum quoddam externum occupantur. Prioris generis actiones ſunt vel *eſſentiales* vel *perſonales*. Illæ pro principio agendi agnoſcunt eſſentiam divinam, quatenus illa omnibus tribus Deitatis

Digitized by Google

tis perſonis eſt communis , adeoque ſunt indiviſæ, uti ſunt actus intellectus & voluntatis divinæ circa DEUM ipſum , hæ verò pro principio agendi habent eſſentiam divinam, quatenus illa certis characteribus & proprietatibus hypoſtaticis eſt determinata, adeoque ſunt diviſæ & huic ſaltem vel illi perſonæ aut perſonis propriæ, & fiunt vel ab æterno , uti generatio Filii & ſpiratio Sp. S. illa à Patre ſolo, hæc à Patre & Filio , vel in tempore, quò miſſio Filii in carnem & miſſio Spiritûs S. ad ſanctificandos homines pertinet. Poſterioris autem generis actiones, quæ *ad extra* nuncupantur & ad aliud ab ipſo DEO vel extra DEUM tendunt, ſunt vel *internæ* & *immanentes* vel *externæ* ſeu *emanantes*. Illæ in objectum quidem extra DEUM poſitum tendunt, intra ipſum tamen Deitatis ſinum peraguntur, uti actus intellectus & voluntatis divinæ circa creaturas, hæ in objectum extra DEUM poſitum tendunt & extra DEUM quoque peraguntur. Atque hæ iterum vel *perſonales* ſunt vel *eſſentiales*. Illæ ſunt, quæ extra DEUM peractæ uni certæ perſonæ per appropriationem οἰκονομικὴν competunt non quidem ratione principii & inchoativè ſed ſaltem ratione termini , uti e. g. in ſpecie viſibili columbæ ſolus apparuit Sp. S. *Matth.* III. 16. per vocem de cælo verſ. 17. ſolus Pater locutus eſt , & Filius ſub formâ Viri in V. & N. T. in aſſumtâ carne apparuit, etſi univerſa

L 2 Trinitas

Trinitas & vocem Patris & carnem Filii & ſpeciem columbinam Sp. S. operata fuerit, id quod AUGUSTINUS C. 9. de *trinitate DEI* itemque SCHERZERUS in *Syſtemate Theogiæ loco* 2, *de DEO* §. 29. p. 80. egregiè explicant, qui poſterior ſimili quodam rem illuſtrat atque ait: *quemadmodum tres virgines communi manu ſertum nectunt & tertia imponunt, quæ ſola idem geſtat.* Neſcio tamen, num ſequentia curatè admodum adjungantur, ubi ait Vir pereximius: *Cæterùm, quia creatione Pater, redemtione Filius, ſanctificatione Spiritus S. peculiariter ſeſe manifeſtavit, inde fit, ut per appropriationem creatio Patri, redemtio Filio, ſanctificatio Spiritui S. propriâ quâdam ratione attribuatur, quod vel ex ſymbolo Apoſtolico conſtat. Quâ de cauſâ etiam peccatum in Spiritum S. Matth. XII, 32. peculiariter appellatur.* Quod enim creationem, redemtionem & ſanctificationem concernit, hæ ad actiones divinas ad extra externas perſonales referri nequeunt ſed ad eſſentiales referri debent, quæ extra Deitatem circa objectum aliquod externum occupantur & in illo terminantur, ſuntque indiviſæ omnibuſque perſonis divinis ex æquo communes, ſervato tamen ordine & diſcrimine perſonarum, quâ ratione Pater à ſe & per Filium & Spiritum S. Filius à Patre & per Spiritum S. Spiritus S. ab utroque agit. Et hic valet vel maximè *œconomia* illa

Digitized by Google

illa eccleſiaſtica, juxta quam opus creationis Patri, qui tamen per Filium Spiritumque S. mundum creavit, opus redemtionis Filio, quia in carne id peractum fuit, & opus ſanctificationis Spiritui S. qui effuſione ſuâ in hominum animos, quos illuminat, convertit, ſanctificat & ſalvat, ſe præcipuè manifeſtat, attribuitur. Hæc verò perſonarum œconomia, quæ à recentioribus ita appellata eſt, (qui enim antiquiores ſunt, per œconomiam incarnationem Chriſti, per theologiam doctrinam de divinâ ipſius naturâ maximè intelligunt) ex ipſis rei viſceribus fluit operibuſque, quæ in tabulis ſanctioribus vel huic vel alteri perſonæ adſcribuntur. Quod reſtat, actiones divinæ ad extra emanantes ſunt vel potentiæ, ut creatio & conſervatio, vel miſericordiæ, ut redemtio, vocatio, converſio, ſanctificatio, ſalvatio, vel juſtitiæ, uti eſt mortuorum reſurrectio judiciumque extremum. Sed hæc quidem trita ſunt & communia, quæ & (fatemur enim) ex fontibus, qui omnibus patent, hauſimus. Scilicet plagium heic committere maluimus quàm ea omittere, quæ & evidentiores rerum ideas nobis gignunt & ad τρίτον παιδείας communem, ſcitu utique apud nos neceſſarium, evolvendum pertinent.

§. II.

Quodſi itaque jam à creatione nobis ſumendum ſit rerum initium, definitio primùm

mùm ejus nobis danda venit. Dicamus igitur, creationem eſſe opus DEI primum, quo is in tempore, ſolo voluntatis ſuæ nutu eoque liberrimo cœlum, terram, lucem & ſpiritus ex nihilo ſimpliciter, reliqua ex materiâ inhabili ad nominis ſui gloriam produxit. Ita ferè in *Corpore Theologiæ* ad hunc locum HEIDEGGERUS, Vir doctiſſimus, quem alii hîc ſequuntur. DEI hoc dicimus opus eſſe *Gen.* I. 1. ſqq. *Ieſ.* XL. 12. 13. 28. XLIV. 24. *Neh.* IX. 6. *Iob.* IX. 8. *Pſ.* XXXXIII. 6. CVI. 5. CXXIV. 8. *Ier.* X. 12 XXXII. 17. *Act.* IV. 24. ejuſque unitrini *Eccl.* XII. 1. *Rom.* XI. 36. juxta canonem communem: *Opera Deitatis ad extra ſunt indiviſa & omnibus tribus perſonis communia, ſervato tamen earundem ordine & diſcrimine,* Patris 1. *Cor.* VIII. 6. *Hebr.* I. 2. Filii *Ioh.* I. 3. *Col* I. 16. & Spiritus S. *Gen.* I. 2. *Iob.* XXXIII. 4. *Pſ.* XXXIII. 6. Cave autem credas hîc vel tres perſonas Deitatis in opere creationis concurriſſe ut cauſas ſocias, cùm potius hîc ſpectandæ veniant ut una cauſa totalis & ſolitaria, vel Filium in opere creationis ſeſe habuiſſe uti cauſam inſtrumentalem, id quod ex particulâ διὰ is profectò haud probaverit, quem haud latuerit, eandem de Patre quoque uſurpari *Rom.* VI. 4. 1. *Cor.* I. 9. *Eph.* I. 1. Quin &, cùm ex locis ſupra adductis pateat, DEUM ex creatione divinitatem ſuam contra gentium idola probare, firmiter hinc quis argumentari poteſt, creatio-

nem

nem ex nihilo infinitæ virtutis opus eſſe, creaturæ planè neque ut cauſæ principali neque ut inſtrumentali (hæc enim nonniſi in objectum jam exiſtens agit,) communicandam, niſi quæ in hypoſtaſi divinâ ſubſiſtat, etſi virtus miracula faciendi, quæ rem jam creatam, circa quam verſentur, præſupponunt, creaturæ meræ ex gratiâ communicetur. Ipſa jam creatio *Gen.* I. 1. voce ברא indigitatur, quæ etſi alibi הוצאת יש מאין *creationem ex nihilo* agnoſcentibus etiam Hebræis haud inferat, hîc tamen ita pro re ſubſtrata explicanda venit. Ex nihilo autem eoque pure negativo creatum fuiſſe mundum tùm ex re ipſâ apparet, tùm ex tabulis ſacris. *Rom.* IV. 17. *Ebr.* XI. 3. ubi **τὰ μὴ φαινόμενα** ne quidem in conſpectu DEI & quæ nullum ne apparens quidem eſſe habuerunt, indigitantur. At hæc de opere primæ diei ſaltem intellecta velim. Quæ enim reliquis diebus condita fuere, ex materiâ præjacente ſed inhabili illâ ſed indiſpoſita producta fuerunt. Illa dicuntur creationis immediatæ, hæc mediatæ eſſe. Facta autem eſt creatio ſolo voluntatis divinæ nutu *Pſ.* XXXIII. 9. *Gen.* I. 3. 9. *Eph.* I. 11. *Ebr.* XI. 3. *Pſ.* CXV. 3. בראשית i. e. בתחלה in principio, uti explicat e R. Salomo ben Melech in *Michlal Iophi*, qui ait אינגו סמוך *in ſtatu conſtructo* vocem *hanc* poſitam *haud* eſſe, uti profectò ex *Lev.* II. 12. *Deut.* XXXIII. 21. *Ieſ.* XLVI. 10.

Neh.

Neh. XII. 44. patet. Sive autem principium temporis, ſive principium operum divinorum hîc intellexeris, unum idemque hoc erit. Finem creationis denique eſſe gloriam DEI ex *Prov.* XVI. 4. *Pſ.* XIX. 1. *Rom.* I. 20. *Gen.* I. 10. ſqq. hominiſque uſum & ſalutem ex *Gen.* I. 56. 1. *Cor.* III. 22. *Deut.* IV. 19. *Pſ.* XCV. 16. CIV. 31. CXLVIII. 5. *Jeſ.* XLV. 18. *Apoc.* IV. 11. liquet. Quod reſtat, hic de creatione articulus, uti & ille de DEO, non ſaltem ex ratione ſed & ex revelatione conſtat eſtque adeò & articulus rationis & articulus fidei, quod alii minus accuratè articulum fidei mixtum vocavere. Vide *Ebr.* XI. 3. 6.

§. III.

Jam verò, ſi hiſtoriam creationis ſex diebus, uti Moſes refert, factæ noſſe velimus, adeundum eſt primum Geneſeos caput, quod Vir quidam doctus, quem, ne invidiam rebus creemus, haud nominamus, ita & egregiè quidem παραφράζει. *Cœlis & terræ initium dedit DEUS eaque, uti nunc ſunt, ornavit. Ut à terrâ ordiar, cùm incolis careret, quippe quæ univerſa marinis aquis contecta erat, tenebris tantum & ſpiritu DEI* (alii, vento magno) *iis incubantibus, ut uſui, quem nunc præſtat, apta fieret, lucem exiſtere voluit DEUS, quæ lux, eo volente, illicò emicuit & futurorum uſibus animalium convenientiſſima viſa eſt. Exinde in lucem & tenebras omne diviſum*

diviſum fuit tempus, & lux quidem poſtea DIES vocata, tenebris verò NOCTIS nomen impoſitum eſt. Cùm autem noctem immenſam, quæ creationem rerum anteeeſſerat, ſecuta eſſet matutina lux, ex iis tamen unicus iſque omnium primus confectus eſt dies. Ad cœlos quod attinet, voluit poſtea DEUS eſſe ſpatium, quod marinas aquas deſuper incumbens premeret ſepararetque à nubibus atque & hac effectum ſortita eſt DEI voluntas. Huic ſpatio inferioribus aquis incumbenti COELI vocabulum attributum eſt. Hæc intra noctem & lucem ſecundi diei confecta ſunt. Voluit deinde DEUS aquas, quibus tota contecta erat tellus, certis alveis contineri, ut arida appareret humus, animalibus terreſtribus incolenda, nec voluntati divinæ quò minus executioni daretur ulla fuit mora. Aridis locis, quæ ex aquâ exſtitere, TERRÆ, aquis verò, quæ in alveos confluxerant, MARIUM ab hominibus poſtea nomen inditum. Hæc autem aquæ & terræ aridæ ſeparatio excipiendis aptiſſima erat animalibus. Hoc peracto voluit DEUS ex terrâ tenerum, quod ſine ſemine oriri creditur, gramen, tùm alias altiores herbas, quæ ſemen emittunt, quo propagentur, ac denique arbores frugiferas & quarum in fructibus ſemen eſt, quo earum & conſervetur & augeatur ſpecies, ſubnaſci. Hæc vero illicò è telluris ſinu prodiere, paratus mox creandis animalibus paſtus.

Nec aliud quidquam intra tertii diei noctem & lucem a DEO factum eſt. Loco lucis, de quâ diximus, voluit poſtea DEUS lumina eſſe in cœlo, quæ eundem præſtarent uſum, tempus ſcilicet in diem & noctem dividerent, quæ hominibus ſigna conſtantia eſſe poſſent, quorum auxilio ſtata certis de rationibus tempora dierumque & annorum periodos obſervarent & quæ terris illucerent. Illicò verò fulſere ea lumina, quorum unum quidem idque majus divinam lucem præbet diei que metas ponit, alterum verò, quod minus eſt, unà cum ſtellis reliquis à DEO eodem tempore creatis noctu ſplendet, tenebrarum horrorem minuit homineſque ſuâ luce juvat. Hæc ut alia omnia, fini, quem propoſuerat, apta deprehendit DEUS & ſic quarta dies abiit. Poſthæc voluntate divinâ piſces maximos & minimos volucriumque omnia genera mare edidit, iiſque divinis conſiliis apprimè conſentientibus DEUS propagandæ & augendæ ſpeciei ſuæ facultatem conceſſit. Atque hæc à DEO die quinto peracta ſunt. Sexto omnis generis animalia terreſtria, cicures pecudes ſerpenteſque & feras ex terrâ naſci voluit, cui divinæ voluntati illicò terra paruit Deoque animalia, uſui cui deſtinabantur, idonea præſtò fuere. At præter bruta conſilium iniit DEUS creandi ſanctioris animalis, quod Creatorem ſuum magis referret cæteriſque dominii à DEO dati jure pro arbitrio uteretur. Hoc conſilium

ſuum

ſuum DEUS creatis duobus hominibus viro & fœminâ perfecit. Deinde his facultatem propagandæ ſobolis, quæ terras impleret, uſumque omnium aliorum animalium attribuit. Homines etiam cùm herbis tùm arborum quarumvis fructibus ſalubribus, bruta verò herbis potiſſimùm, quibus vitam ſuſtentarent, donavit. Hæc autem ex DEI voluntate è veſtigio abſoluta & opificis fini convenientiſſima die ſexto creata ſunt. Hoc modo intra ſex dies rerum creata atque ornata eſt univerſitas, ut ſeptimo die nihil agendum DEO ſuperfuerit. Et hæc jam eſt, quæ à MOSE, vetuſtiſſimo Scriptore eoque divinitùs inſpirato nobis datur, creationis hiſtoria, ſuis tamen difficultatibus, ſi cum Phyſicæ modernæ principiis ea comparetur, obnoxia, ita, ut recentiores quidam exiſtimaverint, Moſen ad opinionem vulgi eandem enarrâſſe, tùm quod juxta primum comma mundum in cœlum & terram dividat, cùm tamen conſtet, terram cum cœlis ob parvitatem ſuam vix comparari poſſe, tùm quòd hexaëmeri maximam partem creationi terræ aſſignaverit, cùm aſtrorum creationi vix unicus dies fuerit adhibitus, tùm quod ſupponat Moſes, ſupra cœlum expanſumve id, in quo ſtellæ quoque fixæ conſpiciuntur, aquas eſſe, quæ pluviam in terras fundant, tùm denique, quod ſtellarum fixarum majorem, quàm quæ viſentibus ſe objiciat, magnitudinem haud crediderit idem,

qui

Digitized by Google

qui ſolem lunamque , quæ tamen omnium ferè aſtrorum minimum eſt, luminaria magna vocitaverit. At præterquàm , quòd DEO ordinem , quo res creare debuerit , temporiſque menſuram , quam iiſdem exornandis (ipſa enim creatio rerum ex nihilo uno eodemque actu inſtantaneo facta fuit *Pſ.* XXXIII. *9.*) adhibere eundem decuerit , præſcribere ſumma rationis laſcivæ inſania temeritaſque haudquaquam ferenda eſt , Moſis hîc intentio vel maximè reſpicienda venit , qui non tàm generalem totius creationis notitiam dare nobis , quàm terræ hujus , quam incolimus , earumque rerum , quæ vel maximè conſpectui noſtro ſe objiciunt majoreſque eidem ſeſe offerunt , origines deſcribere voluit. Nec ſi per aquas ſupra expanſum exſtantes nubes intellexeris , quas ex Theologis quoque noſtris ſunt , qui intelligant , & per luminaria magna ea intelligas , non quæ ratione magnitudinis ſuæ ſed ratione apparentiæ , uſûs & officii talia ſunt , ulla eſt objectioni hinc petitæ vis , ullum , quod nos urgeat , robur. At verò nolimus , ut in explicatione hiſtoriæ creationis à Moſe traditæ quiſquam ſubtilitatibus indulgeat atque ad Philoſophorum , quos Phyſicos adpellant , ſyſtemata iſta exigat. Hinc aquam cribro hauſiſſe eos exiſtimamus , quicunque vel ad Ariſtotelicæ vel ad Carteſianæ aut corpuſcularis Philoſophiæ leges iſta explicârunt , cùm eaſdem Moſen ideas ,

hæc

hæc cùm conſcriberet, habuiſſe planè probabile haud ſit. Nec eſt quòd quiſquam vanis BURNETI, WHISTONI, CLUVERI aliorumque, qui creationem Moſis allegoricè exponunt eandemque ad hunc unicum terræ globum coarctant, quem antea confuſum cometæ chaos exiſtentem à DEO ſex dierum, qui tot annis pares ſint, ſpatio creatum eſſe aſſerunt, quæ ſententia ab Anglis ſcriptoribus & inventa & egregiè refutata eſt, vel HENRICI MORI, qui myſticos Cabbaliſticoſque ſenſus hiſtoriæ Moſaicæ hîc adſperſit, ſomniis inhiet. Id verò in genere ex Hiſtoriâ Moſis liquet, mundum, quod ex Patribus AUGUSTINUS exiſtimavit, ex modernis Scriptoribus LE GRAND & TONTI ſomniavere, unico actu inſtantaneo haud creatum eſſe, niſi id de creatione ex nihilo intellexeris, nec plures eſſe mundos, id quod egregiè nuper in elegantiſſimâ de *creatione* diſſertatione demonſtravit ſummè Reverendus Collega noſter, D. GODOFR. HOFMANNUS, nec mundum ab Angelis creatum eſſe, uti veteres quidam hæretici Simon, Cerinthus, Saturninus, Baſilides, Marcionitæ aliique plurimi delirârunt, & ne quidem eos ad creationem fuiſſe adhibitos, id quod ex *Gen.* I. 26. Sociniani & Remonſtrantes conjiciunt, nec materiam quandam vel creaturam DEO coæternam dari, quod iterum ex veteribus Marcion, Hermogenes, quem Tertullianus refuta-

refutavit, Manes aliique ſenſerunt, nec Præadamitas exſtitiſſe, quod opinionis monſtrum ISAACUS PEYRERIUS, malè eapropter mulctatus, priore ſeculo excluſit, nec denique mundum ipſum DEUM eſſe, quæ Spinoſæ impietas vel ſummum potius delirium eſt rationiſque inſanæ ſputum, quod neſcio cur à tot viris doctis lambi poſſit, niſi quia forſan novitatis ſpecie & abſurditatis raritate id ſeſe commendat & incredulitati impietatique frigidam largiſſimam affundit. Quemadmodum verò (unicum enim hoc verbulum nobis addendum reſtat,) in Reformatis hoc communiter noſtri carpunt, quod illi cœlum quoddam empyreum, quod barbarè nuncupatur, ſtatuant, ſive locum quendam, qui ſupra cœlum aſpectabile ſit, domicilium beatorum Spirituum, Angelorum ſanctorumque *Jud.* IV. 6. 2. *Cor.* XII. 2. *Ebr.* XI. 10. XII. 22. ſqq. *Apoc.* XXI. 23. *Eph.* IV. 10. cùm tamen potius beatitudo ſtatus noſtris ſit quàm certum quoddam πȣ̃, in quo omnes beati congregati jam exſtent, ita Reformati nos rident, ubi aquas ſupracœleſtes, quas homines phyſici non poſſunt non adunco naſo ſuſpendere, ſine ullâ rerum neceſſitate (id quod ex noſtris ante alios JO. MUSÆUS agnovit) ſtatuimus & mordicus defendimus.

§. IV.

Quid libri noſtri Symbolici hanc in rem ſtatuant, ex ſymbolis liquet, ubi articulus de creatione

creatione veteribus hæreticis illis eſt oppoſitus, qui creatum per Angelos mundum aſſeruere, id quod ex KINGIO & PEARSONIO itemque ITTIGIO quis facile hauſerit. Plenam verò dogmatis hujus hiſtoriam PETAVIUS exhibet. Ipſam creationis hiſtoriam juxta filum Moſaicum enarravere plurimi, quos, ne prolixiores juſto in articulo, qui nullam difficultatem habet, ſimus, haud allegamus, lectore noſtro hîc ad Theologi ſummi JO. FR. BUDDEI *Hiſtoriam veteris Teſtamenti* ablegato, ubi, quæ hanc in rem dicuntur, & judicioſa & erudita ſunt. De quæſtionibus, quæ in hoc articulo occurrunt, hæc monemus, reales has eſſe: Num DEUS ex nihilo mundum condiderit aut num materia ſit DEO coæterna vel Angelis hæc rerum univerſitas adſcribenda ſit. Num creandi potentia creaturæ poſſit communicari? id quod contra Scholaſticos quoſdam omninò negandum venit. Num mundus ſit DEUS? Num Filius DEI mundum haud creaverit vel ſaltem inſtrumenti vicem hîc habuerit? id quod contra ante Nicænos quoſdam, Arianos alioſque recentiores inficiandum. Num mundus ex eſſentiâ divinâ emanaverit? id quod cùm Spinoſiſmo faveat, contra Cabbaliſtas, contra JAC. BOEHMIUM alioſque itidem negandum eſt. Num denique Moſes ad captum vulgi ſeſe hîc accommodaverit vel in enarrandâ creationis hiſtoriâ ineptiat adeoque allegorice ſit exponendus? id quod perverſè à modernis quibuſdam ſive incredulis

ſive

ſive aliis ſtatuitur. Accedunt quæſtiones, quæ verò magis curioſitatem olent, de ſpiritu mundi, de Angelis, quo die fuerint creati, de aquis ſupracœleſtibus, de cœlo empyreo, de creatione, num ſex demùm diebus vel ſex annis elapſis fuerit perfecta vel unâ inſtantaneâ actione abſoluta, de tempore anni, quo mundus fuerit creatus, de mundorum pluralitate, de Præadamitis & quæ alia ſunt, quæ ſicco pede prætèrnavigamus. Quæritur &: num articulus de creatione ex lumine naturæ conſtet, cùm aliud quid ex *Hebr.* XI. 3. pateat, ubi reſponſio facilis eſt, ipſam quidem creationem mundi à DEO ex ratione conſtare, aſt minus, quî omnia DEI operâ *coaptata* ſint, & quòd hoc factum ſit **ῥήματι θεοῦ**, nec repugnare, ut unus idemque articulus & ex ratione & ex revelatione liqueat. Nolimus verò, quenquam hîc credere, DEUM entia rationalia eo fine creâſſe, ut eadem æterno daret exitio eaque propter decreviſſe, ut à concreatâ ſibi ſanctitate deficerent, quæ Supralapſariorum ſententia eſt, hodiernis Reformatis haud amplius familiaris Deique bonitatem, ſanctitatem & juſtitiam jugulat. 1. *Theſſ.* V. 9. Quod reſtat, unicum de CARTESIO hîc monemus, malè ipſi attribui, quod cauſas creatarum rerum finales neget, cùm ſaltem ajat, omnes illas nobis haud cognitas eſſe. Jam, ubi de creatione egimus, ad conſervationem rerum creatarum & quæ huic juncta eſt, providentiam divinam enarrandam eaque, quæ huc pertinent, paucis delibanda noſter calamus ſe vertit.

CAP.

Caput IV.

DE CONSERVATIONE ET DE PROVIDENTIA.

§. I.

DE creatione poſtquàm egimus, ordo poſcit, ut de conſervatione rerum creatarum jam agamus. Quod dum facimus, totus de providentiâ divinâ articulus nobis evolvendus venit. Id quod eò breviùs exſequi nobis licebit, quoniam articulus hic totus ita comparatus eſt, ut ad iſtum illuſtrandum ex hiſtoriâ dogmaticâ vel parum vel nihil conferri poſſit.

§. II.

Ad providentiam igitur DEI, de quâ jam agimus, ſpectat א ipſa *πρόγνωσις* ſive rerum præſcientia, qui actus intellectus eſt, ב *πρόθεσις* propoſitum & decretum voluntatis divinæ proſpiciendi rebus creatis, ג ipſa hujus decreti exſecutio, quæ in rerum creatarum conſervatione & gubernatione conſiſtit. Et hæc

M pro-

Digitized by Google

propriè dicitur viſio *Gen.* XXII. 8. 1. *Sam.* XVI. 2. *Ezech.* XX. 6. ordinatio *Pſ.* CXIX. 91. ſervatio *Pſalm.* XXXVI. 7. πρόνοια *Act.* XVII. 26. Eſſe verò ejuſmodi providentiam & ex ratione apparet & ex revelatione confirmatur, *Pſ.* CXXXIX. 7. ſqq. *Jer.* X. 23. *Act.* XVII. 25. *Hebr.* I. 3. quæ eandem DEO unitrino adſcribit *Pſ.* XXXVI. 7. CIV. 27. CXLVII. 8. 9. *Matth.* VI. 26. Patri *Job.* V. 17. Filio ibidem & *Col.* I. 17. *Hebr.* I. 3. & Spiritui S. *Pſ.* CIV. 30. CXXXIX. 7. Ea, circa quæ verſatur providentia divina, ſunt in univerſum omnia, quæ exſtant. *Neh.* IX. 6. *Hebr.* I. 3. Angeli tùm boni *Pſ.* XCI. 11. CIV. 4. *Dan.* IV. 10. *Hebr.* I. 14. tùm mali *Job.* I. 12. 1. *Reg.* XXII. 21. 22. *Matth.* VIII. 31. 32. homines pii impiique *Pſ.* X. 8. ſqq. XXXIII. 18. XXXVII. 19. *Job.* XXXVI. 7. *Act.* XVII. 26. *Matth.* V. 45. animalia etiam irrationalia omneſque creaturæ *Deut.* XXV. 4. *Pſ.* VIII. 4. ſqq. CXLVII. 9. *Matth.* VI. 25. ſqq. VIII. 31. X. 29. 30. *Luc.* XII. 6. 7. 24. ſqq. 1. *Cor.* IX. 9. *Job.* XXXIX. 1. 2. *Proverb.* VI. 8.

§. III.

Providentia DEI, quæ circa hominem verſatur, ſpectat ejus tùm vitam tùm actiones. Et vitam quidem in ingreſſu *Job.* X. 8. ſqq. *Pſ.* XXII. 10. 11. LXXI. 6. CXXXIX. 14. ſqq. *Act.* VII. 25. progreſſu *Deut.* XXX. 20. *Job.* X. 12. *Pſ.* LVI. 9. XXXVII. 23. 24. *Job.*

XXXIV.

Digitized by Google

XXXIV. 21. *Prov.* XVI. 1. XXI. 1. *Pſ.* CXXXIX. 2. 3. *Matth.* VI. 25. X. 30. & egreſſu *Job.* XIV. 5. ita ut conſtitutus vitæ terminus (quæ conſtitutio utique non eſt *abſoluta* ſed *ordinata* hoc eſt hominum pietate & impietate item mediorum à DEO ordinatorum uſurpatione & contemtu limitata) vel obtineatur *Gen.* XLVII. 29. 2. *Sam.* VII. 12. vel abbrevietur *Pſ.* LV. 24. CII. 25. *Sap.* IV. 7. vel prolongetur *Jeſ.* XXXVIII. 5. vel duplicetur 1. *Reg.* XVII. 22. 2. *Reg.* IV. 35. XIII. 21. *Matth.* IX. 25. *Luc.* VII. 15. *Joh.* XI. 44. *Act.* IX. 40. XX. 12. Circa actiones verò hominum DEI providentia ita verſatur, ut bonas ipſe præſciat, præcipiat, approbet, cooperetur, dirigat & determinet, malis, quas itidem prævidet, adverſetur, *Jeſ.* LXV. 12. *Pſalm.* V. 5. eaſdem prohibeat & impediat 1. *Reg.* XIII. 4. perſonam agentem ſuſtentet, actionis materiale coëfficiat, ejuſdem ἀταξίαν permittat, peccatum dirigat, determinet, remittat, puniat.

§. IV.

Providentiæ divinæ tres actus à noſtris vulgò recenſentur, conſervatio, concurſus & gubernatio, quæ poſterior permiſſionem, impeditionem, directionem & determinationem involvit. Tradamus breviter omnia. Conſervatio quid ſit, ipſe terminus declarat. *Pſ.* CXIX. 91. *Jeſ.* XL. 26. *Act.* XVII. 28. Qui ajunt, conſervationem eſſe continuatam creationem,

tionem, termino creationis, quæ productionem ex nihilo dicit, abutuntur. Conſervat autem DEUS creaturas ſuas in *eſſe* & in *operari*, quæ locutiones, receptæ illæ, in auribus latinis ſuaviter tinniunt. Concurſus DEI dicit influxum ipſius generalem, immediatum & indifferentem in actiones & effectus quoſvis cauſarum ſecundarum, quo fit, ut una eademque ſit DEI & creaturæ actio, à duabus hiſce cauſis totalibus profluens, DEO ad modum cauſæ ſive naturalis ſive liberæ vi legis cujuſdam ordinariæ, quâ ſuo auxilio agens creatum nunquam deſtituit, agente. *Job.* X. 8. ſqq. XXXVIII. 28. *Jeſ.* XXVI. 12. *Phil.* II. 13. *Act.* XVII. 28. Ex quo conſpicere eſt, concurſum DEI requirere immedietatem & ſuppoſiti, quæ eſt omnipræſentia divina, & virtutis, quæ eſt omnipotentiæ univerſale idemque immediatum exercitium. Quod deinde varias iſtas gubernationis ſpecies concernit, permiſſio ex *Pſ.* LXXXI. 13. *Act.* XIV. 16. *Rom.* I. 24. 28. impeditio ex *Num.* XXII. 12. ſqq. *Dan.* III. 21. ſq. *Ioſ.* X. 12. aliiſque innumeris locis, directio ex 1. *Sam.* IX. 17. X. 21. XVI. 7. ſqq. *Gen.* L. 20. *Act.* IV. 28. *Rom.* VIII. 28. determinatio denique, juxta quam DEUS creaturarum viribus, actionibus & paſſionibus certos terminos, intra quos ſe contineant, tùm ratione temporis, tùm ratione gradus & magnitudinis conſtituit, ex *Iob.* I. 12. II. 6. *Pſ.* XCI. 15. 1. *Coron.* XXI. 27. *Eccl.* III. 1. *Job.* XIV. 5. liquet.

liquet. At verò providentiæ divinæ finis eſt tùm DEI gloria *Proverb.* XVI. 4. tùm creaturarum, hominum maximè utilitas. *Jeſ.* XLV. 18. *Gen.* I. 26. ſqq. *Pſ.* CXV. 16. *Rom.* VIII. 28. Quod reſtat, providentia divina vel eſt generalis, quæ nempe in genere totum hujus mundi ſyſtema vel ſpecialis, quæ Eccleſiam ſpectat, vel eſt ordinaria vel extraordinaria, quæ poſterior in miraculis conſpicitur.

§. V.

Providentiam qui negant, ſive veteres ſive recentiores Philoſophi, rectè Atheis accenſentur omnemque morum diſciplinam ſubruunt. Præſcientiam futurorum contingentium perperam inficiantur Sociniani, vel ex ſolis dictis *Pſalm.* CXXXIX. *Joh.* XXI. 17. *Act.* XV. 18. 1. *Joh.* III. 20. *Matth.* XI. 21. atque ex prædictionibus & vaticiniis *Jeſ.* XLI. 22. 23. refutandi. Eandem præſcientiam rebus neceſſitatem adferre ſtatuunt Scotiſtæ, Dominicani & Reformati, Prædeterminantes qui vocantur certamque futurorum contingentium præviſionem non eſſe niſi è determinatione voluntatis divinæ hauriendam aſſerunt, quibus non ſolùm id, quod tamen ipſi haud admittunt, DEUM nempe hâc ratione peccati autorem conſtitui, ſed & effata *Jer.* XVIII. 7. ſqq. XXI. 8. 9. XXXVIII. 23. *Joh.* III. 4. ſqq. 1. *Sam.* XXIII. 10. ſqq. *Matth.* X. 21. *Act.* XXVII. 22. ſqq. opponimus. Concurſum DEI immediatum negavit

gavit olim Pelagius, negavit ex Scholaſticis cum ſequacibus Durandus, qui ait, creaturis inditam ab initio agendi facultatem eſſe, quâ poſitâ DEUS non amplius concurrat, adhinnientibus quoque hîc Remonſtrantibus atque ex noſtris incomparabili Viro G. G. LEIBNITIO, negant & ex modernis Philoſophis ii, qui creaturas cauſas occaſionales eſſe ſtatuunt, hoc eſt, qui negant, effectus cauſarum ſecundarum propriè à cauſis illis produci eosq; volunt à ſolo DEO ad præſentiam tantùm ſecundarum cauſarum effici, his nihil agentibus, quæ ſententia adſcribitur GABRIELI BIELIO noſtro, Theologo Tubingenſi, invenitque apud recentiores Philoſophos, qui eam adamarent, MALEBRANCHIUM, STURMIUM, BÆLIUM alioſque. At verò cùm ſyſtema hoc occaſionale ſit valde improbabile & vel maximè moralitatem actionum noſtrarum videatur deſtruere, ſententia Durandi cæterorumque atque communis noſtra, ut rectè ſapiens quidam ex noſtris monet, DUBIA INTER SE CONTENDUNT PALMA, cùm utraque ſuis prematur difficultatibus, ſuâque & gaudeat probabilitate. Terminum vitæ abſolutè determinatum eſſe Reformati ajunt, nos nec caſualem nec abſolutè fatalem eſſe contendimus. Quod reſtat, cùm conſervationis, cùm concurſus, cùm gubernationis divinæ, cùm providentiæ ratio indoleſque, cùm denique conſiliorum divinorum receſſus nobis ſint imperſcrutabiles, melius eſt

& con-

& convenientius, ſimplicitatem heic rebus adhibere, quàm ſubtili diſquiſitione ea enodare velle, quæ nos latent. Addimus verba ejuſdem, quem modò indigitavimus, ſapientis: *Eſt verò hic imò generatim de providentiâ divinâ hoc probè obſervandum, ne aut cum Epicuro providentiam divinam tollamus aut fatalem neceſſitatem inducamus, tùm porro, ut à cauſis ordinariis non facile diſcedamus, ſemper verò divinam iis adeſſe providentiam ſupponamus nec tamen DEUM iis ita alligemus, ut eum nihil ſine ordinariis cauſis agere nobis perſuadeamus: denique ut probè teneamus, DEUM cuncta modo ſimpliciſſimo ceu ſapientia divina convenienter agere.* Nec valent contra providentiam divinam objectiones illæ communiſſimæ, cur DEUS mala permittat bonoſque ſæpius in hâc vitâ calamitatibus vexet, malos bonis cumulet? Harum enim poſterior facile ſolvitur, ſi DEI intentionem, quâ bonos per tentationes ad gloriam ducere, malos bonitatis ſuæ ampliſſimis teſtimoniis ad ſe trahere, futuræque vitæ rationes, queis omnia compenſantur, ſpectes, prior verò tùm variis reſponſionibus, illâ maximè, quòd DEUS, entia poſtquam libera creavit, quæ ſuarum actionum autores eſſent, præmii pœnæque capaces, neceſſitatis frenum, ſalva ſapientiâ ſuâ deinde illis injicere haud poteſt, paulſper infringitur, tùm plenius luculentiuſque decidenda futuræ felicitati ſcholæque ſuperiori reſervatur.

M 4 Con-

Confer & celeb. BUDDEI *theſes de atheiſmo & ſuperſtitione* p. 245. ſqq. 536. ſqq.

§. VI.

Quæ hactenus de creatione, conſervatione rerum & providentia divinâ diximus, libris noſtris ſymbolicis vel maximè congruunt, quorum loca heic, ne prolixiores juſto in re facili ſimus, adducere nolumus ſed lectorem ad celeberr. RECHENBERGII *append. ad lib. ſymb.* p. 131. ſqq. ablegamus. Jam verò, ubi recogitamus, à DEO creata eſſe & conſervari omnia, ipſiusque providentiam & ſapientiſſimam & univerſaliſſimam eſſe, præcipuè verò in piorum cuſtodiâ ſeſe exerere, maximâ tanti Creatoris admiratione & veneratione toti perfundimur atque profundiſſimâ humilitate, quâ dependentiam noſtram omnimodam agnoſcimus, imbuti & obſequia noſtra, queis majora cogitare neſcimus, DEO creatori ſervatorique noſtro ſpondemus & plena quoque in ipſum fiduciâ, quæ maximè in calamitatibus nobis ſubinde obviis nos plurimùm omni murmure curiſque omnibus, quæ animum dividunt & creaturis mancipant, procul habitis erigit, ſpe plenâ, quâ in ipſum recumbimus, ferimur, noſque totos providentiæ ipſius gubernationique ſapientiſſimæ permittimus atque illas maximè vires, quas ad benè agendum largiſſimas nobis idem confert, & quæ ex concurſu ejus non generali ſaltem ſed & ſpeciali & gratioſo fluunt, ambabus amplexamur, penitiorem

ſemper

ſemper cum ente perfectiſſimo, ſapientiſſimo, ſanctiſſimo & feliciſſimo unionem anhelantes, hoc in ævo quæ, dum peccata vitare incipimus, initia ſumit, in altero verò, ubi DEUS erit omnia in omnibus, plenâ rebus felicitatique noſtræ perfectione affuſâ conſummabitur.

CAPUT V.

DE ANGELIS.

§. I.

ENarratis iis, quæ de creatione & conſervatione rerum Deique providentiâ dicenda eſſe videbantur, jam de rebus ipſis creatis nobis agendum venit, ubi quidem in ampliſſimum illud mundi aſpectabilis ſyſtema non excurremus nec profectò Phyſicam ſacram hîc dabimus, id quod noſtri inſtituti planè non eſt, ſed de duobus ſaltem præcipuis entibus creatis iiſque intelligentibus agemus, de Angelis & de homine, eam ob rationem, quod hæc primaria illa objecta ſunt, circa quæ Theologia verſatur. Ab Angelis, ſi placet, rerum ſumamus initium.

§. II.

Rectè obſervant hîc cum Auguſtino Theologi, Angeli nomen non naturæ eſſe, ita enim

Angeli vocantur Spiritus, ſed officii, cùm ἄγγελος miſſum, legatum nunciumve ſignificet. Tribuitur verò nomen Angeli variis ſubjectis. Ita juxta communem noſtratium ſententiam paſſim in veteris Teſtamenti tabulis illud adſcribi videas Filio DEI, Hagaris monitori *Gen.* XVI. 7. Abrahami hoſpiti *Gen.* XVIII. 2. Lothi ſoſpitatori *Gen.* XIX 12. Hagaris conſolatori *Gen.* XXI. 17. Iſaaci liberatori *Gen.* XXII. 11. Jacobi colluctatori *Gen.* XXXII 24. *Hoſ.* XII. 4. ejuſdem auxiliatori & Redemtori *Gen.* XLVIII. 15. 16 rubi habitatori *Exod.* III. 2. Iſraelitarum ductori & liberatori *Exod.* XIV. 19. *Deut.* XXXIII. 16. Legislatori *Exod.* XIX XX. *Act.* VII. 30 Duci & cuſtodi populi Judaici, in quo nomen DEI eſt, *Exod.* XXIII. 20. 21. 23. XXXII. 34. præcurſori populi Iſraelitici *Exod.* XXXIII. 2. Bileami moderatori *Num.* XXII. 35. 38. Joſuæ imperatori, Principi exercitus Jehovæ *Joſ.* V. 13. ſqq. Gideonis auxiliatori *Jud.* VI. 11. 12. 20. ſqq. Manoæ informatori *Jud.* XIII. 3. ſqq. Quin Filius DEI vocitatur Angelus faciei Jehovæ *Jeſ.* LXIII. 9. Angelus interceſſor *Zach.* I. 9. ſqq. Angelus fœderis *Malach.* III. 1. Denique & Chriſtus vocatur Angelus jam ἐνσαρκος *Apoc.* VII. 2. quò & ſunt, qui referant *Apoc.* VIII. 3. At verò poſt Filium DEI vel maximè tribuitur nomen hoc creaturis & quidem א viſibilibus ut Doctoribus Eccleſiæ *Ieſ.* XXXIII. 7. *Mal.* II. 7. *Apoc.* I. 20. II. 1.

II. 1. ſqq. & in ſpecie Johanni Baptiſtæ *Malach.* III, 1. *Matth.* XI. 10. *Marc.* I. 2. *Luc.* VII. 27. ב inviſibilibus & incorporeis, quæ ſignificatio hùc pertinet. Agedum, totam jam de Angelis doctrinam per theſes evolvamus.

§. III.

I. Dari Angelos, ſi ſcripturas ſanctiores conſulamus, negari haud poteſt. Etenim & Angelorum habetur definitio *Hebr.* I. 14. & enarrantur adparitiones *Gen.* XVIII. 2. ſqq. XIX. 1. ſqq. & alibi paſſim. Adde *Pſalmum* CIV. comma 4. ad theſin hanc probandam quod tamen ſine collatione Novi Teſt. *Hebr.* I. 7. afferre nolimus. II. Angeli ſunt Spiritus finiti, completi, intelligentes, potentes, in juſtitiâ & ſanctitate à DEO initio conditi, ad DEI gloriam & hominum miniſterium. Finitos ubi dicimus, eos à DEO diſtinguimus, ſpiritu infinito. Completos ubi nuncupamus, ab animâ humanâ eos hîc differre indigitamus. Cætera per ſe patent. Benè tamen hîc venit notandus eorum error, qui Angelos ſtatuunt eſſe corporeos atque ex materiâ ſubtiliſſimâ conſtare. Ita verò Angelis corpora adſcribunt & Judæi & Patres veteres, ut, quæ à Scholaſticis & recentioribus quibuſdam tùm Reformatis tùm Remonſtrantibus dicta hanc in rem fuere, taceamus, vel eam ſaltem ob rationem à nobis repudianda, quòd *Hebr.* I. 14. *Matth.* VIII. 16. *Luc.* X. 20. *Eph.* II. 2. Angeli expreſsè πνεύματα vocantur. At Spiritus

tus eſt incorporeus *Luc.* XXIV. 39. Accedunt Angelorum proprietates, quæ ſunt penetratio corporum, coëxiſtentia plurium in iiſdem corporibus inque eodem πȣ̃ *Luc.* VIII. 30. inviſibilitas *Col.* I. 16. ſumma agilitas, immortalitas *Luc.* XX. 36. illocalitas ſcilicet in πȣ̃ circumſcriptivo, non definitivo, quod Angelis competere Metaphyſicorum filii norunt. Nec eſt, quòd cum Patribus hîc *Gen.* VI. 2. alleges, ubi malè ſapiunt, qui exiſtimant, per filios DEI Angelos hîc intelligi, cùm potius ii hîc deſignentur, qui è ſtirpe ſanctiore prognati fuerant. At verò ii planè ſunt abſurdiſſimi, qui ſimpliciter Angelorum ſpirituumque exiſtentiam negant, id quod à Sadducæis olim factitatum fuit *Act.* XXIII. 8. ad cujus loci explicationem velim conferas Grotium ad *Matth.* XXII. 23. Petav. Th. dogm. T. 2. L. 1. C. 14. §. 1. & CLERICUM *in prolegom. ad Hiſt. Eccl.* p. 13. 14. III. Angelis competit intellectus & voluntas. 2. *Sam.* XIV. 20. *Marc.* XIII. 32. *Iob.* I. 6. ſq. 1. *Reg.* XXII. 21. 22. 1. *Pet.* I. 12. *Matth.* XVIII. 10. *Dan.* VIII. 16. IX. 22. *Apoc.* XXII. 16. *Eph.* III. 10. Quoad intellectum notandum eſt, Angelos non omnia ſimul & unâ intellectione ſed per diverſos conceptus intelligere, cognoſcere DEUM, non comprehendere, noſſe & cogitata hominum licet non à priori & diſtinctè, tamen à poſteriori & confuſè per ſigna, effectus, affectus, noſſe & futura contin-

Digitized by Google

contingentia ex cauſarum inſpectione rerumque habitu & ſagaciſſimè quidem, licet ſaltem probabiliter. Cæterùm intellectionis ſive ὄψεως angelicæ varii recenſentur modi, ℵ naturalis cognitionis ejuſque concreatæ ℶ revelationis divinæ 1. *Pet*. I. 12. *Dan*. VIII. 13. 16. IX. 22. 23. ℷ experimentalis notitiæ *Luc*. XV. 10 *Eph*. III 10. Quoad voluntatem verò Angelis liberum arbitrium omninò adſcribendum eſſe paucis monemus. IV. Angeli etſi magnâ agendi potentiâ polleant, *Pſ*. CIII. 20. *Gen*. XXXII. 2. *Iob* I 19. 2. *Reg*. XIX. 35. *Matth*. VIII. 32. XII. 28. *Luc*. XIX. 21. XXII. 43. *Act*. V. 19. XII. 7. *Eph*. II. 2. *Ezech*. IX. 2. *Dan*. VIII. 15. 2. *Theſſ*. I 7. 1. *Pet*. V. 8. limitatâ tamen ſaltem gaudent *Ex*. VIII. 18. *Iob*. I. 1. *Matth*. VIII. 32. Hinc nec creare nec mortuos ad vitam revocare nec miracula propriè ſic dicta virtute propriâ atque ordinariâ patrare poſſunt, etſi ſpecies intelligibiles aliis imprimere, in aſſumtis corporibus loqui, miros rerum effectus producere, morbos in humano corpore præſtigiaſque varias efficere poſſint *Luc*. XIII. 11. V. De loquelâ Angelorum multa qui effutiret, ineptiret. 1. *Cor*. XIII. 1. Aliter Angelos cum hominibus, aliter inter ſe loqui ajunt, qui hanc quæſtionem tangunt. Illud externo & ſenſibili ſigno ſeu formatâ plerumque exrinſecus voce, hoc verò ſpirituali & Angelis proprio modo nobiſque incognito

fieri.

ſeri. Hinc manat diſtinctio egregia inter loquelam materialem & formalem, quarum illa formationem vocis, hæc manifeſtationem conceptuum (cujus τὸ ὂν ſcitur, τὸ ποῖον neſcitur) infert. Qui ineptias Scholaſticorum hîc noſſe voluerit, adeat IGNATIUM DER-KENNIS *de DEO uno, trino, creatore* p. 455. ſqq. VI. Magnus eſt Angelorum numerus *Gen.* XXXII. 2. *Apoc.* V. 11. *Dan.* VII. 10. *Matth.* XXV. 31. XXVI. 53. *Ebr.* XII. 32. *Jud.* 14 VII. Quonam hexäemeri Moſaici die creati fuerint Angeli, cùm Moſes haud exprimat, nobis ignorare licet. Id certum eſt, Angelos ante homines creatos eſſe *Iob.* XXXVIII. 7. & lapſos, & ſimul ſemelque creatos in omnibus ſuis individuis, ſecus ac homo atque cætera animantia, quæ per generationem genus multiplicant & propagant. *Luc.* XX. 34. ſqq. At errant hîc qui vel Angelos DEO coævos olim ſtatuerunt, uti hæretici quidam primorum temporum, vel Angelos inferiores à ſuperioribus creatos aſſeruere, uti Valentiniani, vel conditos ante mundum, quod multi è Patribus exiſtimaverunt, quos hodie Sociniani & Arminiani maxime ſequuntur eo fine, ut eò probabilius argumenta pro æternitate Filii DEI ex exiſtentiâ ipſius anteſeculari *Pſ.* XC. 2. petita infringere poſſint, ut Achatium, ut Gennadium, ut alios, qui putant, Angelos demum poſt mundum corporeum conditos eſſe, jam taceamus. In hexäemero autem conditos fuiſſe

Ange-

Angelos ex *Iob.* XXXVIII. 4. 7. *Gen.* II. 1. (ſub exercitu enim cœlorum Angeli comprehenduntur 1. *Reg.* XXII. 19. *Neh.* IX. 6. *Luc.* II. 13.) *Pſ.* CIV. 3. ſqq. CXLVIII. 2. *Col.* I. 16. communiter probatur, eſtque vulgaris ſententia, Angelos primo ſtatim die creatos fuiſſe, non ante primum, quoniam in principio creata fuere cœlum & terra *Gen.* I. 1. & ante ſolus fuit DEUS *Ioh.* I. 1. atque omne antemundanum eſt æternum *Pſ.* XC. 3. *Ioh.* XVII. 5. *Eph.* I. 4. 1. *Pet.* I. 20. ſed ipſo illo primo die, id quod ex ipſis illis locis colligi videas. VIII. Diverſi ſunt Angelorum ordines *Col.* I. 16. *Eph.* I. 21. 1. *Pet.* II. 22. Ita habentur & כרובים *Gen.* III. 24. *Ezech.* X. 1. & שרפים *Ieſ.* VI. 2. Ita ponitur Archangelus 1. *Theſſal.* IV. 16. *Iud.* 9. Beelzebub princeps dæmoniorum *Matth.* XI. 24. *Luc.* X. 25. Diabolus cum angelis ſuis *Matth.* XXV. 41. *Apoc.* XII. 7. Ineptiunt verò, quicunque hos ordines ſilente Scriptura determinant, id quod poſt Pſeudo-DionyſiumRomanenſes faciunt. IX. Angeli in juſtitia & ſanctitate creati fuere, aſt fuit ex ipſis magna pars, quæ à DEO defecit *Gen.* I. 31. *Ioh.* VIII. 44. *Joh.* III. 8. *Matth.* X. 1. *Iud.* 6. 2. *Pet.* II. 4. *Marc.* V. 9. *Luc.* VII. 21. VIII. 30. *Apoc.* XII. 4. X. Qui verò in primævâ juſtitiâ perſtitere, eos in bono confirmatos jam eſſe, ut peccare amplius non valeant, valdè probabile eſt. Vide *Matth.* XVIII. 10, VI, 10. XXV. 31. 1. *Tim.* V. 21.

Luc.

Luc. XX. 36. *Gal.* I. 8. *Marc.* VIII. 38. 2. *Cor.* XI. 14. *Ieſ.* VI. 3. Dan. VII. 10. *Apoc.* V. 11. *Pſ.* CIII. 20, 21. ubi tamen obſervandum eſt, dicta hæc cauſarum ſociarum ad inſtar in effectum demonſtrationis influere. XI. Hinc aucta ipſorum ſcientia, etiamſi finita ſit *Marc.* XIII. 32. tamen eam, quæ ipſis concreata fuit, excellentiâ jam ſuperat, unde vocantur Angeli lucis 2. *Cor.* XI. 14. *Dan.* VIII. 16. *Apoc.* I. 1. 1. Pet. I. 12. XII. Officia bonorum Angelorum ſunt adorare & laudare DEUM *Pſ.* CIII. 20. CXLVIII. 2. *Ieſ.* VI. 3. & mandata ipſius exſequi *Dan.* VII. 10. tùm impios puniendo *Gen.* XIX. 13. 2. *Reg.* XIX. 35. tùm pios cuſtodiendo iiſque ſerviendo *Pſ.* XXXIV. 8. XCI. 11. 12. *Hebr.* I. 14. *Apoc.* XV. 8. XIII. Quemadmodum inter Agathodæmonas habentur Archangeli, qualis Michaël *Dan.* IX. 13. *Iud.* 9. *Apoc.* XII. 7. ita inter Cacodæmonas eminet is, qui διάβολος eſt κατ᾽ ἐξοχὴν *Ioh.* VIII. 44. cujus nominis ratio ex *Gen.* III. 4. *Iob.* I. 9. II. 4. & *Apoc.* XII. 10. peti debet. Quænam ipſius potentia ſit, ex *Hebr.* II. 14. *Eph.* II. 2. VI. 12. *Ioh.* XII. 31. patet. XIV. Quodnam fuerit Angelorum lapſorum crimen præcipuum, non admodùm liquet. Mendacium fuiſſe Chriſtus *Ioh.* VIII. 44. adfirmat. Alii ſuperbiam eſſe ajunt, quâ DEO major evadere diabolus voluit *Gen.* III. 5. *Matth.* IV. 9. XIII. Quo ordine Angeli mali peccaverint, num ſimul

ſimul an verò unus poſt alterum, quonam item tempore ii peccaverint, non liquet. Ab initio peccâſſe diabolum, *Ioh.* VIII. 44. 1. *Ioh.* III. 8. exſtat. XVI. Pœna lapſum Angelorum quæ inſecuta fuit, eſt α intellectûs obtenebratio *Matth.* IV. 6. *Ioh.* XIII. 2. 1. *Cor.* II. 8. β voluntatis depravatio *Matth.* XIII. 29. 1. *Joh.* V. 18. *Ioh.* VIII. 44. γ æterna condemnatio *Matth.* XXV. 41. 2. *Pet.* II. 4. *Iud.* 6. *Apoc.* XX. 10. 14. XVII. Qualiſnam Angelis malis competat rerum divinarum cognitio, corrupta illa & cum errore multo, malitiâ & tremore conjuncta, ex *Matth.* IV. 6. *Ioh.* XIII. 2. 1. *Cor.* II. 8. *Iac.* II. 19. probari ſolet. Rerum tamen naturalium ſcientia tùm naturalis tùm experimentalis magna illis ineſſe creditur. Quin & futura contingentia illi vel ex revelatione divina certò aliquando norunt *Iob.* I. 12. II. 6. 1. *Reg.* XXII. 22. 1. *Sam.* XXVIII. 19. quædam verò ſagacitate naturali admodùm probabiliter ſciunt. XVIII. Potentia Angelorum lapſorum magna eſt *Iob.* I. 19. *Matth.* IV. 5. 8. VIII. 32. XII. 29. *Luc.* XI. 21. *Ioh.* XII. 31. XIV. 30. 1. *Pet.* V. 8. 2. *Cor.* IV. 4. *Eph.* II. 2. VI. 12. *Apoc.* XX. 7. 8. ſed ſuis tamen limitibus à DEO coërcita *Ex.* VIII. 18. *Iob.* I. 12. II. 6. *Matth.* VIII. 31. 32. *Apoc.* IX. 14. XX. 2. XIX. Ea eſt præcipua Diaboli & Angelorum lapſorum malitia, quam in ſeducendis hominibus exercent. Ita Protoplaſtos Diabolũ

bolus ſeduxit *Gen.* III. 4. 13. 2. *Cor.* XI. 3. *Apoc.* XX. 2. Ita Judam proditorem *Matth.* XXVI. 23. ſqq. *Marc.* XIV. 18. ſqq. *Luc.* XXII. 3. 21. ſqq. *Ioh.* XIII. 2. Ita Phariſæos *Ioh.* VIII. 44. 1. *Ioh.* III 8. Ita quoſvis impios *Luc.* XI. 24. ſqq. *Eph.* II. 2. VI. 12. 1. *Pet.* V. 8. Sumenda autem hîc eſt vox Diaboli, ut monent Theologi, collectivè pro tota Diabolorum caterva *Luc.* VIII. 12. *Act.* X. 38. *Eph.* VI. 12. Cæterùm ſeductio hæc hominum vocari ſolet obſeſſio ſpiritualis inferens & excoecationem intellectûs 2. *Cor.* IV. & depravationem voluntatis *Ioh.* VIII. 44. Ab hac verò obſeſſione ſpirituali probè diſtinguenda eſt corporalis, ubi diabolus non ſolùm καῖ ἐνέργειαν ſed & καῖ οὐσίαν corpus humanum inhabitat *Luc.* VIII. 2. XI. 24. 26. id quod & piis & impiis contigiſſe videmus *Iob.* I. 18. II. 7. *Luc.* XIII. 16. 2. *Cor.* XII. 7. & infantibus quoque *Marc.* IX. 21. Imò & bruta à diabolo quandoque obſeſſa leguntur *Matth.* VIII. 32. Contingit autem in obſeſſionibus ejuſmodi, ut corpus humanum miris modis excrucietur moveanturque membra ad Satanæ lubitum, circumagatur os, intercludatur ſpiritus, lingua ejiciatur procul à faucibus, oculi extra caput protrudantur, contorqueatur collum corpuſque totum convellatur atque pilæ ad inſtar rotetur agiteturve *Matth.* IX. 32. XV. 22. *Marc.* IX. 17. *Luc.* VIII. 27. XIII, 16. *Act.* XIX. 16. At verò

rò occupant Diaboli corpus vel totum, cùm id totum permeant & afficiunt, vel partem ſaltem ipſius aut membrum ut linguam *Marc.* IX. 17. ut linguam & oculos *Matth.* XII. 22. Cauſa mali hujus quin Diabolus ſit, dubitari nequit *Luc.* IV. 35. *Matth.* VIII. 31. 32. cui hanc DEUS poteſtatem non tamen abſolutam ſed limitatam conceſſit. Hinc & certiſſimum eſt, obſeſſiones ejuſmodi corporales dari, id quod patet partim ex exemplis *Matth.* IV. 24. VIII. 16. 28. IX. 32. XII. 22. 43. XV. 22. *Luc.* IV. 33. VIII. 2. XI. 14. 24. *Act.* VIII. 7. XIX. 12. 13. partim ex datâ à Chriſto diſcipulis dæmonas ejiciendi poteſtate *Matth.* X. 1. *Marc.* III. 15. *Luc.* IX. 1. Quamvis autem exiſtentia dæmoniacorum negari nequeat, niſi latiſſimam incredulitati portam aperire aveamus, tamen magna hîc circumſpectio requiritur, ne gravioribus rariſque & melancholicis morbis afflictos aut impoſtores pro obſeſſis habeamus. Unde ſigna obſeſſionis corporalis probè ſunt determinanda, qualia vulgo hæc poni videas 1 linguarum exoticarum ſeu peregrinarum, artium item & diſciplinarum, quas obſeſſi nunquam didicere nec liberati amplius nôrunt, ſcientiam, ubi tamen notandum, ſignum hoc ſolitariè ſpectatum obſeſſionem diabolicam nondum inferre, cùm aliud quoddam agens ſpirituale, quàm Angelus malus mala iſta in homine operari DEO jubente vel permittente, valeat. 2 rerum abditarum atque alibi in remotiſſimis

regionibus geſtarum, item futurarum notitiam ſubitò infuſam, ubi idem, quod de primo ſigno diximus, repetitum & hìc volumus, ג robur pluſquam humanum & præternaturale *Marc.* V. 2. 3. At verò hoc ſignum planè eſt fallibile, niſi & alia adſint, cùm hujus roboris aliæ omninò cauſæ eſſe poſſint. ד ſine organorum diſpoſitione avicularum, ovium, boum &c. vocum exactam repræſentationem. Quis verò eſt, qui non videat, alias & hujus ſymptomatis cauſas eſſe poſſe quàm diabolum? ה ſermonis impuritatem. At verò hæc corporalem obſeſſionem non ſtatim ponit, cùm ſpiritualis ſufficere poſſit. ו horrendam vociferationem, quæ utique aliquando & cum obſeſſione corporali conjuncta eſt *Marc.* V. 5. aſt & extra caſum obſeſſionis hujus fieri poteſt. ז DEI blaſphemationem & proximi cavillationem, ubi idem hoc, quod modò diximus, repetimus. ח in corpus ipſum inque ſpectatores ſævitiam & ferociam *Matth.* VIII. 28. XVII. 15. *Marc.* V. 5. *Act.* XIX. 16. ubi ſanè eadem illa obſervatio recurrit. ט præternaturales & involuntarios motus corporis ejuſdemque torſiones miras aliquando & cum fœtore & ecſtaſi conjunctas, in quà obſeſſus blaſphemias, calumnias, dira aliaque, de quibus, ubi ab ecſtaſi ſolutus eſt, nihil amplius novit, & quæ ſibi relictus efferre omninò haud poterat, ſive ſint linguæ exoticæ ſive alia incognita vel præterita vel futura, *Marc.* VI. 7.

Act.

Digitized by Google

Act. XVI. 16. eructat & miris modis excruciatur, & ad ſe poſtea rediens vel in lamentationes & preces diffunditur, queis liberationem à DEO ab ejuſmodi genio malo expetit, vel deſperabundus miſerrimum ſtatum ſuum deplorat aut deplorandum ſaltem aliis ſiſtit, ut alios effectus jam taceamus, qui nullo modo per vim humanæ mentis, quantacunque ea ſit, produci poſſunt e. g. ſi lapides, ova, vitra & id genus alia è pectore, oculis, auribus aliisque corporis partibus egerantur. Atque hoc ſignum, ſi omnes rerum circumſtantias probè expenderimus, ſatis utique luculentum eſt. Nec eſt, quod quæramus anxiè, cur iſtas obſeſſiones DEUS permittat, ut nempe juſtitia ipſius 1. *Cor.* V. 5. ut ſapientia (ſic enim & hominum fides probatur *Marc.* IX. 23. & ad vitæ emendationem precumque ſtudium ardentius & pietatis opera quævis ii eo magis ſubinde excitantur) ut potentia *Ioh.* IX. 3. ut miſericordia manifeſtetur. Nolimus verò dum iſtam dæmonibus potentiam obſidendi hominum corpora eaque excruciandi & agitandi miraque in iis & per ea perpetrandi concedimus, quiſquam ut credat, nos adhinnire vel Patribus antiquis, qui ſtatuerunt, dæmones juxta *Gen.* VI. cum mulieribus concubuiſſe, vel Romanenſibus pleriſque, qui arbitrantur, Samuelem à Pythoniſſa verè ſuſcitatum fuiſſe 1. *Sam.* XXVIII. 15. cùm vel perſonatus ſaltem Samuel ab ipſâ in

ſcenam productus fuerit, vel, quæ Viri cujuſdam illuſtris ſententia eſt, Pythoniſſa ſaltem finxerit, ſe Samuelem ejuſmodi videre, vel illis, qui exiſtimant, Magos vera miracula patrare poſſe & actu patrâſſe, cùm vel meræ ſint præſtigiæ, quas ii ſubinde hominibus offundunt licet diabolicæ, vel ejuſmodi operationes; ad quas vis infinita atque extraordinaria, quâ leges naturæ ſuſpendantur, haud requiritur, ſed vis iſta & potentia ordinaria Diabolo, qui per Magos agit & κοσμοκράτωρ eſt, competens ſufficit, quæ per ſingularem miramque cauſarum naturalium directionem ſe exerit. At verò hic legenda ſunt, quæ celeberr. BUDDEUS in *Philoſ. Theoret.* P. 5. C. 2. §. 4. ſqq. P. 6. C. I. §. 12. ſqq. C. 2. judicioſiſſima de hoc argumento ſcripſit, ubi & BALTH. BEKKERUM egregiè refutavit, qui ſpiritum in corpus agere poſſe miro errore inficiatus eſt & Scripturæ ſacræ loca miſerrimè heic torſit. Nec profectò neganda venit magia, quæ commercium inter hominem & diabolum ſupponit, ubi miros ope cacodæmonum ab hominibus & in hominibus atque naturâ, experientiâ teſte, produci effectus videas, qui ſanè eodem BEKKERO & ANTONIO VAN DALE ſuſpicantibus ad præſtigias ſemper referri aut penitus negari (quod qui faciunt, vel tandem omnem fidem hiſtoricam ſubruent) nequeunt. Quod reſtat, novimus, ſoli DEO miracula adſcribi *Pſ.* LXXII. 18.

18. LXXXVI. 8. 10. CXXXVI. 4. *Ex.* VIII. 19. qui per Angelos bonos hominesſque ſanctos (vix enim pervideri poteſt, qui per infideles atque impios itemque diabolos id faciat, niſi forte hominum fidem tentando *Deut.* XIII. 1. ſqq. juſtitiamque ſuam punitivam exerendo) tanquàm per cauſas occaſionales adque ad eorum preces, non tanquam per cauſas inſtrumentales eadem ſubinde patrat. *Ex.* VII. VIII. *Matth.* XXIV. 24. 2. *Theſſ.* II. 9. *Act.* VIII. 10. Quam in rem in loco de miraculis plura dicemus. XX. Non unus ſaltem ſed plures Angeli boni ſingulis fidelibus in cuſtodiam à DEO dati ſunt, nec certum eſt, unicuique fidelium inde à nativitate ſuâ certum quendam Angelum cuſtodem & certum dæmonem tentatorem adjunctum eſſe, id quod contra Judæos, varios Patres, Romanenſes & alios quoſdam notandum. Vide *Pſ.* XCI. 11. 12. *Gen.* XXXII. 2. 2. *Reg.* II. 11. VI. 17. *Marc.* V. 9. *Luc.* XI. 25. XV. 10. 11. XVI. 22. *Matth.* VIII. 31. XVIII. 10. quicquid etiam ſit de locis *Matth.* I. 20. II. 13. *Gen.* XVIII. 15. *Act.* XII. 15. 2. *Cor.* XII. 7. *Dan.* X. 13. 21. XII. 1. quæ vel de Angelis non agunt, vel excluſivè intelligenda non ſunt aut generalem regulam haud efficiunt, cùm à particulari ad univerſale non valeat conſequentia. XXI. Angeli adorandi aut religioſè invocandi non ſunt, quod contra Socinianos, quod & contra Ro-

manenſes obſervandum ex *Deut.* VI. 13. *Matth.* IV. 10. XXII. 9. *Col.* II. 18. 23. *Rom.* X. 14. itemque ex Concilio Laodiceno, tùm quod Angeli omniſcii & omnipotentes haud ſunt, tùm quòd ſolus DEUS adorandus religioſeque invocandus eſt. XXII. Chriſtus eſt Angelorum bonorum Caput, unde & ad Eccleſiam ſupernam nempe & triumphantem ii pertinent *Eph.* I. 21. 22. *Col.* I. 16. ſqq. *Ebr.* XII. 22. XXIII. Angeli potentiâ aliiſque prærogativis hominibus excellentiores ſunt *Ebr.* I. 4. 2. *Pet.* II. 11. 1. *Cor.* XIII. 1. XXIV. Angelos ad imaginem DEI creatos eſſe, ſano ſenſu dici poteſt *Matth.* XXII. 30. *Iob* I. 6. II. 1. XXXVIII. 7. XXV. Angeli miniſtrant DEO *Pſ.* CIII. 21. *Matth.* VI. 10. *Dan.* VII. 10. Chriſto *Matth.* XXVI. 53. *Matth.* IV. 6. 11. *Ebr.* 16. hominibus *Pſ.* XXXIV. 8. XCI. 11. 12. *Matth.* I. 19. 20. II. 13. 19. *Act.* X. 3. 5. *Apoc.* I. 1. XXII. 6. 16. *Dan.* VI. 22. *Act.* XII. 7. V. 18. 19. *Luc.* I. 13. 30. II. 10. *Matth.* XVIII. 10. *Marc.* XVI. 6. *Ioh.* V. 4. *Luc.* XVI. 22. XXVI. Officia Angelorum eccleſiaſtica ſunt *Deut.* XXXIII. 2. *Gal.* III. 19. *Act.* VII. 35. *Luc.* I. 26. II. 9. *Iud.* 9. 1. *Cor.* XI. 10. 1. *Tim.* V. 21. politica *Dan.* X. 13. VI. 22. 2. *Reg.* XIX. 35. *Eſ.* XXXVII. 16. œconomica *Gen.* XXIV. 7. *Iob.* I. 10. *Pſ.* XXXIV. 10. *Matth.* XVIII. 10. Addendum eſt officium Angelorum in die extremo *Matth.* XIII. 41. ſqq.

XXIV.

Digitized by Google

XXIV. 31. XXV. 31. 32. 1. *Theſſ.* IV. 17. XXVI. Angeli mali Eccleſiæ vel maximè infeſti ſunt *Matth.* XIII. 27. 28. 1. *Tim.* IV. 1. 2. 2. *Theſſ.* II. 9. *Luc.* VIII. 12. itemque ſtatui politico 1. *Chron.* XXIX. 1. 1. *Reg.* XXII. 21. 22. & œconomico 1. *Cor.* VII. 5. *Job.* I. *Matth.* XV, 22. XXVII. DEUS Angelis malis ad puniendos homines utitur *Pſ.* LXXVIII. 49. *Matth.* XVIII. 34.

§. V.

De Angelis libri noſtri ſymbolici cùm nullibi egerint, non eſt, quòd has poſitiones noſtras anxiè cum illis conferamus. Hiſtoriam dogmaticam de Angelis exhibet PETAVIUS in *Theol. dogm.* T. 3. libris tribus, quorum primus de Angelorum natura & proprietatibus ac præſertim de bonis Angelis, ſecundus de ordinibus, hierarchiis & officiis bonorum Angelorum, tertius denique de Diabolo & Angelis ejus agit. Quæſtiones verò, quæ in hoc de Angelis articulo ventilari ſolent, ſunt vel neceſſariæ vel curioſæ. Ad illas referendæ ſunt hæ: num dentur Angeli; an ſint ſpirituales vel corporei, num miracula facere poſſint, an omnes Angeli ab initio boni fuerint creati, num Angeli ita in bono confirmati ſint, ut labi amplius non poſſint, id quod contra Remonſtrantes affirmatur, an cuivis competat Angelus tutelaris, num Angeli adorandi & invocandi ſint, num Chriſtus ſit

Angelus ille, qui paſſim in Vet. Teſt. apparuit, num & pro Angelis Chriſtus fuerit paſſus, num Angelorum ſupplicium ſit irrevocabile & æternum? num dentur pactum cum Diabolo, Magia, ſpectra, operationes dæmonum in homines, & quæ alia ſunt. Ad curioſas hæ referendæ ſunt, quonam hexäemeri die Angeli creati, quonam & lapſi fuerint, quænam Hierarchiæ Angelorum ſint formandæ, an Angeli ſint in loco, quænam ſit Angelorum loquela, num Angeli differant inter ſe ſpecie vel numero, quanta ſit Angelorum multitudo, an dari poſſit mens Angelica, quæ per eſſentiam ſui ſit intellectio? An poſſit Angelus ratiocinando diſcurrere, an Angelus unus cum altero diſtante loqui poſſit, an unus Angelus poſſit alteri mentiri, an voluntas Angelica neceſſariò ſit in actu, an Angelus, quantum eſt ex parte naturæ, poſſit peccare venialiter, an poſſit Angelus primo inſtanti creationis peccare, quæ ſit ratio formalis, per quam Angelus eſt in loco, quomodo poſſint ſe Angeli movere intra ſphæram ſuæ diffuſionis vel per aliud medium? & quæ aliæ quæſtiones ineptæ apud Scholaſticos occurrunt, è quibus laudatus iſte DER-KENNIS inſpici poteſt.

§. VI.

En verò, ubi hanc de Angelis tractationem conſpicis ventilaſque, O homo, imitandam primum tibi propone puriſſimorum beatiſſimorumque

rumque ſpirituum ſanctitatem *Matth.* VI. 10. *Apoc.* V. 11. 12. & DEI bonitatem totus deprædica eique confide, qui Angelos tibi conſortes cuſtodeſque dedit *Pſ.* XXXIV. 8. hoſque pœnitentiâ tuâ boniſque operibus exhilara *Luc.* XV. 10. & à malis actionibus (in conſpectu enim Angelorum es) tibi cave 1. *Cor.* XI. 10. 1. *Tim.* V. 21. gaudeque, animam tuam ab Angelis in locum beatitudinis olim translatum iri *Luc.* XVI. teque futurum ἰσάγγελον *Luc.* XX. 36. *Eph.* I. 10. *Hebr.* XII. 22. Ubi autem Angelorum lapſorum pœnam contemplaris, à peccato, maximè ſuperbia, abſtine, ne in idem pœnæ exemplum incidas, gratiaſque DEO age, qui à magiſterio Satanæ te per Chriſtum liberavit *Act.* XXVI. 18. *Col.* I. 12. 13. II. 15. *Hebr.* II, 14. *Ib.* XII. 16. 23. ipſumque roga, ut contra diaboli nequitias te armet *Rom.* XVI 20. *Apoc.* II. 24. *Eph.* VI. 11. ſqq. nec dubita, te, ſi fidelis DEO exſtiteris, qui diabolo & pompæ ejus in baptiſmo renunciâſti, certò victoriam obtenturum 1. *Ioh.* II. 13. V. 18. 1. *Pet.* IV. 8. *Apoc.* XII. 1. cùm Satanas niſi ex permiſſione divinâ nihil contra te efficere valeat *Hiob.* II. 2. ſqq. *Matth.* VIII. 31. 32. atque etiam ipſius tentationes in bonum tibi ceſſuræ ſint *Rom.* VIII. 28. 2. *Cor.* XII. 7. 8. 9. imò tu Satanam olim judicaturus ſis 1. *Cor.* VI. 2.

CAP.

Caput VI.

DE HOMINE ET IMAGINE DIVINA.

§. I.

ANgelis ſuccedant homines, quos DEUS creavit *Gen.* I. 26. II. 7. *Joh.* X. 8. *Col.* I. 16. *Ioh.* I. 3. 4. *Iob.* XXXIII. 4. unitrinus nempe ille (diximus enim, opera ad extra eſſe indiviſa) ex pulvere terræ *Gen.* II. 7. *Iob.* XXXIII. 6. 1. *Cor.* XV. 47. Ex hoc enim Adami corpus effictum vitæque poſtmodum ſpiraculo donatum Evaque deinde ex viri coſtâ, quæ animæ humanæ tradux noſtris juxta receptam philoſophiam dicitur, producta fuit *Gen.* II. 21. 22. Sexto Hexaëmeri Moſaici die creatum eſſe hominem ex *Gen.* I. 31. conſtat. Nec eſt, qui dubitare cum ratione poſſit, eum ad creatoris ſui gloriam *Prov.* XVI. 4. *Rom.* XI. 36. atque ad felicitatem æternam *Mich.* VI. 8. 1. *Theſſ.* V. 9. conditum fuiſſe.

§. II.

Digitized by Google

§. II.

Hominem conſtare ex animâ rationali ſpiritualique & immortali itemque corpore organico ex philoſophiâ præſupponimus atque ex ſcripturis ſacris *Gen.* II. 7. *Matth.* X. 28. *Coh.* XII. 7. *Matth.* XXII. 23. ſqq. dogmateque de reſurrectione, vitâ & morte æternâ ſine ullo negotio probamus *Luc.* XXIII. 46. *Act.* VII. 59. 1. *Petr.* IV. 19. 2. *Cor.* XII. 2. Atque ita quoque animam noſtram ſuis gaudere facultatibus intellectu & voluntate novimus, quæ libera eſt, id quod tùm ex experientiâ, quâ liberè nos agere cognoſcimus, tùm ex imputabilitate actionum noſtrarum ad præmium & ad pœnam, tùm ex comminationibus divinis patet. De intellectu verò id paucis monendum, eum notitiis inſitis ſive concreatis gaudere. Cùm enim anima noſtra eo ipſo momento, quo exſtare cœpit, cogitare, quæ vita ipſius eſt, neceſſum habuerit, cogitatio verò ſine ſpeciebus intelligibilibus fieri nequeat, nec dubitandum ſit, primam, quam mente concepit, cogitationem de creatore juribusque ab ipſo datis fuiſſe, cùm porrò conſcientia noſtra, quæ eſt judicium intellectus practicum, quod principia moralia inſita ad actiones qualvis applicat, ideas iſtas concreatas utique ſupponat & inferat nec ſine iis explicari poſſit, cùm denique notitiæ naturales reliquiæ imginis divinæ, quamvis non formales tamen materiales eſſe dicantur, patet, ideas quaſdam animæ ſub creationem ipſius jam infuſas atque concreatas fuiſſe,

quæ

quæ poſtmodum per lapſum oppido obſcuratæ pravorumque affectuum luto involutæ fuere, ut adeò hîc nec typo nec habitu analogico, quæ explicationes ideis carent, nec potentiâ propinquâ, quam qui ſtatuit, re ipſa notitias inſitas inficiatur, opus habeamus. Mortem verò homini poſt peccatum demum inductam eſſe ex *Rom.* V. 12. VI. 23. *Gen.* II. 17. *Rom.* VIII. 10. liquet.

§. III.

Hominem ad imaginem DEI creatum eſſe ex *Gen.* I. 26. 27. *Col.* III. 10. *Eph.* IV. 24. conſtat. Hæc verò imago in homine non eſſentialis eſt, qualis in Filio DEI 2. *Cor.* IV. 4. *Col.* I. 15. *Hebr.* I. 3. ſed accidentalis, hinc amiſſibilis. Conſtitit autem illa א in ſapientiâ atque ב in ſanctitate perfectiſſimâ, id quod ex effatis citatis atque *Eccl.* VII. 30. liquet. Addunt Theologi ג impaſſibilitatem & immortalitatem corporis, ſecundum ea, quæ de morte ex peccato profectâ jam diximus. Notandum tamen, hanc immortalitatem non eſſe abſolutam, qualis erit in altera vita, ſed hypotheticam ſeu ordinatam, quæ uſu cibi & potus maximè verò eſu ex arbore vivificâ conſervabatur. Denique ד adjici adjuncti loco poteſt in creaturas dominium *Gen.* I. 26. 28. IX. 2. ſqq. 1. *Cor.* III. 21. 22. Acceſſere & ſine dubio dona quoque extraordinaria & ſupernaturalia, quæ Theologi appellant, ſupernaturalis DEI favor, revelationes divinæ & ſi quod fœdus cum primo homine initum fuit. Amiſſam verò jam eſſe per lapſum imagi-

nem divinam relictis ſaltem modicis ruderibus conſtat. *Rom.* II. 23. 2. *Cor.* III. 18. 7. *Gen.* V. 1. 1. *Cor.* XV. 49. *Col.* III. 10. *Eph.* IV. 24. Quæ enim *Gen.* IX. 6. *Pſ.* XXXIX. 7. 1. *Cor.* II. 7. *Iac.* III, 9. exſtant, ad concreatam olim imaginem divinam referenda ſunt. Quod reſtat, hæc duo ſaltem adhuc notanda hîc veniunt, א Protoplaſtos in ſtatu integritatis viribus concreatis aſt cooperante tamen divinâ virtute, quæ *adjutorium ſine quo non* Auguſtiſtino hîc vocatur, ab *adjutorio quo*, quod hominibus lapſis competit, diverſum, bonum operatos fuiſſe, ב libertatem Protoplaſtorum nec in nudâ ſpontaneitate, nec in indifferentiâ plenariâ per modum æquilibrii ad bonum & ad malum, quæ peccaminoſa fuiſſet, ſed in indifferentiâ ad utrumque oppoſitorum cum inclinatione ad bonum ſtetiſſe.

§. IV.

Hiſtoriam articuli hujus dogmaticam dedit, quem ſæpius jam in partes vocavimus, PETAVIUS, qui imaginem DEI à Patribus quibusdam uti Irenæo & Tertulliano in corpore, ab aliis in cognitione, à nonnullis in Spiritu S. ab aliis rurſus in libero arbitrio, ab aliis denique in immortalitate poſitum fuiſſe aſſerit. Ad dominium in creaturas eandem referre Joh. Chryſoſtomum idem obſervat. Adamum moriturum fuiſſe etiamſi non peccâſſet, Pelagianorum mens exſtitit, in concilio quodam Carthaginenſi, non Milevitano, atque Tridentino damnata, à Petavio itidem relata, qui alias quoque quæſtiones easque curioſas ex Patribus hoc in argumento eventilat & tandem

tandem de libertate hominis doctrinam hiſtoricè evolvit variaſque veterum hanc in rem ſententias prolixè ſatis enarrat. At verò cum Petavio nos in hunc campum planè haud excurremus, quibus ſufficit, rerum fontes heic lectoribus indicaſſe. Quod verò libros noſtros ſymbolicos attinet, hùc vel maximè pertinet locus, qui in Apologiâ A. C. Art. 1. p. 53. 54. exſtat, ubi imaginem divinam notitiam, timorem & fiduciam DEI, ſapientiam & juſtitiam, itemque veritatem & ſimilia, denique & æquale temperamentum qualitatum corporis eſſe dicitur.

§. V.

Quæſtiones hùc pertinentes paucis damus. Ita quæri hîc ſolet: Num Adamus hominum primus exſtiterit, id quod jam ſupra contra Peyrerium monuimus, ex hiſtoria creationis, *Gen.* II. 2. 5. III. 20. *Act.* XVII. 26. *Rom.* V. 12. 15. 1. *Cor.* XV. 45. 47. *Matth.* XIX. 4. 5. ſatis refutandum. Num animæ humanæ quotidiè à DEO creentur, an verò per traducem propagentur, vel utrum emanaverint dudum omnes à DEO aut ſimul creatæ fuerint. Emanationem ſtatuerunt, quicunque animas humanas particulas ſubſtantiæ divinæ eſſe ex Judæis exiſtimarunt, item Stoici, Manichæi, Priſcillianiſtæ. Creationem ſimultaneam ex Patribus quidam aſſeruere. Creationem traduci oppoſitam maximè contra Ruffinum defendit Hieronymus, cui comites hîc Reformatos, Brentium, Calixtum & ſequaces adjungimus. Quæſtionem, utrum homo

mo primus in puris naturalibus h. e. neque juſtus neque injuſtus ſed in naturali quadam ſimplicitate & ignorantia & cum rebellione affectuum creatus fuerit, contra Pelagianos, Scholaſticos, Socinianos alioſque orthodoxi inficiantur. Num Eva ad imaginem DEI ſit condita, contra Encratitas & Severianos, Diodorum Tarſenſem & Socinianos quæritur. Imaginem DEI in ſubſtantia hominis & corpore ponendam haud eſſe, contra Patres quoſdam, Anthropomorphitas, Flacianos alioſque notandum eſt. Immortalitas Protoplaſtorum poſt veteres à Pufendorfio, quem reverendiſſimus JÆGERUS noſtrâs refutavit, negata inter recentiores fuit, uti & à Socinianis, Remonſtrantibus, aliis. Imaginem divinam ad dominium in creaturas iidem hi poſteriores referunt per lapſum, qui & eandem deperditam fuiſſe preſſis Pelagianorum veſtigiis negant. Qui ex veteribus Judæis atque ex recentioribus Adamum androgynum, qui & corpus Adami lucidum olim fuiſſe ex modernis ſtatuunt, vel inepta heic vel minus neceſſaria immiſcent. Qui verò tres hominis partes ſpiritum, animam & corpus urgent, de verbis pugnare videntur. Quod reſtat, plurimas alias quæſtiones eaſque curioſas, inter quas illa eminet: Num Adamus in ſtatu integro potentiam habuerit credendi in Chriſtum, haud tangimus, utpote quas à laudatiſſimo JÆGERO eruditiſſimè in Jure DEI fœderali, libello planè præſtantiſſimo evolutas legere eſt.

§. VI.

Jam verò ubi hunc de homine & concreatâ ipſi imagine divinâ articulum tractandum nobis ſumſimus, nec hîc quoque in nudâ rerum theoriâ ſubſiſtere nos convenit, ubi egregiarum meditationum præſtantiſſima datur ſeges atque nobis ſine ullo negotio (neque inſulſis iſtis cogitatis indulgere amamus, ubi ſiécculis res extorquetur atque è ſilice practica eruuntur) ſubnaſcitur. Scilicet fundamentum virtutis omnis in vulgari illo & trito ſed & egregio monito jacet: γνῶθι σεαυτόν. *Noſce te ipſum.* Hoc ſi feceris atque in temetipſum deſcenderis, nobiliſſimam te præſtantiſſimamque creaturam eſſe, ſed per peccatum in abyſſum quandam miſeriæ detruſam, quæ &, ſi affectibus, ſi vitiis ſuis porrò indulgeat, cottidie miſerior infeliciorque evadat, aſt, quæ &, ſi divino inſtinctui, ſi Spiritui ſancto, ſi gratiæ divinæ obedire, niſi & ſibimet ipſi adverſa eſſe inque exitium certiſſimum ruere aveat, è calamitate peccati emergere adque priſtinam felicitatem ſanctitatemque futuraque in cœlis gaudia, præeunte fidei, quæ nos ſalvat, auſpice & conſummatore JESU CHRISTO Salvatore planè eximio atque incomparabili evadere poſſit, perſpicies. Ita verò, ubi primævam iſtam, quæ tibi concreata fuit, excellentiam conſpicis, O homo, quidni vehementer doleas & peccato plurimùm iraſcaris odioque pluſquam Vatiniano illud proſequare in poſterum, quod ex creaturâ nobiliſſimâ excellen-

cellentiſſimâque miſerrimam te atque infeliciſſimam reddidit, quidni, ubi & ſpiritualem miſeriam tuam & corporales infirmitates calamitateſque mortemque ipſam, cui ſubjectus es, conſpicis, ſuperbiá omni ejuratâ, humilitatem & modeſtiam, virtutem illam præcipuam tibi induas aliorumque etiam infirmitatibus auxilio & affectu tuo conſortem te præbeas, quidni denique ad remedium protinus & ſine ullâ morâ rebus tuis maliſque hîc afferendum, ad mutandum animum, ad ejiciendas ex ipſo voluptates & quoſcunque affectus pravos, ad jugulanda quævis, quæ veneni loco animo ſunt, vitia, ad virtutem cœleſtem, quâ omnia iſta perfici poſſunt, (quî enim homo, qui tàm miſer eſt & poſt lapſum tantopere depravatus, propriis viribus tantum opus efficere poſſit, nemo ſapiens perſpicit) ad virtutem inquam cœleſtem divinamque, quam DEUS facile omnibus, qui mutandos ſe ipſi ſiſtunt, concedit, imaginemque divinam per lapſum amiſſam denuò induendam jam properes, dotibuſque & facultatibus tùm mentis tuæ tùm corporis, ita utare, ut conſtet omnibus, eò omnia, quæ cogitas, quæ loqueris, quæ & operaris, ſpectare, ut Creatorem tuum laudes, imiteris atque concatenata & nunquàm interrupta ipſi obſequia præſtes, imò te intimo quodam, indiſſolubili atque feliciſſimo nexu cum ipſo unitum eſſe, cum eodem ſemper converſari, in ipſius præſentiâ jugiter ambulare, ejuſdem ſolatio perpetuò frui, imò ipſum hunc DEUM

O 2 quem,

quem ſummi boni loco habeas, in animo tuo tanquàm in templo ſuo habitare, quâ re fiat, ut omnes, quæ in hâc vitâ tibi contingant, calamitates gaudia tibi mera atque lucrum ſummum ſint ipſaque etiam mors præſentium malorum finis, æternorum bonorum ſuavis tibi exſtet præambula. Haud dici verò poteſt, quanta jam, ubi iſta penitius contemplamur, in animo noſtro diffuſio, quantum oriatur deſiderium, quo ad ſtatum tàm felicem, cujus primitiæ quoque tantam dulcedinem ſecum vehunt, pervenire anhelamus. Eja, qui *Pater noſter in cœlis* es, qui nos tantoperè adamas & in JESU CHRISTO filio tuo dilecto nos tibi jam reconciliatos habes, qui & imaginem tuam nobis concreâſti, eo fine, ut tibi ſerviremus & te glorificaremus, noli concedere, hic tuæ bonitatis, tui amoris, tuæ ſanctitatis, tuæ excellentiæ, quem nobis impreſſiſti, character ut diaboli, qui nos ſeduxit, aſtutiâ noſtroque vitio pereat. Reſtaura, quod amiſimus, redde, quod peccatum rapuit, vitia noſtra per Spiritum tuum, cujus quæſumus largiſſimam menſuram nobis largiri velis, jugula, ure voluptatum laſciviam, ſeca affectuum malè compoſitorum funem atque veterem in nobis Adamum penitus interfice & vitâ priva, ut reducto in ſcenam lumine, juſtitia & ſanctitate priſtina, ejurato vitiorum quorumvis amore, ejuratis & ſuſque deque habitis in poſterum hujus mundi & diaboli pompis & operibus quibuſvis in te uno acquieſcamus, te fruamur,

te ame-

te amemus, tecum uniamur, in tua oſcula, ſuaviſſima ea atque dulciſſima ruamus teque, olim felicitatis conſummatæ promocondo inter æterna jubila gaudeamus. Amen.

CAPUT VII.

DE LAPSU HOMINIS ET STATU PECCATI,

in quo

homo jam poſt lapſum verſatur.

§. I.

QUi divinâ imagine donatus erat homo, primam hanc dignitatem ſuam haud ſervavit ſed graviſſimo lapſu eâdem excidit. Quî verò lapſus hic contigerit, quænam ejus ratio, quæ circumſtantiæ exſtiterint, antiquiſſimus Scriptor iſque divinus MOSES nobis enarravit *Gen.* III. Tota res, ut paucis nos abſolvamus, hùc redit. Condiderat DEUS hominem ſapientem, juſtum & ſanctum concreaveratque ipſi vires, quæ ad ſanctitatem, quæ ad dignitatem hanc ſervandam eſſent idoneæ, additâ arbitrii libertate, ut, quas editurus eſſet, actiones

Digitized by Google

ad præmium felicitatis majoris adipiſcendum pœnamque, ſi à ſanctitatis lege deſciſceret, eſſent imputabiles. Jam contigerat, ut magna Angelorum portio, quos itidem ſanctos liberoſque DEUS creaverat, Princepsque illorum quidam à DEO per ſuperbiam deficeret, qui, cùm *ſolamen* ſit *miſeris*, *ſocios habuiſſe malorum*, homines in conſortium peccati malorumque trahere auſus eſt. Quod ipſum eò melius ut exſequeretur, ſerpenti, animali formoſiſſimo, quale id ante lapſum fuiſſe, quòd homini præ aliis placuit, qui ante alia ipſum commercio ſuo eſt dignatus, probabile eſt, eidemque callidiſſimo ſeſe callidior ipſemet inſinuavit atque per eundem (jam verò conjici poſſe ex hiſtoriâ lapſus videtur, Angelis in Paradiſo cum hominibus commercium quoddam & colloquia fuiſſe, mediantibus animalium corporibus, quibus ſeſe inſinuaverint & ad voces efferendas uſi fuerint, eademque haud fuiſſe maximè mediante ſerpente infrequentia) in colloquium quoddam cum homine deſcendit. Quo ut ipſum perverteret inque lapſûs adeo ſui conſortium traheret Cacodæmon idemque Diabolus, occaſionem ex prohibitione divinâ hominibus datâ, quâ arboris ſcientiæ boni & mali fructus iis interdictus erat, depromſit. Et primò quidem divinam legem de non comedendo ex arbore vetitâ in dubium vocare cœpit, tùm ad diſertum DEI interdictum provocante muliere, impudenter verbum DEI

Digitized by Google

DEI falſitatis arguere, hinc ſingularem, quam fructus vetiti comeſtione impetraturi eſſent, præſtantiam illis proponere. Quâ perſuaſione itidemque fructus amœnitate mota mulier decerptum ex arbore eundem ad virum detulit, quem unà comederunt. Inſecuta ſtatim prava eſt in ipſis concupiſcentia, quam cùm primi homines, nudi utpote, animadverterent, pudore ſuffuſi, foliis ficulneis conſutis ſibi perizomata fecere. Paulò poſt, cùm aura flaret matutina, inter arbores advenientis DEI ſonitum, quo factum eſt, ut malè actorum conſcientiâ turbati latebras quærerent, audiverunt. Sed DEUS Adamum è latibulis excivit & hic conatum divinis oculis ſubtrahendi ſe haud aliter excuſavit, quàm quòd, pravis qui jam affectibus indulgeret, in nuditate ipſius conſpiciendis, DEI conſpectum ſubire non auderet. Quærenti verò DEO, quis ipſi indicaverit, quòd nudus eſſet (id quod profectò ante lapſum in animum homo tàm ſolicitè haud revocaverat, cùm nuditas ipſius cum malâ concupiſcentiâ, pudorem quæ injicit, conjuncta nondum fuiſſet,) addentique, num forſitan ex arbore vetitâ comediſſet, faſſus eſt, ſe cum uxore ſibi à DEO datâ, quæ decerptum ex arbore fructum ad ſe detuliſſet, eundem comediſſe. DEUS rurſus ab uxore cauſam facti ſciſcitatus, nihil reſponſi tulit, niſi ſerpentem cauſam erroris fuiſſe. Tùm ut intelligerent primi parentes, quàm exoſum ſibi eſſet hoc facinus,

Digitized by Google

cinus, cujus vel brutum inſtrumentum veluti plecteret quoque, converſus ad ſerpentem Diabolumque in ipſo latitantem DEUS hæc quidem ſerpenti dixit: inter beſtias miſerrimam ipſum vitam ducturum & pro epulis, quas ex arboribus erectus petierit, in poſterum ventre gradientem pulverem terræ lambiturum. Et Cacodæmoni: æternum inter ipſum mulieremque, quam ſeduxerit, & præcipuam ex ipſius ſtirpe prodituram olim progeniem bellum fore, cujus hic futurus ſit exitus, ut iſta quidem progenies mortem ab ipſo in mundum inductam ſit ſubitura, ſed eo cum victoriæ ampliſſimo fœnore, quo omnis ipſius, diaboli nempe, virtus poteſtaſque ſufflaminetur æterniſque is cruciatibus pœniſque addicatur. Hominibus verò, qui ſeducere ſe paſſi fuerant, hæc DEUS ex juſto judicio denunciavit, & mulieri quidem, ſe pœnas ab ipſâ conceptûs faſtidiis, partûs doloribus obſequioque, quod Viro obnoxia præſtare cogeretur, ſumturum, Viro autem, terram ſuâ ſponte fructus vitæ neceſſarios non amplius laturam ſed magno labore ab ipſo colendam eſſe, donec tandem in eam ipſam terram, è quâ deſumtus eſſet, reſolutis morte & putrefactione membris reverteretur. Denique illudens DEUS ipſorum ſtultitiæ, ſcilicet, illis audientibus, dixit, nos jam rerum omnium cognitione arboris ſcientiæ fructu deglutito æquârunt homines, nunc, ne ſimili errore deluſi atque ex arbore

arbore vitæ æternam nanciſci ſe vitam poſſe rati noxii vitio ſalubri fructu medeantur, nemore ejiciendi ſunt. Queis dictis, primos Parentes inde eduxit, ut terram Adamus, unde originem duxerat, coleret. Neve poſſent eò, unde ejecti fuerant, regredi, ab oriente nemoris, ubi ſedes fixerant, viam ad arborem vitæ ducentem Angelos ſervare juſſit ignibuſque ſeu per fulgura ex cœlo emiſſa ſeu ex terrâ ſulphureâ & bituminoſâ prope paradiſum excitatis præcluſit. Et hæc eſt illa lapſus humani pœnæque eapropter hominibus inflictæ brevis hiſtoria ex MOSE petita, quam, datâ rebus παραφράσει, hùc ponere neceſſarium eſſe exiſtimavimus, partim, ut una quaſi fideliâ difficultates illas, quæ in textu Moſaico luculentiſſimæ conſpiciuntur, eo, qui ſolidiſſimus eſſe planiſſimuſque videtur, modo abſtergeremus, partim, ut, quæ in hoc articulo præcipua ſunt, ante omnia enarraremus, nec dum de peccato originali agimus, ipſius hiſtoriam, ad quam tandem omnia devolvuntur, id quod communiter fieri ſolet, taceremus.

§. II.

Nec tamen à nobis impetrare poſſumus, ut, quæ hoc in argumento occurrunt, difficultates penitus intactas relinquamus vel diſſimulemus. Sunt verò homines maximè increduli, qui litem hîc nobis movent ajuntque, totam hanc lapſûs humani hiſtoriam Moſaicam meram

fabulam & impoſturam eſſe, ita, ut, quicunque ſine partium ſtudio eandem vel legerit ſaltem, hâc de re illico convincatur, quin & eam, quam hiſtoriæ huic Moſaicæ adjungant Chriſtiani, interpretationem falſam & contortam planè eſſe. Quod prius concernat, attribui hîc ſerpenti, animali bruto, calliditatem, eamque, quæ aſtutiam cæterorum omnium animalium vincat, attribui illi ratiocinium, Evæ ſeductionem, ſermonem quoque, ad quem ſerpens non ſaltem eapropter ineptiſſimus ſit, quòd ratione careat, ſed & quod vocem articulatam propter organorum palatique inhabilitatem proferre haud valeat. Quin & bruto cuidam talia quicunque adſcripſerit, facilè ab omnibus rideri, utpote hominem, qui vel nugas agat, vel impoſturam datâ operâ committat, vel phantaſiâ corruptâ & mente afflictâ laboret. Nec concipi etiam poſſe, quî Eva divinâ ſapientiâ atque imagine DEI, quod vulgò ſupponatur, vel ſanâ ſaltem ratione prædita contra omnem veri ſpeciem ſerpenti, ſemel jam cujus mendacium erat deprehenſum, fidem dare potuerit, neque ſerpentem loquentem conſpiciendo dolum quendam ſubtimuerit? Porrò exſtare hîc in hiſtoriâ Moſaicâ, protoplaſtos demùm poſt lapſum cognoviſſe, ſe eſſe nudos. At cùm ſupponatur, eos ante lapſum oculis utique & ratione fuiſſe inſtructos, non poſſe concipi, quî ante lapſum, ſe eſſe nudos, haud obſervaverint. Referri dein colloquium inter DEUM, Adamum, Evam

Digitized by Google

Evàm ſerpentemque, quod cum ſapientiâ DEI reique veritate haud queat conciliari. Scilicet ad ſerpentem dici, eum inter omnes agri beſtias maledictum fore, cùm in ſerpentibus hodie nil conſpiciatur, quòd maledictos eos eſſe præ plurimis aliis animalibus, queis eadem ſors ſit, arguat, addi, eum corpore ſuo in poſterum repturum, quæ tamen ipſius cum aliis reptilibus indoles & natura concreata ſit, adjici, eam pulverem terræ comeſturum, id quod ne hodie quidem à ſerpentibus fiat, cùm herbis illi fructibuſque aliis, ut alia animalia ejus generis, veſcantur. Maximè verò hoc mirum eſſe, quòd inimicitia hîc inter ſerpentes homineſque poſita legatur, cùm homines & præter ſerpentes alias beſtiàs veneniferas horreant & fuerint quoque, qui ſerpentes plurimùm adamaverint, imò exſtiterint veteres hæretici, Ophitæ dicti, qui ſerpentem tentatorem Chriſtum dixerint atq; ad oblationes ſuas ſanctificandas ſerpentes provocaverint. Nec etiam adeo ineptos homines eſſe, ut calcaneo conterere ſerpentibus caput ſint tentaturi, utpote qui benè nôrint, &, ſi fiat hoc, venenum inde concipi, nec ſerpentem exſpectaturum, donec ea vis ipſi adhiberi poſſit. Quin & ſi hoc quoque fieret, nullam peculiarem hanc ſerpenti pœnam fore, cùm quæcunque reptilia homines pro lubitu pedibus conterant. Id verò omninò haud comprehendi poſſe, quî DEUS, qui tranſgreſſuris mortem minatus fuerat, jam iſtam haud ſtatim irrogeت,

ſed

ſed differat aliaſque pœnas infligat, & quidem corporales eas, non ſpirituales, quas Chriſtiani hodiè adjiciant. Denique ironiam DEO hîc adſcribi, quâ primorum hominum miſeriæ is illuſerit, ente optimo ſanctiſſimoque utique maximè indignam, & quâ DEUS ſupponat vel plures eſſe ſibi ſimiles, vel Angelos, tanquam qui ejuſdem ſecum ſpeciei ſint, in ſui trahat conſortium. Nec ad præcipua, quæ hîc opponantur, ea ſcilicet, quæ de ſerpente dicantur, cui ſermo, ratiocinium ſeductioque Evæ utpote bruto ratione caſſo adſcribi nequeat, diluenda valere iidem increduli cauſantur explicationem Chriſtianorum communem, quâ aiant, Cacodæmonem diabolumque in ſerpente iſto latitâſſe & per illum locutum fuiſſe. Si enim Diabolus ſerpentem hunc inhabitaſſet, ſine dubio dicturum hoc fuiſſe MOSEN putant nec omiſſurum tanti momenti circumſtantiam, hiſtoriam ab ipſo datam à fabulæ ſpecie liberaturam, porrò è calliditate ſerpentis ſeductionem hanc haud deducturum eundem fuiſſe, quæ potius calliditas Cacodæmonis ſerpentem inhabitantis dicenda fuiſſet, denique, ſi Diabolus ſeductionis autor ſerpenſque nudum inſtrumentum exſtiterit, quo uſus fuerit diabolus, cur igitur, miſſo hactenus cacodæmone, nonniſi ſerpens dicatur à Moſe pœnæ datus? De pœnâ enim Diabolo inflictâ altum utique apud MOSEN eſſe ſilentium. Atque hæ ſunt objectiones illæ, quas increduli hiſtoriæ lapſus Adamitici offundunt, qui & id

adjice-

adjicere haud verentur, non videre ſe, quomodo MOSI fidem hîc dare ſapiens poſſit. Judæos ſemper fabulis anilibus indulſiſſe, quales vel maximè & in Talmude reperiantur. Quod ſi verò hæc de lapſu hominis relatio tanquàm vera admittatur, & ea quoque fabuloſa omnia, quæ in Talmude, quæ in aliis libris Judaicis exſtent exſcripta, veritatis velo ornari poſſe. Cavere autem debere ſapientem quemvis, ne ſuperſtitioni ineptiiſque religionem ſuam cultumque ſuperſtruat ſtudioque partium & autoritatis rationi ſuæ nubila offundi patiatur.

§. III.

Et verò hæ objectiones ut ſolvantur diluanturque, ſudore multo atque anxietate animi nobis haudquaquam opus eſt. Res eſt in vado, ſi ſimplice ſaltem animo & qui non unicam ſaltem eam, quæ in ſacro codice habetur, lapſûs hiſtoriam ſed & cætera omnia, quæ inibi exſtant, contempletur atque ita ut par eſt, unum cum altero connectat, rem intueamur. Scilicet, ubi Scripturam cum Scripturis contuleris unumque ex altero explicaveris animumque de divinitate librorum Moſis jam perſuaſum ad hanc hiſtoriam attuleris, rebus facilè medelam adhibebis, eam nempe, quam in παραφράσει noſtrâ ad ſingula iſta dubia diluenda & ſolvenda jam adhibuimus. Nolim enim profectò nodum cum iis ſolvere, qui poſt veteres Philonem, Origenem alioſque cum BEKKERO BURNETOque exiſtimant, omnia hæc allegoricè capienda

pienda eſſe. Quid enim eſt nugas agere tabulaſque ſanctiores proſtituere & perpetuæ incertitudini immergere, ſi hoc non eſt? Nec verior ea eſt ſententia, quam poſt JOSEPHUM plurimi ex Judæis tenuere, de vero ſerpente, cui olim ſermo conceſſus fuerit, & qui corpore recto pedibuſque inſtructo inceſſerit, iſta omnia exponenda eſſe. Quin & ea aliorum mens approbari nequit, qui nullum planè ſerpentem hîc intelligendum eſſe exiſtimant, ſed nudum cacodæmonem, qui & aliàs in ſacro codice ſerpentis nomine veniat. Jam & ABARBENELIS interpretatio, quæ aliâs ſpecie reliquas omnes vincit, proprietati textûs plurimùm contradicit. Ita enim ille per ſerpentem ſeductorem ſerpentem quidem verum & naturalem intelligit, qui tamen nec ratiocinandi nec loquendi facultate fuerit præditus ſed exemplo ſuo aſcendendo in arborem vetitam & fructum ejus comedendo idque citra noxam induxerit ad idem faciendum Evam. Moſen autem more gentium orientalium animantibus brutis ſermonem tribuentium hæc ita retuliſſe, ut ſerpentem ac Evam colloquentes introduceret atque hâc ſaltem ratione cogitationes Evæ, quæ ei in mentem venerunt, cùm ſerpentem de fructu arboris vetitæ comedentem videret, exprimeret. Quæ omnia cogitare vel eapropter haud ineptum eſſe, quia ejusmodi proſopopœiæ MOSI aut veteribus haud inuſitatæ ſint, uti pateat ex *Gen.* I. 3. ſqq. II. 3. III. 14.

Digitized by Google

3. III. 14. 15. *Pſ.* CXLVIII. 7. *Job.* XXVIII. 14. 22. queis locis alia in GLASSII *Philol. S.* p. m. 1182. ſqq. 1441. ſqq. exſtantia addi poſſunt. Vid. Simeonis de MUIS *Varia ſacra ſ. m. 8. ſqq.* & celeb. BUDDEI *Hiſt. Eccl. V. T. P. 1. p. 126.* Quid igitur, quæſumus, reſtat jam, quàm ut in communem ſententiam pedibus eamus, quâ dicitur, ſerpentem tentatorem fuiſſe ſerpentem diabolo obſeſſum. Rationes hæ ſunt ☛ quia animali bruto loquela ratiociniumque haud competit. Debuit itaque ſeductor his eſſe creatura quædam rationalis atque à DEO jam avulſa, quæ Protoplaſtos ab eodem avellere voluit, per conſequens eorum aliquis; qui *μὴ ἐτήρησαν τὴν ἑαυτῶν ἀρχὴν ἀλλ' ἀπέλιπον τὸ ἴδιον οἰκητήριον Jud.* 6. 2. *Pet.* II. 4. ב Diabolus eſt, qui ab Hebræis vocatur הנחש הקדמוני & à Johanne Apoſtolo *ὁ δράκων ὁ μέγας ὁ ὄφις ὁ ἀρχαῖος ὁ καλούμενος Διάβολος καὶ ὁ Σατανᾶς ὁ πλανῶν τὴν οἰκουμένην ὅλην Apoc.* XII. 9. XX. 2. qui eſt *ἀνθρωποκτόνος* ab initio *καὶ ἐν τῇ ἀληθείᾳ οὐχ ἕστηκε Joh.* VIII. 44. Adde *Sap.* II. 24. 2. *Cor.* XI. 3. Cùm itaque & Chriſtus & Apoſtoli eâdem planè ratione hiſtoriam lapſus explicaverint, uti nos explicamus, dubitare non poſſumus, quin vera noſtra interpretatio ſit. Nec valet objectio, MOSEN cacodæmonem nullibi nominare. Cùm enim ea ſit librorum veteris Teſtamenti indoles, ſcriptoribus

ribus Hebræis inſpiratis familiaris, ut ſenſum plenum literis haud efferant ſed præcipuam illius partem, myſticam utplurimùm illam, cabbalæ traditionique orali reſervent, quod alibi jam monuimus, ſola hæc obſervatio totam litem uno ictu hîc diſſolvit. At verò, qui pleniores hîc crateras haurire voluerit, adire hîc Friſchmuthum, Amyraldum, Bochartum, Wegleiterum, Clericum, Bælium, Ortlobium & vel maximè TILEMANNUM ANDREAM RIVINUM debet, qui ſerpentem antiquum ſeductorem ad mentem Doctorum Judæorum & Chriſtianorum Lipſiæ A. 1695. peculiari tractatione, quam ante alios BÆLIUS diligenter inſpexit, exhibuit.

§. IV.

Præmiſſâ igitur lapſûs hiſtoriâ facile patet, quodnam illud primum fuerit hominum peccatum, nempe tranſgreſſio legis divinæ ejuſque poſitivæ de non comedendo ex arbore vetitâ cum infidelitate, gloriæ & ſcientiæ majoris cupiditate itemque voluptatis ſenſualis appetitu conjuncta. Peccavit autem primùm Eva 1. *Tim.* II. 14. poſtea Adamus. Hinc ait Paulus, per unum hominem peccatum in mundum introiiſſe, qui eſt Adamus, ſucceſſiſſe mortem & ad omnes quoque homines pervaſiſſe, ἐφ' ᾧ i. e. *quia πάντες ἥμαρτον* *Rom.* V. 12. id quod commate 18. & 19. repetitur, ubi dicitur, per unius hominis peccatum condemnationem ſuper omnes homines veniſſe omneſque

Digitized by Google

omneſque peccatores conſtitutos fuiſſe. Id quod cùm duplici viâ fieri potuerit, vel ita, ut prava animi diſpoſitio, ex quâ peccata actualia dein profluunt, ad omnes fuerit propagata, vel ita, ut peccatum iſtud Adami actuale omnibus hominibus & ad culpam & ad pœnam fuerit imputatum, penitius jam res nobis evolvenda venit. Agedum, ut viam nobis ad deciſionem paremus, totam de peccato doctrinam, communi παιδείας τρόπῳ adhibito, evolvamus.

§. V.

Cauſa efficiens peccati non eſt DEUS. Id quod etſi per ſe clarum ſit nullâque probatione egeat, probatur tamen ex effatis ſanctioribus *Pſalm.* V. 5. XLV. 8. *Jeſ.* LXV. 12. *Zach.* VIII. 17. 1. *Joh.* III. 8. *Jac.* I. 13. 17. Homo potius liber peccati cauſa dici meretur. *Pſal.* V. 5. *Hoſ.* XIII. 9. *Matth.* XXIII. 37. Forma peccati eſt ἀνομία 1. *Joh.* III. 4. Peccatum eſt vel originans vel originatum. Illud eſt tranſgreſſio legis de non comedendo ex arbore vetitâ, quod peccatum dicitur vel proprium & perſonale, quale primis parentibus adſcribendum venit, vel imputatum, quale omnibus hominibus attribuitur. Hoc eſt tùm concupiſcentiæ pravæ habitus, quem Adamus ex tranſgreſſione legis divinæ contraxit inque poſteros propagavit, tùm peccatum actuale omne, quod ab hominibus committitur. Cauſa primi peccati principalis Diabolus fuit, inſtrumentalis ſerpens. Jam imputatio

P peccati

Digitized by Google

peccati iſtius ab Adamo primitus commiſſi ex *Rom.* V. 12. 18. 19. propagatio verò peccati ex *Gen.* V. 3. 1. *Cor.* XV. 48. à noſtris petitur. Effectus denique peccati primi divinæ imaginis totalis amiſſio, profundiſſima totius naturæ depravatio, obligatio ad pœnam in comminatione legi Paradiſiacæ annexâ expreſſam, vitæ hujus ærumnæ atque miſeriæ, denique mors ipſa dicitur.

§. VI.

Peccatum originale, quod vitioſam animi habitudinem denotat, ex ſequentibus ſacri codicis locis deducitur *Gen.* V. 3. VI. 5. VIII. 21. *Job.* XIV. 4. *Pſalm.* XIV. 2. 3. LI. 7. LVIII. 4. *Jeſ.* XLVIII. 8. LXIV. 6. *Joh.* III. 5. 6. *Rom.* V. 14. VI. 12. VII. 17. 1. *Cor.* II. 14. 2. *Cor.* III. 5. *Eph.* II. 3. IV. 18. V. 8. *Hebr.* XII. 1. 15. Hæc verò inclinatio prava in omnibus hominibus conſpicitur *Rom.* V. 12. 18. ut loca modò allegata taceamus. Afficit autem illa inhabitatque tùm animam *Eph.* IV. 18. V. 8. tùm corpus *Matth.* V. 29. 30. XVIII. 8. *Rom.* VI. 12. 13. VII. 24. III. 13. eſtque habitualis juſtitiæ originalis privatio *Pſalm.* XIV. 3. LIII. 4. *Rom.* III. 10. ſqq. & totius naturæ humanæ profundiſſima corruptio *Rom.* VII. 17. VIII. 7. ſqq *Gal.* V. 17. *Hebr.* XII. 1. per motus pravæ concupiſcentiæ *Matth.* XV. 19. *Marc.* VII. 21. 22. 1. *Joh.* II. 16. quæ & radix peccati & ipſa peccatum eſt *Rom.* VI. 6. 7. 11. ſqq. VII. 7. ſqq. VIII. 7. *Gal.* V. 16.

17. &

Digitized by Google

17. & peccata actualia *Jac.* I. 14. 15. ſe exerens atque in tenebris, queis intellectus circumfunditur, peccaminoſiſque voluntatis inclinationibus & affectibus conſiſtens, nec ſaltem vitæ hujus miſerias ſed & ipſam mortem temporalem, ſpiritualem & æternam ſecum vehens. *Rom.* VII. 10. ſqq. *Eph.* II. 3. 5. Adjuncta peccati originalis dicuntur naturalis inhærentia, propagabilitas, qua per traducem propagari mediante animâ dicitur *Gen.* V. 3. *Job.* XIV. 4. *Pſalm.* LI. 7. *Joh.* III. 6. *Eph.* II. 3. & duratio. Dein & in peccato originali quatuor hæc conſideranda vulgò proponuntur א impuritas ipſa fomesque habitualiter inhærens fomitiſque ſenſus, qui uterque non in cineratione ſed in morte tollitur, ב ejusdem peccati dominium, quod in converſione & ſanctificatione infringitur, ג ejuſdem reatus, quem juſtificatio jugulat, ד ejus effectus, nimirum amiſſio juſtitiæ originalis, ſenſus nuditatis probroſæ, terror conſcientiæ, ejectio ex Paradiſo & mors tùm corporalis tùm ſpiritualis, tùm æterna. *Gen.* II. 17. III. 19. *Rom.* V. 12. VI. 23.

§. VII.

De peccatis actualibus, quæ ex peccato originali profluunt, paucis hæc habe. א ea variis in ſcripturâ ſanctiore nominibus venire, quæ in dictis *Gal.* V. 19. *Eph.* V. 11. *Col.* III. 9. *Hebr.* VI. 1. IX. 14. 2. *Pet.* II. 8. evolvi poſſunt, ב cauſam

ſam eſſe voluntatem hominis liberam pravamque concupiſcentiam *Matth.* XV. 19. *Marc.* VII. 21. ſqq. *Jac.* I. 14. itemque diabolum *Eph.* II. 2. prava exempla & quæ alia ſunt peccati incentiva, ₂ ejuſmodi peccata in tabulis divinis omnibus hominibus adſcribi, ne infantibus quidem exceptis *Gen.* VI. 5. VIII. 21. *Pſ.* LVIII. 4. *Ieſ.* XLVIII. 8. nec renatis *Rom.* VII. 14. ſqq. ₇ peccari ab hominibus & contra legem & contra Evangelium, adverſus hoc incredulitate, quam tamen & ipſa lex damnat, adverſus illud inobedientiâ, ₇ effectus peccatorum actualium eſſe vulnera conſcientiæ, mortem temporalem & æternam. Peccata actualia variè diſpeſcuntur. Vel enim ſunt venialia, quæ etſi in ſe & ex naturâ ſuâ *Jac.* II. 10. *Gal.* III. 10. *Matth.* XII. 36. damnatione digna ſint, tamen ob ſtatum gratiæ, in quo homo verſatur, remittuntur & cum illo conſiſtere poſſunt *Rom.* VIII. 1. vel mortalia, quæ fidem & ſtatum gratiæ jugulant *Rom.* VIII. 13. 1. *Cor.* VI. 9. 10. *Gal.* V. 19. ſqq. *Apoc.* XXI. 27. XXII. 15. *Jac.* I. 15. regnantia & non regnantia *Joh.* VIII. 34. *Rom.* VI. 12. ſqq. 1. *Joh.* III. 8. 9. *Gal.* V. 24. *Rom.* VIII. 13. voluntaria & involuntaria, qualia ſunt vel maximè primi iſti concupiſcentiæ pravæ motus *Rom.* VII. 17. ſqq. in ſe quidem damnabiles *Rom.* VII. 10. ſqq. ſed ob Chriſtum fide apprehenſum ad damnationem non amplius imputabiles *Rom.* VIII. 1. Nec minus involuntaria peccata illa

Digitized by Google

illa ſunt, quæ ſunt vel ignorantiæ *Lev.* IV. 2. *Num.* XV. 27. *Pſ.* XIX. 13. *Act.* III. 17. 1. *Tim.* I. 13. ſive dein ea ignorantia ſit juris ſive facti, aſt minus affectatæ & invincibilis, vel infirmitatis & præcipitantiæ *Gal.* VI. 1. Ita & alia ſunt interna, alia externa, graviora vel leviora, (unum enim peccatum gravius leviuſve altero eſt vel ratione peccantis perſonæ vel ratione objecti vel modi vel temporis vel loci vel durationis vel finis aliarumque circumſtantiarum *Ezech.* XVI. 47. *Ioh.* XIX. 11. 1. *Tim.* V. 8.) occulta vel manifeſta *Pſalm.* XIX. 13. 1. *Tim.* V. 24. 25. mortua vel viva *Rom.* VII. 8. 9. manentia vel remiſſa *Ioh.* IX. 41. remiſſibilia vel irremiſſibilia *Matth.* XII. 31. 32. 1. *Ioh.* V. 16. *Hebr.* VI. 4. ſqq. X. 26. ſqq. clamantia vel non clamantia *Gen.* IV. 10. XVIII. 20. *Ex.* III. 8. XXII. 23. *Iac.* V. 4. *Act.* XVII. 30. commiſſionis vel omiſſionis, ut taceamus, peccata actualia ratione objecti vel committi contra DEUM vel contra ſeipſum 1. *Sam.* XXXI. 4. *Tit.* II. 12. 1. *Cor.* VI. 18. vel contra proximum, peccata itidem contra DEUM vel in DEUM ſimpliciter, vel in Filium hominis, vel in Spiritum S. ferri. De quibus poſtremis hæc paucis notanda veniunt, ex lectionibus noſtris in Matthæum quæ huc jam transferimus, ex quibus & hiſtoria dogmatis de peccato in Spiritum Sanctum patet. Ita verò annotata noſtra ad *Matth.* XII. 31. 32. habent: Quid per

peccatum in Spiritum S. intelligendum ſit, difficile eſt definire. Veteres in varias ſententias abiere. HERMAS in *Paſtore L. 3. ſimil. 6. §. 2.* putat, iis non dari per pœnitentiam regreſſum ad vitam, qui nomen DEI nefandis inſectati ſint verbis. Addit *Sim. 8. §. 6.* qui ſint proditores Eccleſ. nomenque Domini negaverint. IRENÆUS adv. hær. L. *III.* C. *11.* Marcionitas peccatores in Sp. S. eſſe putat, quorum peccatum irremiſſibile ſit, quia Evangelium rejiciant & nec Paulo nec Johanni credant. TERTULLIANUS, HILARIUS aliique Patres peccato in Sp. S. deſignari putant blaſphemiam non in humanam Chriſti naturam, quæ utique remitti poſſit, ſed in divinam, quæ non poſſit remitti. CYPRIANUS de *apoſtaſia & abnegatione Chriſti* hæc explicat, unde & lapſis veniam non facile concedendam eſſe arbitratus eſt, quod prius inter recentiores quoque ſtatuit JO. FELLUS, Epiſc. Oxon. qui in Cyprianum commentatus eſt. ORIGENES & THEOGNOSTUS blaſphemiam in Spiritum S. expoſuere de peccatis ſubſequentibus acceptum in baptiſmate Sp. S. donum, uti habetur apud ATHANASIUM in *homilia ad h. l.* quæ duæ ſententiæ poſteriores ad ſententiam Novatianorum fere deflectunt. Ipſe ATHANASIUS in *libro de communi eſſentia Patris, Filii & Sp. S.* per peccatum in Sp. S. intelligit præciſe illam blaſphemiam, quæ in Chriſti deitatem fertur, ubi miracula Salvatoris

ris adſcribuntur Diabolo, additque non dixiſſe Chriſtum, blaſphemanti & pœnitentiam agenti pœnam dandam eſſe ſed blaſphemanti & in blaſphemia manenti. Eandem ſententiam tenet PACIANUS *Ep. 3. ad* Sympronianum Novatianum, itemque AMBROSIUS *L. 2. de Pœnit. C. 4.* ubi ait: Peccata in Sp. S. hæc eſſe (1) miracula à Chriſto facta virtuti Diaboli tribuere, (2) crimen Simonis Magi, qui petiit, ut pro pecuniâ ipſi daretur Sp. S. (3) crimen Schiſmatis. Omnia vero hæc crimina remitti poſſe, ſi agatur pœnitentia. HIERONYMUS *in Matth. XII. h. l.* ita explicat: Qui verbum dixerit contra Filium hominis ſcandalizatus carne meâ & me hominem tantum arbitrans, quòd filius ſim fabri & fratres habeam Jacobum & Joſeph & Judam, & homo vorator & vini potator ſim, talis opinio atque blaſphemia, quamvis culpa non careat erroris, tamen habet veniam propter corporis vilitatem. Qui autem manifeſtè intelligens opera DEI, cùm DEI virtutem negare non poſſit, eadem ſtimulatus invidiâ calumniatur & Chriſtum denique verbum & opera Sp. S. dicit eſſe Beelzebul, iſti non dimittetur neque in præſenti neque in futuro. Quæ ipſa clariſſimis verbis repetit HIERONYMUS *Ep. 149. ad Marcellam.* Eandem ferè in ſententiam ſcribit *Hom. 42. in Matth.* niſi quod ſtatuit, peccatum

Digitized by Google

in Sp. S. remitti poſſe pœnitentibus, etſi multò difficilius remittatur, quàm peccatum in Filium DEI, quæ & *Autoris Operis imperfecti in Matth.* ſententia eſt. Denique per peccatum in Sp. S. intelligendam eſſe cenſet AUGUSTINUS *Epiſt. 50. ad Boniſac. Enchirid.* C 82. & *Serm. XI. de verbis Domini* impœnitentiam finalem, quâ homo uſque ad finem vitæ recuſat in unitate corporis Chriſti, quod vivificat Sp. S. remiſſionem accipere peccatorum. Inter modernos H. GROTIUS per υἱὸν ἀνθρώπου quemlibet hominem putat deſignari talemque dicti noſtri effingit ſenſum: Peccatum in quoſvis homines remittetur, peccatum verò in Spiritum Chriſti æternum divinitatemque ejus non remittitur. Theologi noſtri communiter per peccatum in Sp. S. deſignatam volunt contumacem & proæreticam abnegationem & blaſphemationem veritatis divinæ agnitæ cum impœnitentia finali conjunctam. Nos ſalvis melioribus, per peccatum in filium hominis intelligimus cum Hieronymo peccatum illud, quo Judæi ſuis de Meſſiæ utpote regnum Judaicum reſtauraturi perſona præjudiciis occœcati JESUM Meſſiam ob humilem ipſius perſonam ſtatumque agnoſcere noluere, per peccatum verò in Sp. S. innui exiſtimamus à Chriſto illam blaſphemiam, quâ Phariſæi miraculorum illius teſtes oculati, licet convicti eſſent, eadem per Sp. S. & vi divinâ patrari, tamen Diabolo iſta adſcripſere. De tali enim peccato hic Salvator loquitur, quod Phariſæi modò

Digitized by Google

dò commiſerant, ita ut pro ſententiâ noſtrâ contextus aperte militet. Hinc & nullos amplius in Sp. S. peccatores dari arbitramur, cùm nulli dari amplius poſſint miraculorum Chriſti oculati teſtes. Cur autem blaſphemia in miracula Chriſti jacta peccatum in Sp. S. dicatur, in aprico eſt, quia miracula à Chriſto patrata per Spiritum DEI facta erant *Matth. XII. 28.* qui eſt miraculorum autor. *1. Cor. XII. 7. 8. 9 10. 11.* Et de hoc jam peccato dicitur: **οὐκ ἀφεθήσεται οὔτε ἐν τούτῳ τῷ αἰῶνι οὔτε ἐν τῷ μέλλοντι**, h. e. nunquam, **οὐκ ἔχει ἄφεσιν εἰς τὸν αἰῶνα.** *Marc. III. 29.* At verò hæc verba nemo intellexerit, niſi qui nôrit Judæorum de gradibus & remiſſione peccatorum ſententiam. Statuerunt autem ii, eſſe peccata, quæ abſtergat pœnitentia, eſſe alia, ad quorum remiſſionem opus ſit ſacrificiis, alia rurſus tàm gravia eſſe, ut non remitti poſſint, niſi in die expiationis, iterum eſſe alia his adhuc graviora, quæ mors deleat, denique eſſe & peccata graviſſima, quæ nonniſi in ſeculo futuro, id eſt, poſt mortem remittantur. Loca collegere LIGHTFOOTUS *ad h. l.* SHERINGHAM in *Joma* C. 8. §. 8. 9. & WITSIUS in *Miſc. S. T. 1. L. 2. Diſſ. 6.* de *ſeculo hoc & futuro*, §. 4. ſqq. Mens itaque Chriſti hiſce præſuppoſitis hæc eſt. Etſi peccatum illud, quo ſcandalum ex humili perſonâ meâ capitis & vi præjudiciorum acti Meſſiam me hactenus haud agnoſcitis, ut-

pote ex ignorantiâ falſâque præſuppoſita opinione, nullâ voluntatis malitiâ ortum, remitti utique vobis poſſit, ſi pœnitentiam egeritis, attamen illa blaſphemia, quâ licet aliter convicti miracula mea dicitis vi diabolicâ patrari, cùm ex ſumma voluntatis malitiâ orta ſit, ita comparata eſt, ut niſi quidem DEUS extraordinariâ quadam gratiâ ejuſmodi peccatorem donare velit, ſecundum veſtra quoque principia neque in futuro ſeculo remitti poſſit. Hinc licet verba irremiſſibilitatem peccati in Sp. S. innuentia ſint ſatis clara, exiſtimamus tamen, DEUM hic ſibi manus in convertendis peccatoribus in Sp. S. ligare noluiſſe. Scilicet, peccatum in Filium hominis vi gratiæ DEI ordinariæ ſemper remittitur. At peccatum in Sp. S. vi ejuſdem ordinariæ gratiæ nunquam remittitur, utpote ad quod remittendum gratia requiritur extraordinaria. Sed hæc quidem è textu erui nequeunt. Id unum adhuc addendum, per ſeculum futurum hìc non intelligendum eſſe tempus Meſſiæ, ſed tempus poſt mortem, maximè, cùm per עולם הבא ſeculum futurum Ebræos veteres nunquam deſignâſſe tempus Meſſiæ contra H. WITSIUM demonſtrare conatus fuerit Jac. RHENFERDIUS in *diſſertationibus Philologicis de ſeculo futuro, adjectis ſyntagmati diſſertationum de Stylo N. T.* Hactenùs ea, quæ in notis ad Matthæum de peccato in Filium & Spiritum S. ſcripſimus, ubi eam in ſententiam deſcendimus, quam aliàs

aliàs Remonſtrantes defendunt. Quæ enim communis noſtrorum peccati in Sp. S. eſt definitio, eſſe illud in homine adulto, regenito, ſatis illuminato, ſatis convicto & libero veritatis divinæ evidenter cognitæ & in conſcientiâ approbatæ plenâ voluntate proæreticam, malitioſam, pertinacem, incorrigibilem, finaliter perſeverantem proptereaque irremiſſibilem abnegationem, abnegatæ impugnationem & impugnatæ blaſphemationem adeoque repulſam officii Spiritûs S. proæreticam atque finalem, ad textum noſtrum & Phariſæos planè non quadrat, ut taceamus, ita peccatum in Sp. S. nihil habere præ aliis peccatis eximii, cùm quodvis peccatum, in quo ád finem uſque peccator perſeverat, non ſaltem peccatum in Sp. S. ſit irremiſſibile, atque ante mortem peccatoris determinari non poſſit, id eſſe peccatum in Sp. S. quod committat, denique irremiſſibile hîc dicatur peccatum hoc à parte DEI, non à parte hominis. Jam verò nolimus, ut quis exiſtimet, dicta illa 1. *Ioh.* V. 16. *Hebr.* VI. 6. X. 29. eſſe dicta παράλληλα itidem de peccato in Sp.S.agentia.Illud enim primum de quovis peccato gravi ex malitiâ commiſſo mortemque ſpiritualem inferente ſtatumque gratiæ fidemque jugulante agit,ubi Johannes ait, pro ejuſmodi peccatore non orandum eſſe DEUM, ut peccatum hoc ipſi remittat,cùm id,niſi præeunte peccatoris pœnitentiâ & converſione remitti non poſſit, Deuſque prius orandus veniat,ut ipſum convertat, quàm ut pec-

Digitized by Google

peccatum ejuſmodi remittat, utpote qui nonniſi peccatum præcipitantiæ & infirmitatis, id quod ad mortem non eſt, immediatè condonet, ut taceamus, duas eſſe interceſſionis ſpecies, quarum una eſt pro fidelibus, altera pro infidelibus. Prior ſaltem hîc peccatoribus malitioſis denegatur. Vide *Ioh.* XVII. 9. Aliàs pro omnibus hominibus orandum eſt. 1. *Tim.* II. 1. ſqq. 1. *Ioh.* II. 1. 2. *Luc.* XXIII. 34. Loca verò ad Hebræos de apoſtaſiâ agunt eâque qualificatâ, quæ fit ab homine ſatis illuminato & qui jam ad præcipuum quendam vitæ ſpiritualis gradum pervenit. Ubi itidem negat Apoſtolus, Apoſtatam ejuſmodi viâ ordinariâ ad pœnitentiam revocari poſſe, quemadmodum de peccato in Sp. S. id Chriſtus adfirmat. Et hæc quidem jam circa articulum de peccato ſufficiant, ad quem duo ſaltem hæc adjungimus. Alterum eſt doctrina de conſcientiâ, alterum de libero arbitrio doctrina, quarum utraque hoc ſub ſchemate à noſtris ſiſtitur.

§. VIII.

Et doctrina quidem de conſcientiâ eapropter articulo huic de peccato inſeritur, quia conſcientia judicium illud intellectûs noſtri practicum eſt, quod peccata arguit, ubi à nobis committuntur. Præſupponit autem hoc judicium א συντήρησιν notitiam principiorum moralium & faciendorum ב συνείδησιν hoc eſt notitiam facti, eſtque principiorum moralium ad factum præſens applicatio. Quando

Digitized by Google

do igitur judicium hoc practicum rectum eſt tùm ratione juris tùm ratione facti tùm ratione applicationis reſque eſt evidens, dicitur conſcientia recta. Erronea eſt, ubi aliquid pro juſto rectoque habet, quod tale non eſt. Probabilis cum rectâ hactenus convenit, quod hæc certitudine omnimodâ, illa ſaltem probabilitate nitatur. Dubia eſt, ubi, quid faciendum ſit, dubitamus. Jam peccatum hoc contra conſcientiam fuerit, ſi ubi conſcientia eſt dubia, tamen actionem edideris, *Rom.* XIV. 23. & ſi aliter ac recta & probabilis imò & erronea (pro rectâ enim hæc habetur, etſi malè habeatur) fert, egeris. Res omnis in vado eſt.

§. IX.

Doctrina verò de libero arbitrio ſive de viribus intellectûs & voluntatis humanæ poſt lapſum in homine reſiduis eapropter tractari hîc debet, quoniam, ubi de corruptione per peccatum originale in animum hominis inductâ agitur, neceſſum eſt, reſiduas iſtas vires naturales determinare. Abſolvemus nos paucis. In intellectu reſiduæ ſunt notitiæ naturales de DEO deque principiis moralibus, in voluntate quidam virtutum amor vitiorumque quædam abominatio, ad honeſtatem tamen externam magis quàm ad veram voluntatis mutationem declinans. *Rom.* II. 14. 15. *Aug. Conf. Art.* 18. Quin & actiones externæ pædagogicæ actionibus ſpiritualibus viam parantes in liberi arbitrii viribus

viribus ſitæ ſunt. *Form. Conc. Declar. p. 662. 671. Act.* XIII. 7. XVII. 18. At verò actiones ſpirituales ipſas homo poſt lapſum edere neſcit, utpote qui in peccato mortuus eſt, adeoque heic nullum planè amplius liberum arbitrium habet, quale tamen ante lapſum habuerat, ubi propriis viribus bonum patrare licet cooperante DEO poterat. Loca, ut hoc probetur, communiter hæc allegari ſolent. *Gen.* VI. 5. *Matth.* VII. 18. *Rom.* I. 21. 22. VI. 16. 18. VII. 13. 14. 1. *Cor.* II. 14. *Ezech.* XVI. 4. ſqq. *Eph.* II. 1. 2. IV. 18. V. 8. *Tit.* I. 16. *Col.* II. 13. 2. *Cor.* III. 5. *Rom.* VIII. 7. *Pſ.* XIV. 2. 3. Hinc ſolus Chriſtus eſt, quo per Spiritum in nobis agente bonum operari poſſumus *Joh.* XV. 5. 2. *Cor.* III. 5. *Phil.* II. 13. Jam, quæ præcipuas in toto hoc argumento, quod hactenus juxta communem **παιδείας τρόπον** examinavimus, difficultates ſpectat, ſententiam noſtram paucis efferemus.

§. X.

Et quidem, quod poſtremum attinet, ſciendum, duo hîc haberi de libertate hominis ſyſtemata ſolicitè evitanda. Unum eſt Pelagianorum & ſemi-Pelagianorum, qui docuere, homini etiam poſt lapſum competere virtutem bona & ſalutaria opera faciendi, quod deinde aſſumſere Scholaſticorum magna pars & Romanenſes in Concilio Tridentino, ubi Semipelagianiſmus fuit defenſus, & vel maximè Jeſuitæ, qui

Digitized by Google

qui adpellantur, ut Socinianos, ut Remonſtrantes, ut Synergiſtas noſtrates, quos *Formula Conc. p.677.* notat, ut Calixtinos, quos adpellant, taceamus. Alterum eſt Prædeterminantium, tùm eorum, qui in primitivâ Eccleſiâ floruere, tùm recentiorum, quos omnes in *Primitiis Tubingenſibus P. 1. in diſſ. de prædeſtinatione & gratiâ* depinximus, Thomiſtarum nempe & Reformatorum, qui ne quidem reſiſtere hominem gratiæ poſſe arbitrantur, ut SPINOZAM, ut BÆLIUM, ut alios, qui libertatem voluntatis omnem pedibus conculcant atque ſtolida hîc rerum ſyſtemata à cæteris omnibus diverſa excogitant, taceamus. At verò mediâ hîc eâque regiâ viâ nos incedimus, qui arbitramur, hominem ſalutarem nullam actionem viribus naturalibus, quæ heic liberum arbitrium vocantur, facere poſſe, ſed viribus à Sp. S. datis omnia opera ſpiritualia perficere, neque etiam peccatorem propriis viribus ad opùs converſionis ſuæ quicquam contribuere poſſe, etſi, quod & clariſſima Scripturæ ſacræ effata *Matth.* XXIII. 37. & *Act.* VII. 51. oſtendunt & dolenda experientia oſtendit, gratiæ divinæ reſiſtere poſſit. Nec tamen affirmamus, omnia ea effata ſcripturaria, quæ vulgò hanc in rem adferuntur, ex æquo ſtringere, operaque illa, quæ à nondum converſis fiunt, ſimpliciter mala ac reproba eſſe. Cùm enim ea ſubinde à DEO laudentur præmiiſque temporalibus compenſentur gratiæque

etiam

Digitized by Google

etiam auxilia majora pone ſequentia habeant, denique legi divinæ quoad ſubſtantiam actus ſint conformia, eatenus, quin bona dici poſſint, & quin ejuſmodi opera ii quoque, qui nondum ſunt converſi, propriis viribus efficere poſſint, nullum eſt dubium. Quatenus verò opera bona idem ſunt ac opera ſpiritualia & ſalutaria, quivis videt, ea bona dici haud poſſe, utpote quæ ab iis, qui nondum in ſtatu gratiæ ſunt, itidemque ſine virtute Spiritus S. peragantur, fidemque, ſine quâ DEO placere haud poſſumus *Hebr.* XI. 6. & genuinum finem, qui eſt DEI gloria, non habeant conjuncta, ut cæteras imperfectiones, quæ tamen & in operibus renatorum conſpiciuntur, taceamus. At verò & in hoc mica ſalis eſt adhibenda, quòd ea etiam opera, quæ ad fidem immediatè animum hominis præparant, ſalutaria & bona ſano ſenſu, reſpectu nempe ad fidem ſubſequentem habito, dici poſſint. Ex quo conſpicere eſt, totam hanc quæſtionem vel tandem in meram abire **λογομαχίαν** eſſeque hanc Auguſtini quandam **ἀκυρολογίαν**, quæ tamen & orthodoxum ferre ſenſum valeat, quâ virtutes gentilium fuiſſe ſplendida peccata edixit. Addenda tamen ſunt, quæ de libero arbitrio habent in plurimis locis libri Symbolici, allegatis à Rechenbergio in *append.* p. 141. ſqq.

§. XI.

Digitized by Google

§. XI.

De peccato in Sp. S. quæ vulgò occurrunt, difficultates facilè ſuperantur, ſi noſtram tenueris ſententiam. Num Chriſtus pro peccato in Sp. S ſatiſfecerit? Num peccatum in Sp. S. cadat quoque in irregenitos? Num peccatum in Sp. S. ſit plenum & perfectum jam ante mortem? Num pro peccatore in Sp. S. ſit orandum? Num peccatum in Sp. S. ſit repudiatio Meſſiæ conſtans à Judæis uſque ad excidium Hieroſ. facta, nullis quoque Sp. S. operibus ſuperabilis? Num irremiſſibilitas hujus peccati ex abſoluto decreto judiciove divino, an verò ex incredulitate finali deducenda ſit? & quæ alia ſunt. Id unum ferè eſt, noſtræ ſententiæ quod opponi poſſit, loca illa reliqua præter *Matth.* XII. 32. huic eſſe παράλληλα, quoniam omne peccatum dicatur ibi remiſſibile ſolumque à regulâ in Sp. S. peccatum excipiatur, in locis verò illis itidem de peccato irremiſſibili ſermo ſit. At quemadmodum *Matth.* XIX. 9. etſi ſola divortii cauſa nominetur adulterium, tamen ſubintelligitur quoque alia ejuſdem valoris, quæ eſt malitioſa deſertio, ita nihil impedit, quò minus dicere poſſis, præter peccatum in Sp. S. alia quoque adhuc eſſe peccata, quæ juxta curſum gratiæ ordinarium haud remittantur. Jam verò num & induratio huc referenda ſit, forſitan heic queis quæſiverit, notumque eſt, Theologos noſtros ſub initium hujus ſeculi ſerram contover-

troverſiæ hanc in rem inter ſe reciprocâſſe. Sed inutilis eſt & vana hâc de re lis omnis, quæ ſeritur, cùm & ad individua ſingularia in praxi nemo applicare regulam generalem aveat & voluntatis divinæ conſequentis judiciariæ via ordinaria ab extraordinaria hîc ſi diſtinguatur penſiteturque, quî ex liberrimo arbitrio ſuo heic DEUS de peccatore diſponat huncque revocet ad pœnitentiam, illum ſecus œconomiamque ſuam hîc pro lubitu quoad quodvis ſubjectum mutet, totum hoc jurgium in bullas abeat.

§. XII.

In doctrinâ de peccatis actualibus, ubi quæritur, num & infantes habeant peccata actualia, res tota ad λογομαχίαν devolvitur, quæ facilè difflatur, ſi peccatum actuale ſtrictè ſic dictum, cum προαιρέσει & deliberatione conjunctum, & peccatum actuale latè acceptum, cùm quis ex vitio naturali atque imbecillitate congenitâ actionem ἄνομον motumque pravum nullo vel debili rationis uſu intercedente exerit, probè diſtinxeris. Poſteriore ſenſu acceptum peccatum nemo facile nec Romanenſis nec Remonſtrans nec Socinianus negaverit, cùm experientia doceat, infantes ab eo ſtatim tempore, ubi concupiſcentiâs ſuas atque deſideria exercere incipiunt, prava appetere atque inordinatis affectibus indulgere. Priore verò modo infantes peccare orthodoxi ne ſomniant quidem.

§. XIII.

§. XIII.

De peccatis venialibus & mortalibus notum eſt diſcrimen, quod orthodoxos à Romanenſibus diſtinguit. Illi nempe venialitatem peccati à ſubjecto peccante eoque converſo, hi ab actionis ipſius levitate & conſenſus imperfectione derivant. At verò & hîc (ignoſcat, quæſumus, benevolus lector, ſi logomachiarum campum hìc nimis amplificare videamur) magna de voce lis eſt. Mortale id dicitur, quod vel mortem meretur vel infert. Quùm verò utrumque ab æſtimio divino dependeat idque demùm re vera mortale ſit, quod vitam ſpiritualem exſtinguit, facilè patet, ita ex ſe & ſuâ naturâ comparata eſſe peccata quædam, ut vitam ſpiritualem haud jugulent, alia, ut eam non poſſint non jugulare, id quod ſanè & orthodoxi admittunt, dum peccata in leviora & graviora diſtinguunt. Quod ipſum diſcrimen ex rei quoque naturâ deſumtum eſſe quis negaverit? Jam verò & Romanenſes hîc vident, quòd falſam nobis adfingant ſententiam, ubi ajunt, nos ſtatuere, omnia peccata eſſe paria, & nos perſpicimus, quòd, ſi quæcunque etiam imperfectiones ſuâ naturâ mortales eſſe ſtatuendum ſit, & omnia bona opera, quæcunque fidelis peragit, naturâ ſuâ ſint mortalia, quoniam imperfecta. Quæ locutio utique ferri nequit.

§. XIV.

Num concupiſcentia prava Hebræis יצר הרע veri nominis ſit peccatum, ubi controvertitur, idem reſpondendum eſt, quod de peccato actuali eoque involuntario infantum diximus. Decidi quæſtio poteſt, prout peccatum definiveris. Si peccatum ſumatur pro **ἀνομία**, qui ſenſus Biblicus eſt, nemo eſt, qui dubitare poſſit, quid illico reſpondendum veniat. Si verò peccatum dicatur eſſe actus contra legem proæreticè commiſſus, qui ſenſus eſt philoſophicus, de primis concupiſcentiæ motibus, qui nobis haud advertentibus ſubnaſcuntur, ne quidem orthodoxus id adfirmaverit. Jam &, num baptiſmus peccatum originale ſive concupiſcentiam pravam tollat, facile ex hoc ipſo, quod heic diximus, patet. Reatum enim ejus tolli per baptiſmum, utraque diſſidentium pars adfirmat. Concupiſcentiam ipſam, quæ diverſo reſpectu peccatum utique dici poteſt vel non poteſt, tolli, utraque negat. Denique cùm quæritur, num peccatum originis conſiſtat in carentiâ juſtitiæ originalis an verò & in pravâ concupiſcentiâ, Romanenſes & Scholaſtici illam ſaltem non hanc peccatum originale nuncupant, nos verò ad utramque ſignificandam vocem ipſam adhibemus. Quis verò nobis vitio verterit, ſi in terminis, qui ut numi valent, ſimus faciles? At mirum tamen eſt, carentiam juſtitiæ originalis eamque involuntariam ab iis peccatum nominari, qui hanc vocem concupiſcentiæ pravæ denegant.

§. XV.

Digitized by Google

§. XV.

Peccatum originis num detur, contra Pelagianos, Pontificios, Remonſtrantes & Socinianos probè tenendum eſt, qui vel corruptionem iſtam labemque naturalem planè negant vel ſaltem plurimùm extenuant hominique vires bonum agendi naturales relinquunt. Peccatum originale qui ſubſtantiam hominis dixit Matthias Flacius, Illyricus, in Formulâ Concordiæ egregiè refutatus, abſurdâ dictione mentem ſaniorem extuliſſe videtur. Mariam, Matrem Chriſti Salvatoris pravæ quoque concupiſcentiæ motus ſenſiſſe, imò & actualiter peccâſſe indubium eſt ℵ. ex aſſertionibus univerſalibus *Joh.* III. 6. *Rom.* V. 12. 1. *Cor.* XV. 22. ב ex ſolius Chriſti exceptione 2. *Cor.* V. 21. *Hebr.* VII. 16. ג ex lapſibus Mariæ in Scripturâ S. notatis, qualis eſt incuria in puero JEſu amiſſo *Luc.* II. 43. πολυπραγμοσύνη in nuptiis Canæis, ubi à Chriſto fuit reprehenſa *Joh.* II, 3. 4. ut, quæ veteres addunt, loca *Matth.* XII. 46. ſqq. *Marc.* III. 31. taceamus. Unde patet, rectè Dominicanos heic contradixiſſe Franciſcanis, quorum tamen ſententiam deinde & Jeſuitæ ſuam fecere & tota ferè hodie tenet Eccleſia Romanenſis, poſtquàm Clemens XI. feſtum immaculatæ virginis *præcepit*.

§. XVI.

Jam verò ſententiam noſtram de imputatione peccati Adamitici ut dicamus, ordo poſcit.

Digitized by Google

Quæritur, num peccatum Adami primum, quod ſuit vetiti fructus manducatio, omnibus imputetur tùm quoad culpam tùm quoad pœnam? Id quod negârunt olim Pelagiani, negant hodie Sociniani, Arminiani & ex Reformatis maximè JOSUA PLACAEUS, quem cæteri, maximè GARISSOLIUS refutârunt, quibuſcum faciunt & noſtrates, qui ajunt, Adamum hic peccâſſe & ut caput naturale & ut morale ſive fœderale totius generis humani, id quod pateat ex *Rom.* V. 12. 18. 19. Itaque peccatum Adami & poſteris, quos repræſentaverit, & in quos & bona, quæ meruiſſet, ſi perſeverâſſet, tranſmiſſurus erat, imputatum fuiſſe Id quod etſi effatis ſacris *Ezech.* XVIII. 18. ſqq. *Jer.* XXXI. 29 30. etſi primis principiis moralibus, quæ dictitant, aliena peccata, quæ non commiſimus & quibus calculum noſtrum nullâ ratione adjecimus nec adjjicere potuimus, utpote, qui nondum exſtitimus, nobis propriè imputari non poſſe, niſi ea imitemur, contrarium eſſe videatur, etſi etiam τὸ ἐφ' ᾧ per *eò quòd* vertendum ſit atque *Rom.* V. 14 dicatur, poſteros Adami peccatum Adami haud peccaviſſe, etſi denique, cùm *Rom.* V. ſcopus Apoſtoli ſit, demonſtrare, Adamum peccati primum autorem eſſe, uti Chriſtus juſtitiæ ſit, abſtrahendo hactenus à modo, quo quiſque utriuſque Autor ſit, de propagatione, quod & Theologi noſtri antiquiores fecere, omnia iſta effata quò minus exponantur, nil repugnet fœduſque operum propriè ſic dictum adeoque

caput

caput fœderale propriè tale haud detur nec peccata majorum poſteris innocentibus ad pœnam æternam, licet temporalem, iiſque ſaltem & ipſis perſonaliter peccantibus imputata in ſacris literis legantur, ita tamen omnino, vel ipſis quoque adverſariis faſſuris, imputatio admittenda erit, ſi cum ÆGIDIO HUNNIO, Theologo Vitembergenſi præſtantiſſimo eodemque planè orthodoxo ajas, peccatum Adamiticum non immediatè nobis imputari, quaſi perſonaliter, individualiter & formaliter aut ad rationem cauſæ moralis à nobis quoque fuerit commiſſum, id quod & nemo orthodoxorum affirmat, ſed mediatè, quod per propagationem naturæ corruptæ & vitioſa ad malum inclinatio & mors in nos propagata (id quod & ipſe PLACÆUS cum reliquis diſſentientibus admiſerit,) nobisque adeò ad peccandum neceſſitas, ipſa hactenus nullam damnationem ſecum vehens, impoſita fuerit, quam tamen, DEO jam ſub Evangelio juvante, per Spiritum S. qui nobis conceditur, vincere cum ampliſſimo futuri præmii fœnore poſſumus. Ex quo ipſo & id patet, propagationem peccati, quæ, ſi per converſionem ſuperetur, ad eò majus præmium nanciſcendum viam ſternit, imputationem peccati primi neceſſario haud ſupponere. Quod reſtat, probè notandum, libros noſtros ſymbolicos modernum hoc de imputatione peccati Adamitici ſyſtema haud efferre huncque παιδείας τρόπον, juxta quem Adamus caput non tantùm naturale & ſeminale

Digitized by Google

ſed & morale atque fœderale, ipſiuſque adeò peccatum omnibus hominibus imputatum eſſe dicitur, ac ſi & ii ad fructum vetitum manum extendiſſent, atque titulo peccati originis donatur, veteribus Theologis noſtris Patribuſque Eccleſiæ certè haud familiarem eſſe. Id quod luculento nobis indicio eſt, orthodoxiæ ſepta non migrare, qui cum ſalis micâ accipiendum eſſe imputationis dogma exiſtimant. At verò inter noſtrates vel maximè hic conferas velim WOELFLINUM de lapſu Adami & PUFENDORFIUM *in Jure feciali* & Reverendiſſ. D. JÆGERUM in *Jure DEI fœderali*, qui omnes eruditiſſimè negotium hoc evolvunt, & PET. etiam MUSÆUM, qui nuper denuò apud nos lucem vidit, queis & addere convenit, quæ à venerando Parente noſtro hanc in rem paucos ante annos data fuere. Cæterum, ſi de infantibus quæratur, num ii propter impuritatem connatam ſint damnandi, ſine ulla rerum difficultate reſponderi poterit, caſum hunc in ſacris literis haud decidi adeoque ad judicii ſupremi arcana eſſe reſervandum. Id certum eſt, innocentes à DEO, juſto judice, haud condemnatum, nec ſalvatum quoque eos iri, qui, ubi credere potuere ubi media gratiæ ipſis præſentia fuere, haud credidere, denique omnes DEI œconomias nobis haud per ſpectas revelataſque eſſe.

§. XVII.

Quænam ſit cauſa peccati efficiens, haud ſine ratione quæritur. Quanquam enim Auguſtinus

ſtinus L. XII. de *Civitate DEI C. 5.* ajat : *Nemo quærat efficientem cauſam malæ voluntatis, non enim eſt efficiens ſed deficiens*, hoc ipſum tamen cum grano ſalis accipiendum eſt, cùm utique conſtet, voluntatem hominis pravos motus pravamque concupiſcentiam exerere, quæ non omiſſionem ſaltem boni ſed & commiſſionem mali inferunt. Et jam, ut ad rem ſtatim progrediamur, patet, DEUM nulla ratione cauſam peccati eſſe. *Pſalm.* V. 5. ſq. XLV. 8. *Jeſ.* LXV. 12. *Zach.* VIII. 17. 1. *Joh.* I. 5. *Jac.* I. 13. utpote qui ex ſua natura eſt puriſſimus ſanctiſſimuſque & peccantibus graviſſimas pœnas eſt comminatus. Nec eſt, quòd ajas, DEUM tamen ad actiones malas concurrere & quidem concurſu immediato, cùm conſtet ſecundum noſtros, eum neque ad peccati formale, quod eſt **ἀταξία**, neque ad ejuſdem materiale proximum, quod eſt determinatio inclinationis ad malum (quod permittere quidem gratiamque ſuam, quam dare homini potuerat, retrahere poteſt) ſed ſaltem ad materiale remotum, quod eſt vel inclinatio ipſa indifferens vel ejus exercitium cum **ἀταξίᾳ** haud ſpectatum, concurrere aut ad actiones pravas planè haud concurrere. Majorem pravæ ſententiæ ſpeciem affundunt, qui oggerunt, DEUM, qui præſciverit, hominem libero arbitrio malè uſurum, & qui lapſum ſine etiam liberi arbitrii humani diminutione impedire potuerit & vi ſanctitatis ſuæ debuerit, cùm peccatum haud impediverit, ejuſdem

Q 5 cauſam

cauſam moralem optimo jure dici poſſe, juxta verſum illum Thomæ Aquinatis:

> *Juſſio, conſilium, conſenſus, palpo*, *RE-CURSUS* i. e. concurſus,
> *Participans, mutus*, *NON OBSTANS*, *non manifeſtans*.

Sic difficilior utique ſolutu hæc redditur objectio, ſi conſideraveris, DEUM ſalvo libero hominis arbitrio & adaucto ſaltem *adjutorii ſine quo non* gradu aut ſupernaturali atque extraordinariâ primo homini gratiâ datâ vel demto ſaltem objecto ſeducente hominem à lapſu præſervare potuiſſe, unde quippe reſponſio illa de libero arbitrio, quod aliàs ſublatum fuiſſet, cadit. At præterquàm quod ſi DEUS ita hominem præſervâſſet, nec juſtitia nec miſericordia divina ſeſe unquam exerere potuiſſet, nec ulla hominis exploratio, nullum præmium, pœna nulla adeoque nullum judicium locum habuiſſet, non opus eſt, ut omnia heic dubia ſolvamus atque in abyſſum conſiliorum divinorum nobis incognitorum deſcendamus, queis hoc in genere ſufficit, noſſe, DEUM peccati autorem nec eſſe nec eſſe poſſe. At verò, ubi dicta ſcripturæ S. afferuntur, ex quibus DEUM eſſe peccati cauſam elucefcat *Act*. II. 23. IV. 27. 28. *Exod*. XI. 2. 1. *Sam*. II. 25. *Rom*. I. 23. 24. *Amos* III. 6. *Jeſ*. LXIII. 17. 2. *Sam*. XII. 11. 12. *Pſalm*. CV. 25. 1. *Reg*. XII. 15. *Exod*. IV. 21. *Rom*. IX. 18. ut alia loca taccamus, patet, illa vel planè non

Digitized by Google

non de peccatis ſed ſaltem de determinatione eorum ad bonum finem aut permiſſione, ſubtractioneve gratiæ divinæ aut malo pœnæ non culpæ agere. Cæterùm qui DEUM peccati autorem fecere ex antiquioribus, fuerunt Simoniani, Valentiniani, Marcionitæ, Manichæi. Ex recentioribus verò iis hæc ſententia à noſtratibus communiter adſcribitur, qui prædeterminationem voluntatis humanæ ad malum vel phyſicam vel moralem à DEO fieri ſtatuunt, id quod ex Romanenſibus Scholaſtici plurimi, quos Thomiſtas, ex Reformatis verò haud exigua pars facit, de quibus tamen probè velimus notari verba, quæ decreto publico in Synodo Dordracenâ Art. 15. de prædeſtinatione elata fuere: *DEUM peccati autorem conſtituere cogitatu blaſphemum eſſe.* Ita & ii tùm ex Scholaſticis, tùm ex Reformatis, tùm ex noſtris erravere, qui ſtatuerunt, DEUM eſſe cauſam peccati per accidens, quoniam concurrat ad actum hominis, qui præter intentionem divinam ſit peccaminoſus. Quatenus enim DEUS concurrit, eatenus eſt cauſa per ſe nempe τῦ materialis remoti, quod eſt in actione. Ad formale verò actus cum planè non concurrat, neque eſt ipſius cauſa per ſe neque per accidens, cum etiam cauſa per accidens ſit vera cauſa, utpote quæ re verâ in effectum influit, etſi vel ſub hoc aut illo charactere non influat, vel præter intentionem influat, quod ultimum, cùm imper-

perfectionem ponat, de DEO utique dici nequit.

§. XVIII.

Solet etiam hic quæri: an omnes actiones per ſe indifferentes ſint, nullæ naturâ ſuâ malæ, & an omne peccatum ſolâ DEI voluntate tale ſit? Ubi contra Scholaſticos quoſdam, inter quos eminent Petrus Alliacenſis & Durandus, itemque Szydlovium omnes hodie in affirmativam deſcendunt moralitatemque objectivam, quam vocant, ſtatuunt, ab ipſo quoque PETRO BÆLIO, quod mireris, aliquando adoptatam, Pufendorfio tamen, Thomaſio imò & eodem Bælio alibi aliiſque ſolam formalem admittentibus. Jam verò lis hæc tota vel ſcholaſtica ſaltem eſt adque abſtractiones metaphyſicas devolvitur, vel hùc redit: Num DEUS e. g. præcipere poſſit blaſphemiam? Id quod idem eſt ac quærere: Num DEUS contradictoria facere poſſit aut facere, ut non ſit DEUS, aut potius, num poſſit facere idem, ut, quod velit, nolit? Sed tricæ hæ ſunt, indignæ ferè, quas hic adponamus. Addamus, agedum, ſub finem hujus articuli ſolidiora.

§. XIX.

Quæcunque hùc ex libris noſtris ſymbolicis pertinent, in unum Rechenbergius in *appendice* p. 136. ſqq. coarctavit, apprimè cum iis, quæ dedimus, conſentientia, niſi quod λογομαχίας hic latius evolutas nos dederimus. Hiſtoria dogmatis hujus dari alia nequit quàm ea, quæ peccatum originale, peccatum in Spiritum

Digitized by Google

ritum S. & liberum arbitrium concernit. De primo conferendus eſt poſt GARISSOLIUM DANIEL WHITBY in tractatu de *imputatione divinâ peccati Adami poſteris ejus univerſis in reatum*, qui Londini A. MDCCXI. prodiit, ubi addenda ea veniunt, quæ JONATHAN EDUARDI, Theologus Oxonienſis in adverſam partem ſcripſit, ut taceamus Autores ad litem Pelagianam ſpectantes, quos magno numero in *primit. Tubing. P. I. diſſ. de gratiâ & prædeſtinatione* allegavimus. Veterum verò opiniones de peccato in Sp. S. noſmet ipſi poſt QUENSTEDIUM ſatis luculenter exhibuimus. Qui denique doctrinam de libero arbitrio ſpectant fontes, & in ipſis illis *primitiis Tub.* abunde ſatis aperti ſunt.

§. XX.

At verò hoc planè præcipuum in hoc articulo non eſt, ut litibus, quæ huc pertinent, digerendis gnaviter inſudemus. Satius utique fuerit, ſi, non tamen neglectâ theoreticâ rerum evolutione, peccatum, quod nos circumfundit, *Hebr.* XII. 1. ſub jugum mittere indefeſſâ operâ tentemus. Sed enim o miſeros nos, qui hujus mortis corpore, qui naturali illâ labe & peccato illo, quod ſemper nos comitatur, undique premimur, miſeriores verò, imò longè miſerrimos, ſi voluptatibus pravis praviſque deſideriis noſtris locum demus atque ita judicium, quod nobis incumbit, culpamque noſtram

Digitized by Google

ſtram augeamus. Et jam, ubi teterrimam iſtam mentis noſtræ faciem, quæ nobis jam connaſcitur, ubi miſerrimum iſtum, in quo proh dolor! ſumus, ſtatum conſpicimus, quidni, medelam rebus ipſo DEO per JESUM CHRISTUM Salvatorem Spiritumque ſanctum adferente, ad animorum noſtrorum mutationem reſipiſcentiamque citatis greſſibus feſtinemus damnemuſque ex toto pectore peccatum, quo ſauciati incedimus, novâque mente induti agamus operam, ne, quod ſemel ſub jugum miſimus, iterum nobis obrepat. Quin & continuo illud odio in poſterum proſequendum & cane pejus & angue fugiendum nobis eſt, maximè verò cavendum, ne, dum peccatis voluntariis gravioribuſque indulgemus, induratio, quæ deſperatum ferè malum eſt, iræ divinæ penitus nos mancipet. Et facilè quidem hæc omnia exequi poterimus, ſi ſaltem ſerium rebus propoſitum afferamus, nec noſtris viribus, quæ nullæ ſunt atque ad reſiſtendum ſaltem aptæ, ſed viribus divinis, quas largiſſimas divina gratia dare nobis avet, *Phil.* II. 13. 2. *Pet.* I. 3. ſqq. fidamus totique inhiemus, precumque, queis remiſſionem peccatorum, queis adjutorium ſpirituale, queis liberationem à malo, queis adventum regni divini in animos noſtros pleniſſimum, queis quævis gratiæ dona jugiter expetamus, aſſiduo ſtudio indulgeamus, & vigilantiâ armiſque ſpiritualibus macti in præ-

ſentia

Digitized by Google

ſentiâ divinâ ſemper ambulemus atque cum eo, qui ſanctiſſimus eſt, ſuaviter uniti & noſmet ipſi nil niſi ſanctitatem ſpirare diſcamus. Ita verò, ubi primùm reatus peccati per fidem in Chriſtum ſublatus fuerit, poſteà dominium quoque peccati tolletur, donec tandem in nobis fomite quoque atque inhabitatione demtâ, pleniſſima lux ſanctitaſque mentibus noſtris acceſſerit, quam omni, quo poſſumus, affectu deſiderioque jam anhelamus.

INSTITUTIONUM THEOLOGIÆ DOGMATICÆ

PARS SECUNDA.

CAPUT I.

DE DECRETIS DIVINIS,

maximè DE PRÆDESTINATIONE & REPROBATIONE.

§. I.

Qui itaque jam ædificii Theologici præcipuam illam partem, quæ ingredientibus ſtatim

ſtatim patet, attentis oculis luſtravimus, ad altiora mox attollimur atque de decretis divinis difficilem inſtituimus & arduam diſquiſitionem. Et verò quis, dum hoc nunc agimus, vitio nobis, niſi moroſiſſimus ſyllabarum eventilator, verterit, ſi, ipſam hanc ſcalam dum jam aſcendimus, verba iſta Paulina anxio animo ſedulàque mente ponderemus, quæ in epiſtola ad Romanos C. XI. comm. 33. 34. exſtant: *O profunditatem divitiarum & ſapientiæ & cognitionis DEI! Quàm imperveſtigabilia ſunt judicia ipſius & imperſcrutabiles viæ ipſius? Quis enim novit mentem Domini?* Non itaque eſt, quòd rationi noſtræ frena heic laxemus atque multa heic determinemus, quæ ingenii noſtri limites excedunt, aut quòd eas jam poſitiones in medium afferamus, quæ magno anathematum clypeo adverſus diſſentientes muniantur. Non ea nobis, queis & veritas & pax eccleſiaſtica cordi eſt, mens ſedet. Afferemus ea, quæ magis ædificant.

§. II.

Et quidem id ante omnia heic præmonemus, nos, ſi naturæ ordinem heic prorſus ſequi voluiſſemus, de decretis divinis acturos fuiſſe, antequam ad tractationem de operibus divinis deſcendiſſemus. Aſt, cùm in decretis divinis, e quibus creationem & conſervationem jam evolvimus, præcipua, quæ litis materiam hominibus præbuere, ſint prædeſtinatio & reprobatio,

Digitized by Google

tio, ad eam Theologiæ dogmaticæ partem ſpectare tota hæc evolutio nobis videtur, quæ de reparatione generis humani lapſi agit, ubi profectò hominis creatio & lapſus peccatumque ab eodem commiſſum jam ſupponitur.

§. III.

Nolim verò, ut in quæſtione illâ ſubtili: Num decreta divina ſint ipſe DEUS? evolvendâ tempus ſub initium ſtatim teramus. Sunt, qui id affirmant, Scholaſtici noſtrique, certo innixi hoc principio: DEUM eſſe ens ſimpliciſſimum, in quo nulla dentur accidentia, eſſe & illum actum puriſſimum, in quo nulla à parte rei rerum actionumve reperiri diverſitas poſſit, hinc decreta, prout ſpectentur ut actus in DEO immanentes, ab eſſentiâ divinâ realiter non differre, at verò, prout conſiderentur, uti terminentur in objectis extra DEUM poſitis & uti à nobis conſideranda ſint, utique ab eſſentiâ divinâ differre. At ſunt & alii, qui in negativam hîc deſcendunt ajuntque, decreta divina, quia ſint actiones & effecta liberæ voluntatis divinæ, ipſum DEUM, qui ſui ipſius effectus eſſe nequeat ſitque ens ſummè neceſſarium, eſſe non poſſe, quod qui affirmant, exiſtimant quoque, decreta divina non eſſe abſolutè æterna, cùm omnis effectus liber cauſâ ſuâ tempore poſterior ſit æternumque omne ſimul quoque ſit neceſſarium. Atque ita Sociniani & Remonſtrantes philoſophantur.

phantur. At verò quis eſt, qui non videat, meras has eſſe tricas, quæ Theologiæ Studioſis ſolvendæ objiciantur viamque gradientibus impediant. Itaque, ſi ſapere velimus, in unum faſcem conjectas argutias haſce per feneſtram projicimus atque tanquàm σκύβαλα pedibus proculcamus idque unicum monemus, decreta divina, prout ipſum volitionis divinæ immanentem actum ponunt, ipſum DEUM eſſe, id quod nec diſſentientium quiſquam negaverit, niſi confuſis hic rerum conceptibus indulgeat, at verò, prout volitionis hujus determinationem ad certa quædam objecta, quæ extra DEUM ſunt, ſignificat., aliâ longè ratione ſpectanda eſſe.

§. IV.

Sequitur, ut decretorum divinorum varias diviſiones demus. Ita alia ſunt generalia, alia ſingularia, abſoluta alia, alia conditionata, quæ ipſa nec cum DEI omnipotentiâ nec præſcientiâ nec immutabilitate nec providentiâ pugnant, præceptiva alia, alia permiſſiva, occulta alia, alia revelata. Porrò decreta divina à præceptis itemque ab executione ſuâ probè diſtinguenda eſſe ipſa res docet.

§. V.

Jam & ordo poſcit, ut decretorum divinorum ordinem genuinum brevitate rebus adhibitâ ineamus. Is verò, ſi paucis res à nobis tangenda veniat, hic ferè eſt. Decrevit DEUS א creare mundum atque in eodem entia rationalia, Angelos & homines, ad ſui gloriam

riam ſuorumque attributorum manifeſtationem, ב permittere utrorumque lapſum ג Angelos bonos in bono confirmare, malos pœnâ eâque in ſeculorum ſecula duraturâ afficere ד hominibus omnibus lapſis dare media, queis ad ſalutem pervenire poſſint, mittere maximè Salvatorem Chriſtum, qui omnes redimeret, vocare & omnes ad ſalutem, ה eos, quos prævidit in Chriſtum credituros,ſalvare, eos, quos prævidit in Chriſtum non credituros,damnare. Hæc quinque decreta ſunt præcipua illa, de quibus quæritur. Cætera enim facile jam illis inſeri poſſunt, ubi hæc ſaltem obſervanda eſt immota regula: ordinem decretorum divinorum ab ordine executionis deſumendum eſſe. Nolimus verò, quenquam exiſtimare, in DEO ipſo ordinem ejuſmodi decretorum dari, quem novimus uno eodemque puriſſimo actu, qui ipſemet eſt, omnia ſimul velle. Dicuntur hæc omnia ſaltem ita IN SIGNO RATIONIS, ut imperfectioni noſtræ conſulamus, quæ omnia hæc uno ictu comprehendere nequit ſed unum poſt alterum conſiderare neceſſum habet, licet id ſine fundamento in re haudquaquam fiat. Hinc ad λογομαχίας hanc ob rationem haudquaquam releganda venit hæc de ordine decretorum divinorum lis, ubi inter eos, qui Auguſtanam Confeſſionem tenent, queis & Remonſtrantes hic aſſentiuntur, & Reformatos diſputatio nectitur. Hi enim aliam heic à noſtrâ viam ineunt, ipſi

tamen & in diverſas ſententias diviſi. Supralapſarii enim ſtatuunt, primo DEUM decreviſſe, miſericordiam & juſtitiam ſuam declarare, miſericordiam quidem in quibuſdam ſalvandis, juſtitiam verò in quibuſdam perdendis. Quem finem ut aſſequeretur, voluiſſe eundem, ut in uno homine omnes ejus poſteri ſeu totum genus humanum fierent miſeri, adcóque hominem primùm creare conſtituiſſe cum juſtitia originali ſed mutabili, ejus lapſum permittere eumque omnibus poſteris, quos ex ipſo continuâ generatione voluerit procreari, imputare, porrò, ut obtineret glorificationem gratioſæ miſericordiæ, voluiſſe certos quoſdam ex iſtis hominibus ex lapſus miſeriâ liberare per Chriſtum eumque iis ponere Redemtorem, eoſdem & ad ipſum vocare per fidem efficaciter, juſtificare, ſanctificare atque æternâ beatitudine glorificare, è contrario verò, ut obtineret glorificationem juſtitiæ, voluiſſe alios quoſdam homines certos in iſta miſeriâ relinquere, iiſdem negaſſe æterno ſuo conſilio Chriſtum Mediatorem, negâſſe vocationem per fidem, juſtificationem & ſanctificationem atque voluiſſe tùm propter communem illam miſeriam in peccato originali tùm propter peccata quævis actualia æternùm eos damnare. At infralapſarii hoc fidei ſyſtema hìc ponunt Deumque decreviſſe ajunt, primò mundum & in eo hominem creare, porrò lapſum hominis prævi-
ſum

Digitized by Google

ſum permittere, rurſus lapſorum quoſdam ex benevolo affectu voluntatis ſuæ in Chriſto ſervandos eligere, reliquos ex juſtitiâ propter peccata reprobare, quin & poſtea electis Mediatorem deſtinaſſe, qui juſtitiæ divinæ pro peccatis ipſorum ſatiſfaceret, quo factum ſit, ut DEUS homines quidem promiſcuè, reprobos & electos externè, aliquouſque etiam internè & efficaciter ad fidem & ſalutem vocet, electos verò juſtificet, ſanctificet, glorificet, reprobos autem propter peccata, non originale tantùm ſed & actuala æternùm damnet. Quæ omnia ſi ita ſe habeant, patet, DEUM juxta Reformatos א omnium ſalutem haud velle, ſed ſaltem quorundam ב Chriſtum pro omnibus paſſum haud fuiſſe ג nec vocationem eſſe univerſalem, ד diſtinctionem inter voluntatem DEI antecedentem juxta quam DEUS omnes homines ſalvos vult hâc tamen ſub τάξει, ut per fidem in Chriſtum viam ſibi ad ſalutem parent, & conſequentem, juxta quam DEUS eos ſalvat, qui credunt, eos reprobat, qui non credunt, (quæ poſterior voluntas judiciaria eſt,) nullam eſſe, ה fidem prævisſam electionis cauſam moventem haud eſſe ſed voluntatem DEI abſolutam, cujus nulla dari queat ratio, heic utramque paginam facere. Atque hæ ſunt poſitiones illæ, ubi à Reformatis hactenus, qui Auguſtanam Confeſſionem tenemus, diſſidemus. Etſi enim ab hypotheſibus durioribus Supralapſariorum &

Sublapſariorum abierint tùm Hypothetici tùm Univerſaliſtæ, numerum tamen hi præcipuum non faciunt neque etiam penitus heic nobiſcum conveniunt, id quod cùm in *primitiis Tubingenſibus* P. *I. p. 115. ſqq.* ſufficienter extulerimus, jam haud ampliùs repetimus.

§. VI.

Hiſce præſuppoſitis ſententia orthodoxa de prædeſtinatione & reprobatione paucis ſic traditur. I. DEUS univerſali quâdam benevolentiâ atque miſericordiâ totum genus humanum complexus eſt, omniumque hominum ſalutem ſerio decrevit, hâc tamen ſub τάξει, ut in Chriſtum credant. Unde hoc decretum abſolutum non eſt ſed ordinatum. *Joh.* III. 16. 1. *Tim.* II. 4. *Rom.* XI. 32. 2. *Pet.* III. 9. *Ezech.* XVIII. 22. 23. 32. Et hæc eſt voluntas antecedens ſc. fidem vel incredulitatem hominis. II. DEUS omnibus hominibus Salvatorem miſit, qui eos, nullo excepto, redimeret. 1. *Joh.* II. 2. 1. *Tim.* II. 6. IV. 10. 2. *Pet.* II. 20. *Hebr.* VI. 4. ſq. III. DEUS omnes homines in tempore tàm ad gratiam quàm ad gloriam vocare decrevit *Matth.* XXVIII. 19. *Act.* XVII. 30. 31. *Col.* I. 23. IV. DEUS finaliter in Chriſtum credituros (atque heic ſe ſtatim exerit voluntas conſequens) ab æterno ad ſalutem prædeſtinavit. *Eph.* I. 4. ſqq. Ubi nota, a prædeſtinationem & electionem dici & inſcriptionem

ptionem in librum vitæ *Dan.* XII. 1. *Ex.* XXXII. 32. *Phil.* IV. 3. *Apoc.* III. 5. XVII. 8. XX. 15. *Luc.* X. 20. *Hebr.* XII. 23. β prædeſtinationem dici vel lato ſenſu vel ſtricto, priore quidem eſſe & univerſalem eandemque cum benevolentiâ DEI univerſali, quo ſenſu *Formula Concordiæ p. 802. ſqq.* & Theologi Tubingenſes olim ſubinde eam ſumſere, poſteriore *πρόθεσιν, πρόγνωσιν* & *ἐκλογὴν* ſive *προορισμὸν* inſinuare, quatenus nempe decretum divinum generale ad hæc vel illa ſubjecta adplicatur *Rom.* VIII. 28. ſq. γ cauſam efficientem eſſe DEUM Patrem *Rom.* VIII. 29. *Eph.* I. 3. 4. 5. Filium *Joh.* XIII. 18. XV. 16. 19. & Sp. S. 2. *Theſſ.* II. 13. cauſam moventem DEI beneplacitum & gratiam *Eph.* I. 5. 6. *Rom.* IX. 15. 16. 2. *Tim.* I. 9. & meritum Chriſti fide apprehenſum *Eph.* I. 4. 5. idque prævisum *Rom.* VIII. 29. 1. *Pet.* I. 20. unde & electio ex prævisâ fide fit 2. *Theſſ.* II. 13. 1. *Tim.* I. 16. *Jac.* II. 5. δ objectum eſſe non Chriſtum, non Angelos, ſed homines finaliter credituros *Apoc.* II. 10. *Marc.* XIII. 13. ε finem prædeſtinationis eſſe gloriam DEI vitamque electorum æternam 1. *Pet.* II. 9. *Matth.* XXV. 34. *Act.* XIII. 48. *Eph.* I. 6. ζ electionem eſſe vel formalem ſive eorum, qui in fide ſunt *πρόσκαιροι* vel finalem ſive eorum, qui in fide perſeverant *Matth.* XXIV. 13.

2. *Pet.* I. 10. η electionem eſſe æternam *Matth.* XXV. 34. *Eph.* I. 4. 2. *Tim.* I. 9. 2. *Theſſ.* II. 13. particularem *Matth.* XX. 16. immutabilem 2. *Tim.* II. 19. ϑ electos eſſe paucos *Matth.* XX. 16. XXII. 14. labiles 1. *Cor.* X. 11. *Pſ.* LI. 13. *Ezech.* XVIII. 26. *Hebr.* III. 14. *Gal.* V. 4. 1. *Tim.* I. 19. certos de ſalute non abſolutâ ſed ordinatâ certitudine *Luc.* X. 20. *Rom.* VIII. 38. 39. 2. *Tim.* IV. 7. 8. finaliter utpote credituros. *Apoc.* II. 10. *Matth.* X. 22. V. DEUS finaliter incredulos damnare decrevit. *Marc.* XVI. 16. *Joh.* III. 18. 2. *Theſſ.* I. 6. id quod ad voluntatem DEI conſequentem judiciariam pertinet, cujus œconomia à libero DEI arbitrio plurimùm dependet. Objectum ſunt vaſa iræ, quæ ſuâ culpâ ſe ad interitum aptavere *Rom.* IX. 22. Finis eſt juſtitiæ divinæ manifeſtatio *Rom.* IX. 17. 22.

VII.

Articuli hujus hiſtoriam multis hîc condere ſupervacaneum foret. Qui noſſe eam avet, *primitias* noſtras *Tubingenſes* conſulat, ubi P. 1. ſpecimen hiſtoriæ dogmaticæ in articulo de gratiâ & prædeſtinatione exhibuimus. In *Formulâ concordiæ* hanc in rem *articulus* XI. inſpiciendus venit, eo conſcriptus tempore, ubi nondum lis iſta de abſoluto decreto cum Reformatis agitata fuit. Cæterùm nemo neſcit, quantum inter Eccleſias Proteſtantes heic verſetur ſententiarum diſſidium. Id quod etſi tantiſper

Digitized by Google

tantiſper fuerit diminutum, ubi Theologi quidam Reformati, quos Univerſaliſtas vocant, maximè Francofurtani illi, STRIMESIUS & HOLZFUSIUS propius nobis acceſſere, id quidem jam nos haud urgebimus, qui facilè perſpicimus, à potiore parte juxta canonem logicum faciendam eſſe denominationem, ubi profectò certiſſimum eſt, majorem Theologorum Reformatorum numerum ad Particulariſmum gratiæ & Infralapſarianiſmum defendendum & hodie provolare. Nec diffitemur, plurimùm nos optare atque calidiſſimis votis expetere, uti, qui heic diverſa à noſtris caſtra formant, vel tandem in mutua nobiſcum oſcula ruant & abſoluto decreto res ſuas habere juſſo nobiſcum gratiæ univerſalitatem agnoſcant. Id enim eſt, quod unionem Eccleſiarum miris ſanè modis promoturum eſſet, quâ res Eccleſiarum Proteſtantium maximam utique acceſſionem caperet. At verò ubi in unam eademque ſententiam convenire nondum poſſumus, nil reſtat, quàm ut ad tolerantiam mutuam animos vertamus. Nec dixerit quis, Reformatos heic FUNDAMENTALITER ERRARE. Qui enim abſolutum decretum ſaltem in theoriâ ſtatuunt atque in praxi in contraria omnia abeunt abſolutumque reprobationis decretum nemini ante mortem impingunt ſed potius omnes electorum in numero ponunt, nec de quoquam aliam ſententiam facilè fovent;

R 5 qui-

quicunque porrò aliis egregiis doctrinis, qualis maximè illa eſt de teſtimonio interno Sp. S. quo de gratiâ electionis certi reddimur, & de criteriis fidei, item de verâ fidei, converſionis ſanctificationiſque indole, ut alias taceamus, quicunque, inquam, aliis egregiis veritatibus, quas nobiſcum poſſident, abſoluto decreto omnem nocendi vim, quæ in animos ſubinde influere poſſet, omneque periculum, quod ſolitariè ſpectatum illud ſaluti allaturum eſſet, adimunt, quicunque rurſus, noſtris etiam conſentientibus, licet abſolutum decretum ſtatuant, tamen & ſalvari poſſunt & actu ſalvantur, ita, ut eorum, qui apud Reformatos ob abſolutum decretum in deſperationem labantur, nullus texi index poſſit & exempla hanc in rem ſaltem frequentia haud exſtent, illi, alias jam ut rationes taceamus, fundamentaliter errare dici nequeunt. Quin & in ipſâ *concordiæ formulâ* nominatim contra Theologos Reformatos nihil heic deciſum legitur, utpote poſt quam ſcriptam lis demùm hæc acrior exarſit ſyſtemaque præſens, quod tenemus, explicatius traditum eſt. Et eſſet profectò ad pacem Eccleſiæ dandam conſultum oppidò, ſi JO. BRENTII, ſi & JACOBI ANDREÆ, Virorum ὀρθοδοξοτάτων & quos tota Eccleſia noſtra tanquam lumina veritatis admiratur, mentem hic omnes ſequerentur & ab abſtruſis ſubtilibuſque controverſiis, ubi in arcana providentiæ & ſapientiæ divinæ deſcendimus, manum

num abſtraherent nec prædeſtinationem A PRIORI ſed A POSTERIORI ſaltem rimarentur, qua re tota uno halitu lis diſſlata in auram abiret. Id quod vel eapropter neceſſarium eſſe quivis videt, quoniam ipſe PAULUS Apoſtolus hic exclamat *O altitudo Rom. XI. 33.* omneſque, qui jam hoc de articulo magnas inter ſe lites movent, tandem, quicquid etiam agant, in idem *βάθος* vel inviti inſpiciunt inque libero DEI arbitrio acquieſcunt, id quod in fine diſſertationis de *gratia & prædeſtinatione* à nobis editæ luculenter oſtendimus. Nolimus itaque, ut, qui de abſoluto decreto contra Reformatos diſputat, dogma hoc ſolitariè & in abſtracto ſpectet, ubi haud negaverimus, periculoſum id oppidò eſſe & ſaluti nocere. Si verò in concreto res conſideretur, & prout cum aliis eximiis veritatibus, quæ abſoluti decreti vim ſubruunt, iſtud connectitur, longè alia controverſiæ hujus ſcena emergit. Explicemus mentem noſtram datà inſtantià. Mercurius ſublimatus primarium inter venena locum occupat, ſi verò debito modo præparetur viſque nocendi ipſi affuſo Mercurio vivo per novam ſublimationem adimatur, in medicinam præſtantiſſimam evadit, ſaltem venenum amplius non eſt. Idem hoc poſterius eàdem ratione de abſoluto decreto affirmaverim. Scilicet venenum omne, ubi antidotum ſtatim adjunxeris, venenum amplius non eſt, utpote quod veneni formam perdiderit. At verò optandum utique foret, uti

jam

Digitized by Google

jam ſupra diximus,ſi aliam in ſententiam heic Viri præſtantiſſimi nobiſcum deſcenderent atque univerſalem DEI gratiam, quod jam quidam factitavere, agnoſcerent. Nec dubitamus, fore, qui, dum tantoperè pacem Eccleſiarum expetunt, antiquas ſententias ſenſim ſenſimque deponant. Etſi enim ſubinde ſint, qui haud parvo adhibito rigore contra noſtrates heic calamum ſtringant inter eos quoque, qui irenica conſilia in medium proponunt, Iliacoſque intra muros & extra hìc peccetur, etſi etiam dentur adhucdum inter Reformatos, qui Supralapſarianiſmum ſtatuant, DEO planè indigniſſimum, rigidique in Particulariſmi defenſione ſint, tùm in Helvetiâ, tùm & in Germaniâ, tùm in Belgio, tùm in Angliâ quoque, neſcio tamen, quæ ſpes nos jam erigat, fore, ut, dum in omni re literariâ, dum &, rem religionis quod attinet, ſeculum mutari innovarique videmus, & hæc controverſia aliam faciem nanciſcatur & antiqua lis, veritate rebus inductâ, ſenſim ſenſimque ſepeliatur. Atque ex his omnibus conſpicere eſt, quantoperè à ſyncretiſmo, qui unionem eccleſiaſticam poſito diſſenſu fundamentali quærit, nos abhorreamus. Non ii nos ſumus, qui hanc in arenam deſcendamus, in quâ qui pugnavere hactenus, vulnerato & ſaucio ſemper capite è pugnâ egreſſi fuere. Neque etiam hanc in rem contentionis ſerram reciprocare cum diſſentientibus (ſi quidem diſſentire hìc à nobis cum ratione quiſquam

quam

Digitized by Google

quam poſſit) nobis volupe eſt. Nec ſanè & à communi viâ, quam Theologi noſtri hactenùs trivere, heic abimus, cùm, quicunque hactenus abſolutum decretum inter errores fundamentales retulere, illud IN ABSTRACTO ſaltem & SOLITARIE, non IN CONCRETO & prout veritatibus aliis iiſque planè ſalutaribus dilutum eſt, ſpectaverint. Aſt hæc ſaltem ὡς ἐν παρόδῳ hîc ponimus.

§. VIII.

Jam, quæ de decretis divinis, quæ de prædeſtinatione, quæ de reprobatione ex ſacris literis dici poſſunt, ampliſſimas nobis meditationes practicas fundunt, quas ſic in compendium quoddam redactas heic ſiſtimus. Et primò quidem, uti jam innuere cœpimus, cavendum heic nobis eſt, ne in arcana ſapientiæ divinæ, quæ perſcrutari nefas eſt, heic deſcendamus inutileſque heic lites ſeramus, quæ Eccleſiæ, quæ nobiſmetipſis, quæ denique & veritati (etenim rigidâ contradictione & anathematiſmis, uti experientia docet, veritas diſſentientibus haud inſtillatur, utpote cui inſinuandæ manſuetior ſtylus adhiberi debet,) plurimùm noceat. Quin ubi ex utrâque parte difficultates ſeſe oſtendunt inſuperabiles inſolubileſque, quod & in *primitiis Tubingenſibus* jam, præeunte Theologorum choro, adfirmavimus, nil reſtat, quam ut moderatione rebus adhibitâ in profundâ amoris judiciorumque divinorum admiratione hîc acquieſcamus,

Digitized by Google

mus, atque illud Paulinum probè hìc nobis imprimamus, quod ita habet: VIDE IGITUR BONITATEM ET SEVERITATEM DEI, SEVERITATEM ERGA LAPSOS, BONITATEM ERGA TE, SI ILLI TE ACCOMMODES, NAM ALIAS ET TU EXCIDERIS. *Rom.* XI. 22. Qui itaque jam videmus, DEUM duplici ſub ſchemate hìc nobis ſeſe ſiſtere, uti Patrem & uti Judicem, operam agedum agamus, & ordini ſalutis locum demus atque omne eò ſtudium noſtrum convertamus, ut in Chriſto, qui ſalutis noſtræ fons unicus eſt, Patri placeamus & bonis inſuper operibus, quibus electionem noſtram firmam reddamus 2. *Pet.* I. 10. oppidò floreamus. Nec ſanè, ſi peccatis ſaltem valedicere aveamus, eſt, quod de gratiâ DEI dubitemus, utpote quibus pleniſſimum heic ſolatium affunditur, ubi & benevolentiam DEI, quâ, diſcrimine nullo hìc adhibito, nos peccatores is jugiter complectitur, & reconciliationem per Chriſtum factam, quæ itidem pro toto mundo facta eſt, & vocationis divinæ jugem repetitionem, quâ peccatores ad pœnitentiam revocantur, piâ mente nobiſcum cogitando verſamus. Et verò ingratiſſimos nos planeque imprudentiſſimos atque ſtolidiſſimos, niſi gratiæ divinæ vocanti illicò pareamus. Qui enim beneficium hoc, quo majus cogitari haud poteſt, pedibus proculcamus, horrendum nobis

Digitized by Google

nobis reprobationis judicium inducimus atque in æternæ pœnæ barathrum nos, quà ſtultitiâ utique major haud exprimi poteſt, præcipites damus. Quidni potius eam anhelemus in divinæ gratiæ poſſeſſionem pervenire, ubi certò noſſe nobis detur, nomina noſtra in cœlis ſcripta eſſe, ubi Spiritus S. hæreditatis futuræ arrhabona ſeſe nobis ſiſtat, ubi pleniſſimus amoris divini ſenſus nobis affulgeat, èx quo conſpicere nobis ſit, DEUM nunquam nos neglecturum vel deſerturum eſſe, neminemque eſſe, qui ab ejus amore nos abſtrahere valeat *Rom.* VIII. 38. 39. 2. *Tim.* II. 15. utpote cujus de ſalvandis fidelibus decretum planè immutabile ſit.

CAPUT II.
DE FOEDERIBUS ET TESTAMENTIS DIVINIS VARIISQUE EORUM OECONOMIIS.

§. I.

A decretis divinis ordo naturalis nos ad eorundem executionem deducit. Itaque, qui

Digitized by Google

qui de creatione & conſervatione ſufficienter jam in priore libro egimus atque de reparatione generis humani lapſum inſecutâ hîc mentem noſtram latius explicamus, primùm quidem de fœderibus & teſtamentis divinis tractationem inſtituimus. Agendum itaque eſt I. de fœdere operum, quod cum Adamo DEUS iniiſſe dicitur. II. de fœdere inter DEUM Patrem & DEUM Filium inito, quod reparationem generis humani ſpectat. III. de fœdere gratiæ inter DEUM & homines lapſos inito, de teſtamento veteri & novo variiſque teſtamenti veteris œconomiis. Rem paucis, quoniam prolixitas heic neceſſaria eſſe haud videtur, tradamus.

§. II.

Et verò de fœdere operum in priore jam libro agere poteramus, maximè cum illud cum homine ante lapſum initum fuerit, heic verò ea ſaltem, quæ ad reparationem generis humani ſpectant, nobis evolvenda veniant. At melius nobis fore viſum eſt, ſi totam de fœderibus divinis tractationem in unam maſſam conjiceremus atque in unum idemque rerum ſyſtema compingeremus.

§. III.

Primus, qui noſtros inter Theologos de fœdere operum data opera egit atque in juſtum ſyſtema, quicquid hùc pertinet, fudit, (jam enim ante ipſum fuere, qui hujus fœderis lu-

cu-

Digitized by Google

culenter ex noſtris meminere, maximè WOEL-FLINUS,) exſtitit JO. REINH. HEDINGERUS, qui in *diſſertatione* A. 1686. hìc loci defenſâ fœdus operum ſeu naturæ, ut obtinuit in ſtatu integro, ita definivit: *Fœdus operum ſeu naturæ à fœdere gratiæ diſtinctum eſt pactum intercedens inter DEUM & hominem imagine ejus illuſtrem viribuſque ſufficienter inſtructum, quo DEUS hominis obedientiam decalogo viſceribus inſcripto exactiſſime conformem vi dominii & poteſtate legem ferendi ſanctiſſimâ ſtipulatus eſt, cum repromiſſione, ſi conditio operum jam ante debitorum expleta fuerit, benevolâ mercedis non temporalis ſaltem ſed æternæ h. e. ſummi boni, è contra, ſi peccaverit, comminatione mortis & conſequenter antiquatione fœderis operum, homo verò obedientiam ſtipulatus & bonum operi appenſum amplexus ad ſpem mercedis conditione expleta erigitur, ut Creatoris gloria exinde celebretur & homo terrenis haud ſatiandus DEI beatificâ viſione frueretur.* Pauca ſunt, quæ in hâc definitione deſideramus. Unum, quod nimis prolixa & involuta illa ſit. Definitionis quippe virtus præcipua brevitas, nervoſitas & claritas eſt. Alterum, quod dicitur, adjectam eſſe fœderi huic comminationem non ſaltem ſed & ejuſdem fœderis antiquationem, id quod haud curatè poſitum eſſe quivis videt, etſi hoc dictum velit Autor, fœdus hoc, quamprimùm fuerit ruptum, ſtatim ex intentio-

Digitized by Google

ne DEI antiquari debuiſſe. Id quod tamen & aliter ponendum fuiſſet & melius poni dictione haud turbatâ potuiſſet, ut taceamus, fœdus operum, ſi quidem exſtitit unquam, certo modo antiquatum haud fuiſſe. Jam enim, ſi juſtitia Chriſti, perfecta illa operum juſtitia, nobis imputatur, & nos per illam operum juſtitiam ſalvamur, quæ adhucdum ſeſe, ita ſaltem ut ἐπιείκεια quædam rebus hìc accedat, exſerit.

§. IV.

Dum verò hìc de fœderibus mentem noſtram efferre incipimus, ante omnia ſignificatio vocis ברית, quam in ſacris literis obtinet, evolvenda eſt. Scilicet ſignificat hæc vox mox immutabile ſtatutum de quàcunque re *Jerem.* XXXIII. 20. mox promiſſionem ſimplicem ſine reſtipulatione *Ex.* XXXIV. 10. *Jeſ.* LIX. 21. mox legem *Exod.* XXXIV. 28. *Jer.* XXXIV. 13. 14. mox donationem irrevocabilem *Num.* XVIII. 19. mox fœdus circumciſionis *Gen.* XVII. 13. mox fœdus gratiæ *Jerem.* XXXI. 31. quin & fœdus æquale & propriè ſic dictum *Gen.* XIV. 13. XXVI. 28. 29. 1. *Sam.* XVIII. 3. Jam verò nemo negaverit, fœdus hoc inter DEUM & hominem eſſe fœdus inæquale & improprium, non ſolùm propter ſummam perſonarum contrahentium inæqualitatem, id quod hactenùs nihil faceret, ſed & ob obligationem antecedaneam, quà homo ad præſtanda ea omnia tenetur, quæ in hoc fœdere DEO promittit. Ubi verò

Digitized by Google

rò jam adeſt obligatio nec demùm ex liberâ voluntate meâ, quâ fœdus ineo, oritur, ibi fœdus ſaltem improprium eſt. Nec ſanè & hìc utilitas mutua, ob quæ aliàs fœdera ineuntur, conſpicitur, cùm ſibi DEUS ſufficiat, niſi quòd homini ſic jus aliquod, quod antea non habuerat, ſubnaſci videatur, bona à DEO heic promiſſa poſtulandi, id quod tamen ex promiſſione nudâ abſque σχέσει fœderali fluere poteſt.

§. V.

Exſtitiſſe olim fœdus operum Reverendiſſimus D. JÆGERUS in *Jure DEI fœderali p. 17.* ex eo probat, quòd omnia heic conſpiciantur, ad fœdus quæ pertinent, א perſonæ contrahentes, ב ſtipulatio & adſtipulatio, ג conditiones fœderales ד ſanctio pœnalis ה reſtipulatio, quæ duo poſtrema ne quidem neceſſaria ad fœdus ſunt. Ipſa vero ratio fœderis tùm ex eo pateſcere videtur, quod א fœdus Sinaiticum, quod eſt materialiter fœdus operum ſive legale, ſæpiſſimè in ſacro codice ברית vocatur, ב quòd *Hoſea* VI. 7. Iſraëlitæ dicuntur transgreſſi fœdus כאדם ſicut Adam, ubi vox אדם proprio ſenſu uti *Job.* XXXI. 33. ſumenda eſſe videtur, maximè, cùm ſenſus appellativus contortum dicti ſenſum ſiſtat. Et ſit ita omninò. Saltem quo ſenſu vox ברית hìc ſumenda ſit, quæ eſt πολύσημος, & num à fœdere Sinaitico ad fœdus operum juſta ſit,

quæ ſit, conſequentia, num & fœdus Sinaiticum, quod utique ברית nominatur, ſit fœdus propriè ſic dictum & non potius lex promiſſionem ſecum vehens, quæſtio eſt. Sed ais, (quod & vel maximè PUFENDORFIUS urget,) quando DEUS indicet, quomodo ab homine coli velit & homo in ſe recipiat, illum ſe cultum obire velle, tunc exiſtere conſenſionem voluntatis divinæ & humanæ dicique de homine, quod fidem in DEUM ac religionem habeat, quam ante conſenſionem non habuerit, atque ITA PACTUM EXSURGERE, tùm hoc nihil aliud ſit, quàm duarum voluntatum circa idem unio ſeu conſenſio & conſpiratio. Ita verò, quid de totâ hâc quæſtione ſtatuere jam habeamus, patet. Scilicet ita lex quævis, quam ſuperior mihi fert, & cui, qui etiam non poſſum non obedire, obedio, PACTUM erit. Id quod num propriè ita dicatur, nemo erit facilè, qui multum anquiret. Scilicet PACTUM non eſt ſaltem duarum voluntatum in idem unio ſed & *liberrima* unio, ad quam nullâ lege obligor. Res omnis, ſi ſaltem pauliſper abſque præconceptâ opinione admotoque lumine inſpiciatur, in vado eſt.

§. VI.

Cæterùm ſi definitio fœderis operum danda ſit, eam dabimus, quam HERM. WITSIUS ponit, ob perſpicuitatem ſuam ſatis commendabilem. Fœdus id, inquit ille, eſt *conventio*

Digitized by Google

ventio inter DEUM & Adamum, ad imaginem DEI conditum, ut caput & Principem totius generis humani, quâ DEUS pollicebatur ipſi vitam & felicitatem æternam, ſi perfectiſſimè omnibus præceptis ſuis obediret, additâ comminatione mortis, ſi vel in minimo peccaret, Adamus autem comminationem hanc acceptabat. Nota igitur hic א differentiam fœderis operum & fœderis gratiæ. *Rom.* III. 27. Illud eſt, quod per opera eaque perfecta, hoc, quod per fidem in Chriſtum ſalutem quærendam eſſe vult. Formula fœderis operum eſt: QUI FECERIT EA HOMO, VIVET IN IIS *Rom.* X. 5. Formula fœderis gratiæ: QUI CREDIT, SALVABITUR. *Marc.* XVI. 16. Conveniunt hæc duo fœdera in eo α quod utrobique eædem partes contrahentes ſunt, DEUS & homo, β utrobique eadem promiſſio vitæ æternæ in fruitione immediatâ DEI exiſtentis, γ utrobique eadem conditio, perfecta præſcriptæ legi præſtanda obedientia, δ utrobique idem finis, gloria ſanctiſſimæ bonitatis DEI. Differunt ferè eadem in hiſce α Alia eſt σχέσις DEI ac hominis in fœdere operum, alia in fœdere gratiæ. In priore DEUS tractat ut ſupremus Legislator & ſumma bonitas geſtiens beatitatem ſuam communicare cum naturâ integrâ, in poſteriore ut ſumme miſericors convenienter ſapientiæ & juſtitiæ ſuæ vitam peccatori addi-

S 3 cens.

cens. β In fœdere operum nullus fuit Mediator, fœdus gratiæ Mediatorem habet Chriſtum. γ In fœdere operum conditio perfectæ obedientiæ exigebatur ut præſtanda ab ipſo homine fœderato. In fœdere gratiæ eadem conditio proponitur ut præſtanda vel præſtita à Mediatore. Et in hâc ſubſtitutione perſonæ princeps ac eſſentialis fœderum horum eſt differentia. δ In fœdere operum homo conſideratur ut ἐργαζόμενος *operans* & merces ut danda κατὰ τὸ ὀφείλημα *ex debito*, adeoque non excluditur omninò hominis καύχησις *gloriatio*, qua ut fidelis ſervus de officio probè peracto gloriari & promiſſam operi ſuo poſtulare mercedem poſſit. In fœdere gratiæ homo fœderatus in ſe impius conſideratur ut credens, vita æterna ut meritum Mediatoris, homini donata κατὰ χάριν *ex gratiâ*, quæ exeſſe jubet omnem καύχησιν, præter illam, qua peccator fidelis gloriatur in DEO ut miſericorde Salvatore. ε In fœdere operum aliquid exigitur ab homine ut conditio, quæ præſtita jus det ad præmium. Fœdus gratiæ noſtri reſpectu puris pollicitationibus DEI conſtat, quibus Mediator, vita per ipſum obtinenda, fides, quâ Mediatoris & beneficii per ipſum parti participes reddamur, totaque ſalus omniaque ad eam neceſſaria homini promittuntur. ζ Finis ſpecialis fœderis operum fuit declaratio ſanctitatis, bonitatis & juſtitiæ DEI, eluceſcentium in lege accuratiſſimâ, in promiſſo liberaliſſimo, in

Digitized by Google

in retributione præmii promiſſi. Finis ſpecialis fœderis gratiæ & *laus gloriæ gratiæ DEI Eph.* I. 6. & πολυποικίλῳ ſapientiæ ejus, quæ virtutes DEI illuſtri ſplendore emicant in datione Mediatoris & ſalutis per ipſum, incorrupto ſanctitatis, juſtitiæ & veritatis divinæ honore. Nota 2 Adamum in hoc fœdere juxta Viros præſtantiſſimos ſe habuiſſe, ut caput repræſentativum totius generis humani, unde communiter non ſolùm caput ejus naturale & ſeminale ſed etiam morale & fœderale nuncupatur. Scilicet confertur hìc Adamus cum Iſraëlitis, ad quos DEUS *Deut. XXIX. 14. 15.* ita fatur: *Non tecum duntaxat pango hoc fœdus & hoc juſjurandum ſed & iiſcum, qui necdum hìc ſunt.* Additur, oppoſitionem Adami primi & ſecundi *Rom.* V. 15. ſqq. id inferre. Denique & *Rom.* V. 14. hùc trahitur, ubi dicitur, mortem regnaviſſe ab Adamo uſque ad Moſen, etiam in eos, qui non peccaverint in ſimilitudine prævaricationis Adami, unde concluditur, aliud itaque, quàm proprium eorundem peccatum eſſe, propter quod mors in ipſos tranſierit, jam verò hoc aliud quàm peccatum Adami imputatum eſſe non poſſe. Jungenda hiſce veniunt HERM. WITSII verba: *Quo jure id ita conſtituerit DEUS,* (nempe quo jure DEUS Adamum caput fœderale & morale atque repræſentativum totius generis humani conſtituerit, cui certè hoc ju-

Digitized by Google

ris atque hoc præcipuum ipſius poſteri, qui nondum exſtabant, dare haud poterant,) *diſputandum non eſt. Neque enim noſtrum eſt, de jure DEI ambigere vel illud juſto curioſius inquirere, multo minus id ad juris inter nos homunciones ſtatuti formulam exigere, ubi de facto conſtat. Id ſemper pro DEO prajudicatum ſit* : Juſtus es in ſermone tuo, mundus in judicio tuo *Pſ. LI. 6. Ne ignorat ſupremi Numinis majeſtatem ejuſque puriſſimam ſibique in omnibus convenientiſſimam ſanctitatem, qui actiones ejus ad calculos vocare ſuſtinet illique dicam ſcribere inſuper habita æquitatis. Id in filio non terrenus Pater, in ſubdito nullus Rex, in ſervo nullus Dominus ferret. Et nos vermiculi tantum nobis in totius Univerſi judicem licere permittimus! Quotieſcunque murmuratrix caro obſtrepere audet*, viæ Domini rectæ non ſunt, *toties illi oggerendum* : Imò verò tuæ non ſunt rectæ! *Ezech. XVIII. 25. Ita tamen nobiſcum ferè comparatum eſt, ut placidius acquieſcamus in judiciis DEI, ubi eorum rationes intelligentiâ quoque aſſequimur. Videamus itaque, annon hic etiam juris divini æquitatem demonſtrare poſſimus? Quidſi ita rem putemus? Si Adamus ſuo noſtroque nomine fœderis conditionibus ſtetiſſet; ſi emenſo probationis ſuæ curriculo in bono confirmatus eſſet noſque poſteri ipſius in ipſo, ſi ſatiati vitæ animalis deliciis unà cum ipſo ad cœli gaudia*

Digitized by Google

gaudia fuiſſemus tranſlati, nemo conqueſtus eſſet, ſe in capite generis humani fuiſſe cenſitum: quivis & ſapientiam & bonitatem Numinis laudaviſſet; nemini vel minima injuſtitiæ ſuſpicio fuiſſet ſuborta ex eo, quod omiſſo ſingulorum experimento in primo homine omnium periculum facere DEUS voluerit. Quod iſto eventu juſtum fuiſſet, contrario eventu qui fiet injuſtum? Neque enim juſtitia vel injuſtitia actionum ex eventu æſtimanda eſt. Præterea quiſquamne nunc eſt mortalium, qui in animum inducat credere, ſe in iiſdem cum Adamo circumſtantiis conſtitutum melius rebus ſuis conſulturum fuiſſe? Non defuit Adamo ſapientia, non ſanctitas, non appetitus veræ beatitudinis, non averſatio miſeriarum, quas peccanti DEUS denunciaverat, nihil denique eorum omnium, quibus ſe quiſpiam à peccato ſibi cavere poſſe confidat, & tamen blandiloqui fallaciâ ſeductoris in fraudem ſe pellici paſſus eſt. Et tu, viarum Domini tui cenſor iniquiſſime, melius te libero tuo arbitrio uſurum fuiſſe jactas? imò verò ex adverſo omnes actiones tuæ clamant: probari tibi, impenſè placere, ſemperque in exemplum trahi hoc, de quo injuſtè conquereris, primi parentis factum. Nam quùm mandata DEI tranſgrederis, quùm ſummi Numinis voluntatem tuæ cupiditati poſthabes, quùm terrena cœleſtibus, futuris præſentia antefers, quùm tuo tibi arbitratu ad bea-

titudinem, ſed non veram, viam ſed aviam affectas, nonne tantundem eſt ac ſi toties vetitam arborem temerares? Quid ergò DEUM incuſas, quod operam compendifecerit, omnes in uno includens: gnarus quippe, ſingulorum eandem futuram fuiſſe rationem? Hactenus WITSII verba, quæ quantum ſecum ponderis vehant, ex his ferè liquet. I. Utique certum eſt, DEUM ab hominibus in jus vocandum non eſſe. Non opus eſt heic declamatione. Res per ſe patet. Id unum quæritur, an ex ſacris literis pateat, Adamum heic fuiſſe caput repræſentativum totius generis humani. Locus *Deut.* XXIX. 14. 15. id probat, legem poſſe ferri & iis, qui jam exſtant & ipſorum poſteris, id quod fieri poteſt, etſi parentes in tranſgreſſione poſteros ſuos haud repræſentent. Porrò Adamus dicitur typus futuri nempe Chriſti, quod ſcilicet is fuit Autor peccati & mortis, Chriſtus verò Autor ſalutis & vitæ, abſtrahendo hactenus à modo, quo quiſque utriuſque Autor eſt. In modo enim diverſitatem hìc ſubinde inveniri quis negaverit? Non eſt poſtulandum, ut typus antitypo ex omni parte reſpondeat. ἀλλ᾽ οὐχ ὡς τὸ παράπτωμα, οὕτω καὶ τὸ χάρισμα, ait Paulus *Rom.* V. 15. Denique ex *Rom.* V. 14. contrarium planè diſſentientes concludere video, qui nempe ex hoc loco potius arguunt, nullam dari peccati Adamitici imputationem omneſque

eos,

eos, qui puniantur, ob propria peccata puniri, utpote qui *in ſimilitudine prævaricationis Adæ haud peccaverint*. II. Non ſequitur: Si juſtum fuiſſet apud DEUM, ob obedientiam Adami poſteros quoque in bono confirmare, (etſi & hanc in rem ſcriptura nihil decidat,) juſta quoque eſt peccati imputatio, cùm conſtet, me, ſalvâ juſtitiâ, plurima beneficia in aliquem conferre poſſe, injuriam verò nullam eidem inferre. III. Gratis ſupponitur, nos itidem uti Adamum lapſuros fuiſſe, ſi ipſius loco ſtetiſſemus. Unde enim id probari certò poſſit, haud perſpicere eſt. Aſt ponatur & hoc. Quis verò neſcit, ex eo, quòd, ſi quis in iiſdem circumſtantiis ſitus fuiſſet, idem crimen commiſſurus fuiſſet, ac ille, qui id re verà commiſit, nondum tamen ejuſdem imputationem conſequi, quæ nonniſi crimen *ipſo actu* commiſſum ſequitur? Unde & rectè dein WITSIUS, ut hominem oſtendat damnabilem, ad peccata cujuſvis actualia deſcendit, etſi rurſus deinde ex ſcientiâ mediâ, quam aliàs idem abhorret, juſtitiam rei deducat. Atque ex his omnibus pronum eſt pervidere, dogmati de imputatione peccati Adamitici micam ſalis, eam nempe, quam ÆG. HUNNIUS eidem cum ſequacibus adſpergit, adjiciendam eſſe, id quod vel exinde quoque patet, quoniam, ſi & tantiſper conceſſeris, Adamum hîc perſonam totius generis humani geſſiſſe, nunquam tamen

demon-

Digitized by Google

demonſtraveris, quòd à genere humano ut caput ejuſdem repræſentativum PLENAM POTENTIAM agendi, quicquid vellet, acceperit. Jam enim cùm *in commiſſis* certè *haud habuerit*, ut peccaret, id quod nemo dixerit, ubi peccavit, hoc ipſi, non toti generi humano, perſonaliter & immediatè imputandum venit. Nota ℶ conditionem fœderalem, quæ eſt α lex naturæ Adamo concreata, β lex ſymbolica de arbore ſcientiæ boni & mali, ita nuncupata, tùm reſpectu DEI, qui per arborem illam explorare adeoque ſcire voluit, an homo manſurus eſſet bonus & perſeveraturus in obedientiâ, an vero ſe mutaturus in malum 2. *Chron.* XXXII. 31. tùm reſpectu hominis, quia ex amore DEI obediens huic legi πειραστικῇ perventurus erat ad fruitionem beatifici illius boni, quod nunquam perfectè cognoſcitur niſi fruendo: contra ſi inobediens eſſet, experientiâ magiſtrâ agniturus erat, in quod malorum barathrum ſe præcipitaviſſet. Perfectè autem ſervanda erat fœderis conditio ſive lex α perfectione partium tùm reſpectu ſubjecti, corporis & animæ 1. *Theſſ.* V. 23. tùm reſpectu objecti, ſive legis *Gal.* III. 10. *Jac.* II. 10. β perfectione graduum *Deut.* VI. 5. *Pſalm.* CXIX. 4. *Matth.* XXII. 37. γ perfectione perſeverantiæ *Ezech.* XVIII. 24. *Deut.* XXVII. 26. Vide WITSIUM in *œcon. fœd. DEI L. I. C.* 3. §. 24. Nota ℷ Promiſſa fœderis operum. Quod enim primo

primo homini nihil promiſſum fuiſſe ajunt Sociniani & Arminiani, id planè haud probabile eſt, cùm ita ille fuiſſet ſine ſpe, quod de Gentilibus dicitur *Eph.* II. 12. cùm & arbor vitæ vitæ æternæ videatur fuiſſe ſymbolum *Apoc.* XXII. 2. cùm denique formula fœderis operum *Levit.* XVIII. 5. de vitâ æternâ *Matth.* XIX. 16. 17. explicetur, ut taceamus, id promiſſum fuiſſe in Paradiſo, quod per peccatum amiſimus & à Chriſto nobis fuit reſtitutum, id quod vita æterna eſt. Quin ſi per mortem mors & æterna indigitatur in comminatione illâ: morte morieris, vi oppoſitorum vita quoque æterna promiſſa fuit primis parentibus, qui certè utpote imagine divinâ donati cœleſtia bona anhelaviſſe nec fruſtra dicendi veniunt, utpote terrenis & mundanis haud in æternum ſaginandi. Ex quo patet, fallere AMYRALDUM, qui cenſuit, Adamo ſaltem continuationem gratiæ divinæ ſtatûſque Paradiſiaci promiſſam fuiſſe, quæ tamen & ferè HULSEMANNI fuit ſententia in *Vindiciis p.* 1177. Nota π ſanctionem pœnalem fœderi operum appenſam. Hæc exprimitur *Gen.* II. 17. MORTE MORIERIS. Hæc mors eſt corporalis ſine dubio *Gen.* III. 19. ſpiritualis *Eph.* II. 1. IV. 18. 1. *Tim.* V. 6. & æterna *Apoc.* XIV. 11. XX. 14. Nota, ſacramenta fœderis operum. Quatuor numerat WITSIUS Paradiſum, arborem vitæ, arborem ſcientiæ boni & mali & ſabba-

ſabbatum, BURMANNUS duo ſaltem, Paradiſum & arborem vitæ. Deſignatur autem hic à Viris præſtantiſſimis ſacramenti nomine ſigillum promiſſiones divinas gratiamque obſignans & confirmans. Pufendorfius arborem ſcientiæ boni & mali cur ſacramentis fœderis operum annumeret, haud ſine ratione miratur JÆGERUS noſtrâs, qui hoc nomine ſaltem arborem vitæ donari poſſe arbitratur, at verò ſolicitè quoque monet, ſacramenta fœderis operum & fœderis gratiæ probè diſtinguenda eſſe. Nota ɼ violationem fœderis operum ab Adamo factam. *Hoſ.* VI. 7. Facta ea eſt per peccatum primum, quod conſtitiſſe formaliter in ἀπιςίᾳ Reverendiſſ. JÆGERUS exiſtimat, qui & potentiam labendi ex naturali ipſius creaturæ imperfectione derivat, quæ in quantum EX NIHILO eſt producta, EX SE habeat, ut deficere, PECCARE & in nihilum redigi poſſit, in *Jure DEI fœd. p.* 267. notatque & HELMONTII aliorumque ſtolidam opinionem, qui in luxuriâ carnis conſtitutum fuiſſe Adami peccatum putent. Nota ח fœdus operum fuiſſe antiquatum *Heb.* VIII. 13. *Gal.* III. 21. 23. 25. *Rom.* VI. 14. VIII. 3. Addenda tamen hîc ſunt verba WITSII: ***Fœdus gratiæ non eſt abolitio fœderis operum ſed confirmatio illius, in quantum Mediator omnes conditiones fœderis implevit, adeò, ut juxta fœdus operum, cui à Mediatore ſatiſſactum eſt, fideles omnes***

omnes juſtificentur & ſerventur. *Rom.* III. 31. VIII. 3. Scilicet antiquatum fuit fœdus operum non à parte DEI, cujus dona ſunt ἀμεταμέλητα & qui, ſi hodie daretur homo, qui in Adamo non peccâſſet & adimpleret conditionem ſub quâ fœderis, ipſum ſalvaturus eſſet, ut taceamus, manere adhuc legem naturæ, obligationem item hominis & ſanctionem legis. At verò & antiquatum eſt hoc fœdus operum, quia per hoc fœdus homo ſalutem amplius habere nequit *Rom.* VIII. 3. quia DEUS non amplius tenetur vi hujus fœderis ad ſalutem dandam, quia lex non amplius nobis eſt miniſterium vitæ ſed mortis 2. *Cor.* III. 6. 7. *Rom.* VIII. 2. VII. 10. 11. Queis omnibus & id addendum, quòd lex de non comedendo ex arbore vetitâ per ſe ceſſaverit. Et hæc jam de fœdere operum ſufficiant, ſi id unicum adhòc adjecerimus, in hoc articulo plurimùm utique conjecturis Theologos extra Scripturam ſacram indulgere.

§. VII.

Secundum fœdus, quod excutiendum nobis eſt, eſt fœdus inter DEUM Patrem & DEUM Filium de ſalvando genere humano & ineundâ hujus ſalvationis ratione. Definitionem hanc damus. Pactum inter DEUM Patrem & Filium eſt conventio inter utrumque, quâ genus humanum ſalvare ita decreverunt, ut Filius quidem humanam naturam ſibi copularet,

laret, in illâ pœnam, quæ juſtitiæ DEI vindicativæ debetur, pateretur atque infinitum pro hominibus **λύτρον** ſolvens gratiam divinam auxiliaque ad converſionem & ſanctificationem ipſis impetraret, Pater verò in Chriſto hominibus peccata remitteret vitamque æternam ipſis largiretur & nomen ſuper omne nomen Filio perfectum obſequium præſtituro conferret. Pactum ejuſmodi reverâ initum fuiſſe probatur ex *Luc.* XXII. 29. *Hebr.* VII. 22. ubi Chriſtus dicitur **κρείττονος διαθήκης ἔγγυος**, *Gal.* III. 17. *Pſalm.* XL. 7. ſq. *Hebr.* X. 5. *Zach.* VI. 12. 13. Quin & exinde hoc fœdus probatur, quòd Chriſtus DEUM Patrem DEUM SUUM vocat *Pſalm.* XXII. 2. XLV. 8. *Jeſ.* XLIX. 4. 5. *Joh.* XX. 17. Hæc enim fœderis formula eſt *Gen.* XXVIII. 21. *Joſ.* XXIV. 18. *Jer.* XXXI. 33. *Deut.* XXVI. 17. Sunt igitur hîc partes contrahentes א Pater, quem Chriſtus Dominum dicit *Pſalm.* XVI. 2. ב Filius, quem Pater ſervum ſuum vocat *Jeſ.* LIII. 11. Lex fœderis à Patre proponitur *Joh.* X. 18. XII. 49. 50. cui & additur promiſſio *Jeſ.* LIII. 10. ſqq. XLIX. 6. ſqq. ex quâ Filio naſcitur jus petendi mercedem *Pſalm.* II. 8. *Joh.* XVII. 4. 5. Acceptavit quippe hic fœdus *Pſalm.* XL. 7. 8. 9. *Ioh.* XIV. 31. *Job.* XXXIII. 24. præſtititque conditionem *Gal.* IV. 4. 5. *Johan.* XV. 15. VIII. 38. XIX. 30. *Ieſ.* XLIX. 4. & mercedem conſecutus eſt *Phil.* II. 9. ſq.

Eph.

Eph. I. 20. 21. 22. *Pſalm.* II. 8. *Ieſ.* LIII. 10. 12. *Matth.* XXVIII. 18. *Pſalm.* LXVIII. 19. XLV. 8. *Hebr.* XII. 2. Sacramentum hujus fœderis fuit baptiſmus Chriſti *Matth.* III. in quo totum Fœdus repetitum fuit. Cæterùm ὡς ἐν παρόδῳ ſaltem monemus, fœderis hujus rudera & in veterum Judæorum ſcriptis myſticis inveniri & LUDOVICUM MOLINAM, Autorem congruiſmi ut & TIRINUM inter Romanenſes iſtud ſubinde effari & ante hos centum annos idem jam extuliſſe ARMINIUM, poſt AMESIUM & GOMARUM, quos certatim inſecuti fuere Cloppenburgius, Voetius, Eſſenius, Coccejus, Ovvenus, Witſius, alii. Quod reſtat, notandum eſt α pactum hoc inter DEUM Patrem & Filium fuiſſe æquale, ſi quidem pactum dici id poſſit, cùm ſaltem ad ἀναλογίαν pactorum humanorum ita nuncupetur & potius conſilium Sacroſanctæ Trinitatis de redimendis & ſalvandis hominibus ſit, β à conſilio hoc ſive pacto Spiritum S. haudquaquàm excludendum eſſe, γ hâc ratione & illud peculiare pactum inter perſonas divinas de creando homine dici poſſe *Gen.* I. 26.

§. VIII.

Jam ad fœdus gratiæ, quod cum hominibus DEUS pepigit, enarrandum citato greſſu pergimus. Nec verò eſt, quod in latiſſimum rerum campum hic cum iis, qui Theologiam fœderalem

ſive ex Reformatis ſive ex noſtris, inter quos eminet, qui inſtar omnium eſt, & cui in argumento hoc palmam nemo denegaverit, Reverendiſſimus Academiæ noſtræ Cancellarius, JO. WOLFG. JÆGERUS, tradidere, abeamus. Jam &, quid de hâc Theologiam tractandi methodo, quam ingenioſam amœnamque eſſe exiſtimamus, nos ſtatuamus, *in primitiis Tubingenſibus P. 2. p. 29.* ſatis extulimus. Ante omnia autem hîc notandus venit error Theologorum quorundam Gallorum ex Reformatis, CAMERONIS, AMYRALDI aliorumque, qui triplex, DEO cum hominibus quod interceſſerit, fœdus eſſe ſtatuunt. א *fœdus Naturæ*, quod in Paradiſo locum habuerit, ב *fœdus legale*, quod in monte Sinai cum populo Iſraëlitico fuerit concluſum & denique ג *fœdus gratiæ*, quod in Evangelio fundatum fuerit. Scilicet quod fœdus naturæ dicitur, rectius ſecundùm noſtros fœdus operum appellitatur, & majora longè complectitur promiſſa, quàm quæ Viri præſtantiſſimi ſupponunt. Dein fœdus legale malè à fœdere gratiæ diſtinguitur, cùm ſaltem peculiaris ipſius ſit diſpenſatio. Cæterum ubi fœdus gratiæ à fœdere operum diſtinguitur, quam differentiam ſupra jam abundè enucleavimus, nolimus hoc affirmare, in fœdere operum omnem omninò gratiam exulâſſe. Quemadmodum enim in fœdere gratiæ obtinet *gratia gratuita*, ita in fœdere operum paginam utramque fecit

gratia

Digitized by Google

gratia gratioſa, quarum hæc & in homine meritum, illa ne hoc quidem ſed meram gratiam infert, ubi ſcilicet omnia ΕΙC ΕΠΑΙΝΟΝ ΔΟΞΗC ΤΗC ΧΑΡΙΤΟC ΑΥΤΟΥ *Eph.* I. 6. aguntur. Quod reſtat, ubi in enarrando gratiæ fœdere daduchum quærimus, laudatus modò Cancellarius noſter ſeſe jam ſponte nobis obvium ſiſtit faceſque præfert, cujus & veſtigia hìc cum curâ legemus.

§. IX.

Varia ſunt fœderis gratiæ nomina. Ipſum *fœderis gratiæ* nomen, quod ſtatim ab initio notamus, in ſacris literis haud exſtat. Sed nomen juramenti *Luc.* I. 73. ἐπαγγελίας *Ieſ.* LV. 3. in veteri Teſtamento, at in novo fœdere ἐπαγγελία, denique teſtamenti *Hebr.* IX. 15. 16. 17. 2. *Cor.* III. 6. 14. *Ier.* XXXI. 31. 32. *Gal.* IV. 24. hùc quadrare Vir, quem ſequimur, doctiſſimus innuit. Idem, ubi ad definitionem fœderis gratiæ progreditur, fœdus inter Patrem & Filium loco fœderis gratiæ eapropter definit, quòd ex illâ definitione definitio fœderis gratiæ dein ſuâ ſponte fluit. Eſt verò *fœdus gratiæ* (at verò & hoc fœdus inæquale eſt & valdè improprium,) eſt inquam *fœdus gratiæ* (cujus tabulas concinno ſermone enarravit JO. ARNDIUS, Theologus præſtantiſſimus in *Informatorio Biblico* §. *dieſe unausſſprechliche Schäze*) *pactum DEI cum hominibus, quo DEUS hominibus gratiæ ſua auxilia omnia ſa-*

Digitized by Google

lutemque æternam promiſit, ſi in Chriſtum, Filium ſuum & Meſſiam crederent, eumque adeo ſalutis ordinem, qui ab hoc præſcriptus eſt, inirent. Jam eamus per theſes. I. Pactum hoc in Paradiſo jam firmatum, in monte Sinai repetitum atque in Evangelio plenius manifeſtatum fuit. Vide, ſi placet, Protevangelium Gen. III. 15. quod jam ſupra explicavimus, & ubi compendium rerum habetur. Scilicet in Vet. Teſtamento promiſſa dicitur vita æterna Joh. V. 39. *Act.* XXIV. 14. 15. *Matth.* XXII. 29. ſqq. *Gen.* XV. 1. *Hebr.* XI. 10. 14. 16. *Gen.* XLIX. 18. *Iob.* XIX. 25. ſqq. *Dan.* XII. 2. queis tamen effatis omnibus traditionem quoque oralem veterem Judaicam, quà hæc clarius elata fuere, jungi velim. Nec eſt, quod huic theſi opponas, promiſſiones Novi Teſtamenti meliores eſſe *Hebr.* VIII. 6. aut Chriſtum demùm abolità morte vitam & immortalitatem in lucem produxiſſe per Evangelium 2. *Tim.* I. 10. aut ſalutem noſtram prædicationis initium à Domino ſumſiſſe *Hebr.* II. 3. aut priore tabernaculo ſtante viam ad ſacrarium nondum patefactam fuiſſe *Hebr.* IX. 8. cùm ſalus ſaltem clarius in Novo Teſtamento atque Chriſto ſalutis Autore manifeſtato annunciata hìc innuatur. Quin in vetere quoque teſtamento ſalvati fuere fideles & quidem per gratiam JESU Chriſti, id quod probare communiter Theologos ex *Act.* XV. 11. *Hebr.* XIII. 8. IX. 15. *Ioh.* XIV. 6. *Act.* IV. 12. vi-

Digitized by Google

12. videmus. Quin per *fidem* quoque *in Meſſiam* ſalvatos antiqui fœderis Patres eſſe, ex *Habac* II. 4. *Gen.* XV. 6. coll. *Rom.* IV. 3. *Pſalm.* II. 12. *Ieſ.* XXVII. 5. *Hebr.* XI. 6. ſqq. maximè 26. *Ioh.* VIII. 56. 1. *Petr.* I. 10. 11. conſtare, communis orthodoxorum mens eſt. *Nec obſtat huic veritati*, inquit WITSIUS, *quod Apoſtolus ſcribit Gal.* III. 23. Antequam veniſſet fides, ſub legis præſidio cuſtodiebamur. *Nihil enim minus ibi intendit Apoſtolus, quàm fidem in Chriſtum ante Chriſti in carnem adventum non viguiſſe, quippe qui eodem capite fidem Abrahami luculenter deprædicavit nobiſque omnibus propoſuit in exemplum vſ. 6. 7. 9. Sed per* fidem *hic intelligimus vel* fidei *objectum, doctrinam Evangelii conſummationis ut* C. I. 23. *& ipſum D. IESUM creditum, prout contradiſtinguitur* ſpei *priſcorum, qui porrecto quaſi collo adventum Domini præſtolabantur*, exſpectantes conſolationem Iſraëlis *Luc.* II. 25. in *Oecon. fœd. DEI L. 3. C. 2. §. 43. p. 276.* Jam & ad hanc theſin firmandam pertinent omnes de Meſſiâ prædictiones, quas veteris teſtamenti tabulæ complectuntur, omnes apparitiones Filii DEI in vetere Teſtamento factæ, queis incarnationi ſuæ præluſit & tanquàm Mediator Patriarchis Vet. Teſtamenti innotuit, fœdus illud cum Abrahamo initum, quo Viro ſancto ſignificatum fuit, ex ipſius lumbis proditurum eſſe SEMEN iſtud MONADICUM, in quo be-

Digitized by Google

nedicendæ ſint omnes gentes, fœdus porrò illud Sinaiticum, quo DEUS ſe DEUM Iſraëlis nuncupat, nomenclatione admodùm gratioſâ, quæ fœdus non legale prorſus ſed fœdus gratiæ hîc iniri oſtendit, omnia ſacrificia, quibus Chriſtum Novi Teſtamenti ſacrificium modo quodam typico præfiguratum fuiſſe Paulus vel maximè in Epiſtola ad Hebræos oſtendit, qui & idem totam Veteris Teſtamenti rationem & œconomiam typicam fuiſſe & in literis citatis & in iis, quas ad Galatas dedit, aliiſque haud ſubobſcurè innuit. Nec velim, ajas, in Vet. Teſtamento peccata non remiſſa fuiſſe juſtificationemque peccatoris coram DEO adoptionemque haud obtinuiſſe, quæ ſententia Coccejana eſt. Aliud longe exſtat in ſequentibus dictis *Pſalm.* CXXX. 4. *Exod.* XXXIV. 7. *Iac.* II. 21. *Rom.* IV. 2. 3. *Pſalm* XXXII. 1. 2. LI. 4. 9. CIII. 3. *Iob.* XXXIV. 36. *Jeſ.* LXIII. 16. Sed pergimus. II. Fœdus gratiæ fundatur in ſponſione Chriſti pro toto genere humano, ubi hoc ante omnia notandum venit, hanc ſponſionem neque fidejuſſionem, neque expromiſſionem, neque novationem eſſe, qui JCtorum termini ſunt, cùm hæc omnia ad criminalia haud trahantur ſed ad debita pecuniaria pertineant, etſi ad naturam expromiſſionis vel maximè Chriſti accedat ſponſio, id quod contra fidejuſſionem Coccejanorum, quam Chriſto in V. T. affingunt, ſolicitè Theologi noſtri monent. Deinde & id probè conſiderandum, ſponſionem hanc

hanc Chriſti pro genere humano antecedenter ad pactum inter DEUM Patrem & DEUM Filium initum fuiſſe liberrimam, poſt illud pactum verò revocari amplius non potuiſſe. III. In fœdere gratiæ conditio ex parte DEI eſt oblatio mediorum ad ſalutem univerſalis, ſeria & cum virtute ſufficiente conjuncta, conditio verò ex parte hominum non quidem impletiva, quod Remonſtrantes ſtatuunt, ſed applicativa eſt fides. IV. In fœdere gratiæ quævis perſona divina peculiarem œconomiam ſervat. DEUS Pater in Chriſto mundum reconciliat ſibi 2. *Cor.* V. 19. & homines ſcribit regni ſui hæredes & Chriſti cohæredes, ſi nempe hujus imaginem geſſerint *Rom.* VIII. 17. Filius ſequeſter eſt & executor fœderis ipſeque teſtator, qui teſtamentum gratiæ morte ſancivit ſuâ *Luc.* XXII. 29. *Hebr.* IX. 16. ac diribitor eſt beneficiorum: *Ego do illis vitam æternam Ioh.* X. 28. Spiritus S. adducit homines ad Chriſtum, & in Chriſto ad poſſeſſionem bonorum Fœderis intimat mentibus **τὰ ὅσια τῦ Δαβὶδ τὰ πιϛὰ** & ſigillum eſt ac pignus conſummatæ felicitatis 1. *Cor.* XII. 3. 11. 13. *Eph.* I. 13. 14. V. Promiſſa hujus fœderis ſunt gratia & gloria *Ier.* XXXI. 33. XXXII. 38. ſqq. *Deut.* XXVI. 17. ſqq. ubi tabulæ hujus fœderis exſtant, quod ſanè antiquo illo præſtantius & præſtantioribus quoque promiſſis ſancitum fuit. *Hebr.* VIII. 6. VI. Fœdus gratiæ teſtamentum magis quàm fœdus eſt, aut potius gratuita

DEI promiſſio, dandi nobis vitam æternam, ſi credamus, quæ promiſſio eſt Evangelium. Quænam verò inter fœdus & teſtamentum ſit differentia, alibi traditur. VII. Fœdus gratiæ quoad ſubſtantiam unicum, quoad circumſtantias diverſimodè diſpenſatum eſt, id quod contra Coccejanos notandum. Unus hîc eſt Salvator, una fides, eadem quoad ſubſtantiam bona, eadem hæreditas, eadem lex moralis, differentia verò ratione luminis, ætatis, legis cærimonialis, cultus, umbrarum, ſpiritus, univerſalitatis ſaltem accidentalis eſt. VIII. Officia in fœdere gratiæ hominibus præſcripta ſunt fides & ſanctimonia. IX. Oeconomiæ fœderis gratiæ duæ maximè fuere, vetus & novum Teſtamentum. Vetus verò Teſtamentum iterum in varias œconomias diſpeſci poteſt inter quas eminent illa, quæ fuit ante legem, & œconomia legalis, quæ in fœdere Sinaitico cœpit. X. Oeconomiam ante legem ad fœdus gratiæ vetuſque teſtamentum pertinere ex dictis conſtat *Gal.* III. 15. ſqq. *Gen.* III. 15. *Hebr.* XI. 4. ſqq. *Gen.* V. 24. *Rom.* IV. 11. *Gen.* XXII. 18. *Iob.* XIX. 25. ſqq. Oeconomia ſub lege erat ſervilis *Gal.* IV. 1. & umbratilis, ἐν χειρὶ μεσίτȣ h. e. Moſis *Gal.* III. 19. *Ioh.* I. 17. facta. Etſi enim ſpiritus adoptionis, etſi & meritum Chriſti actualiter jam in ordine ad remiſſionem peccatorum & vitæ æternæ collationem in vetere Teſtamento fidelibus actu jam contulerit, externa tamen forma ſervilis

vilis multiſque umbris diſtincta fuit *Rom.* IV. 6. *Pſalm.* XXXII. 10. *Rom.* IX. 4. *Pſalm.* XVI. 10. XXII. 27. *Hebr.* IX. 15. XI. 26. Benè ergò notandum, diſcrimen inter *πάρεσιν* & *ἄφεσιν Rom.* III. 25. *Ebr.* IX. 15. quam Coccejani adhibent, qui negant, Patribus vet. Teſtamenti peccata remiſſa fuiſſe, nullum eſſe, imò & nullum eſſe id, quod ajunt, Chriſtum in V. Teſtamento nudum fuiſſe fidejuſſorem, non expromiſſorem. Jam & ab aliis heic viri præſtantiſſimi differunt, quod vetus Teſtamentum demùm (id quod & quidam ex noſtris aſſerunt) in lege Sinaiticâ initium ſumſiſſe hæreditatemque in hoc Teſtamento promiſſam terram Canaan, non vitam æternam eſſe putant. XI. Oeconomia denique ſub Novo Teſtamento, ubi Chriſtus exhibitus fuit umbræque omnes exſpiraverunt, rigorque legis ceſſavit *Rom.* VII. 2. lege cærimoniali penitus deletâ, pleniorem quoque rerum cœleſtium revelationem notitiamque ſecum vehit. Unde & vetus teſtamentum fuit antiquandum *Hebr.* X. 2. 2. *Cor.* III. 7. 8. 11. Jam præſtat ergò Veteri Novum α propter Chriſtum exhibitum pretiumque redemtionis actualiter ſolutum *Hebr.* X. 1. β legis factam perfectiſſimam à Chriſto impletionem legumque cærimonialium abrogationem γ libertatem plenæ emancipationis conjunctam cum ſumma fiduciâ & *παῤῥησίᾳ Gal.* IV. 1. 2. *Rom.* V. 1. 2. *Gal.* V. 1. δ lumen majus & præſtantius, quod in N. T. conſpicitur. XII. Fœdus gratiæ abrogabitur, ubi re-

gnum gloriæ initium ſumet 1. *Cor.* XV. 24. In genere verò de totâ hâc divinorum fœderum tractatione id monendum, nimiis litibus, quibus facile abſtineri poterat, Autores hîc operam dare, atque σχέσιν iſtam, ubi gratioſa DEI voluntas de ſalvandis hominibus in ſacro codice mox ſub ratione fœderis, mox ſub ratione teſtamenti, mox ſub ratione nudæ promiſſionis & declarationis nobis ſiſtitur, nimis ſubinde urgere & Theologiam multis prolixiſque rerum diductionibus onerare, quæ ipſis quidem rebus magnam adeò lucem haud affundunt. Id unum addendum jam eſt, Vetus Teſtamentum in varias quoque & ipſum œconomias diſpeſci poſſe, uti jam affirmavimus. Age, conſtituamus ætates quaſdam. Prima ætas eſt ab Adamo ad Abrahamum. Pertinet hùc Protevangelium, pertinet hùc ſabbatum, dicta *Gen.* IV. 1. 26. V. 29. & quæ alia ſunt, quibus tunc DEUS gratiam ſuam hominibus ſignificavit, ſacrificia, arca, diluvium, iris, ubi notandum, ſabbatum & ſacrificia ad inſtituta divina ſeu leges divinas univerſales poſitivas pertinere, quæ tamen eos ſaltem obligaverint, quibus promulgatæ fuerint, in N. T. abrogandæ, utpote quæ typorum rationem geſſerint. Notandum & hoc, Protevangelium in fœdere Noachico *Gen.* IX. 11. 12. 13. coll. *Jeſ.* LIV. 9. fuiſſe repetitum. Jam & vel maximè doctrina de typis hùc pertinet, quam in novi fœderis tabulis

tabulis clariſſimè & quidem ex traditionis Eccleſiaſticæ fontibus per ſigillum θεοπνευςίας appenſum dein confirmatis effert Paulus 1. *Cor.* X. 1. ſqq. *Act.* X. 43. *Gal.* IV. 21. ſq. *Col.* II. 17. *Ebr.* IX. X. ubi tamen hæc regula obſervanda, in typis diducendis & conſtituendis luxuriam omni ratione evitandam ſolamque diviniorem literam ſequendam eſſe. Cæterum varii ſunt typi, & hiſtorici & rituales, & perſonales & reales. Alii typos in naturales, hiſtoricos & legales diſtinguunt. Perſonales typi ratione ſubjectorum, quæ vel bona vel mala ſunt, itidem variant. Typorum etiam ratio complexa eſt unuſque typus varios ſæpius habet antitypos, qui in ſerie temporum, ubi unus antitypus ad alterum ſubinde itidem reſpicit, ſe invicem conſequuntur. Quod reſtat, ſacramenta gratiæ ab Adamo uſque ad Abrahamum varia numerantur. Sunt, qui ſatis incongruè tale quoddam ſacramentum eſſe dicant ejectionem hominis ex Paradiſo. Alii hùc referunt pelliceas tunicas, quibus DEUS Protoplaſtos veſtivit *Gen.* III. 21. Sacrificia verò plurimi & ſacramenta eſſe putant, utpote quorum ratio typica exſtiterit, ſi Cabbalæ veteris explicationem, ſi & explicationem Paulinam ſequaris. Pertinet & hùc Iris *Gen.* IX. 13. Sed enim hæc omnia ut ſacramenta nominemus, generaliſſimo ſenſu vox erit ſumenda. Altera ætas eſt ab Abrahamo ad Moſen. Huic promiſſiones præſtantiſſimæ de ſemine monadico datæ fuere *Gal.* III. 16. coll.

Gen.

Digitized by Google

Gen. XII. 2. 3. 7. XIII. 15. 16. XV. 5. 7. XVII. 21. in quo & gentes benedicendæ ſint. At iſtud ſemen monadicum, quod Chriſtus eſt, ex literâ Moſaicâ nemo deduxerit, niſi cum illâ veteris Theologiæ Judaicæ per traditionem oralem conſervatæ principia combinaverit. Ad hanc ætatem pertinet circumciſionis ſacramentum *Gen.* XVII. 10. *Rom.* IV. 11. conjugium iſtud duplex Abrahami typicum *Gal.* IV. 22. ſqq. merces Abrahamo promiſſa, ipſe DEUS *Gen.* XVII. 1. ſq. Pertinet & huc juſtificatio Abrahami per fidem *Rom.* IV. 11. *Jac.* II. 21. 22. 23. *Gal.* III. 8. 9. Cæterùm promiſſiones Abrahamo datas & Iſaaco repetitas denuoque declaratas fuiſſe conſtat *Gen.* XXVII. 29. XXVIII 3. 4. Denique & de vaticinio Jacobi *Gen.* XLIX. 10. de dicto illo *Job.* XXXIII. 24. hîc agendum venit. Tertia ætas eſt à Moſe ad Chriſtum. Nota hîc & Sacramenta, inter quæ Paſcha præcipuum eſt. Dein extraordinaria illa, tranſitum per mare rubrum, manna de cœlo depluens, aquas è rupe profluentes, & ſerpentem æneum ad medelam Iſraëlitarum à Moſe erectum, ʒ lationem legis Moralis ſive decalogicæ, cærimonialis & politicæ ſive forenſis, ubi obſervandum, fœdus, quod DEUS, cùm legem in monte Sinai daret, cum Judæis pepigit, neque fuiſſe fœdus operum neque fœdus gratiæ ſed fœdus nationale, quod utrumque ſuppoſuerit. Vide WITSII *œcon. fœd. DEI L. 4. C. 4. §. 51. ſqq. p. 632. ſqq.* & Vi-

& *VITRINGÆ aphoriſmos theologicos p. 270. 271.* ubi ita hic habet: *Fœderi huic Iſraëlitæ adſtipulati ſunt primùm ad montem Sinai, adminiſtro ſeu Mediatore Moſe, dein in campeſtribus Moabi, tandem verò in Canaane prope Sichemum apud montes Ebal & Garizim. Tùm teſtamentum vetus dictum redactum eſt in formam fœderis. Inter fœdus tamen Sinaiticum & Sichemiticum quod ad modum & quaſdam circumſtantias, differentia ſatis eſt notabilis. Ex. XX. 18. 19. Hebr. XII. 18. Gal. IV. 24.*

₃ bona ætatis hujus α electionem Iſraëlis, β terram Canaan, quæ tamen hæreditatem totam V. T. non efficit, γ divinæ majeſtatis viſibilem apparitionem, δ ceremonias typicas adeoque Evangelii involucra, ε continuatam Prophetarum virorumque θεοπνεύστων ſeriem, ζ Theocratiam η Urim & Thummim & quæ alia forſan addi poſſent. ₇ antiquationem Veteris Teſtamenti *Hebr.* VIII. 7. 8. 13. His jam ætatibus V. T. ſuccedit in N. T. quarta à Chriſto ad conſummationem ſeculi. Bona hujus quibuſdam ſunt exhibitio Meſſiæ conſummati, Evangelium κατ' ἐξοχὴν ſic dictum, vocatio gentium plenior, ſpiritus lætioris uberior menſura, libertas major & melior, lumen majus, reductio Iſraëlis, totius Eccleſiæ nova vita ex mortuis. Sacramenta ſunt baptiſmus & ſacra cœna. De quibus ſuo loco ſigillatim agemus.

§. X.

Digitized by Google

§. X.

Jam verò noſtram ſi ſententiam clarius efferre eo in argumento, quod varias omninò formas facile admittit, volupe nobis eſſet, ſimplicem planè ac facilem παιδείας τρόπον nos ſequeremur. Hic verò juxta naturam indolemque rei ipſius hiſtoricus mage quàm dogmaticus ut heic ſit, convenit. Ita primùm quidem de gratioſâ voluntate, quam Protoplaſtis DEUS, quam Noacho, quam Abrahamo, quam Patriarchis omnibus ſignificavit, diſſereremus & promiſſiones ipſis factas legeſque iiſdem datas & beneficia in eos collata, enuclearemus atque fœdera divina univerſalia à particularibus, qualia ſunt maximè Abrahamiticum, Moſaicum & Evangelicum, probè diſtingueremus. Deinde de beneficiis DEI, populum Iſraëliticum queis ſibi is obſtrinxit, planè peculiaribus legibuſque ipſi datis appenſiſque promiſſionibus ageremus, & quî DEUS gratiam ſuam iis diſpenſaverit, quænam & tota Theologia Judaica vetus fuerit, efferremus, nec ſaltem literam veteris teſtamenti ſed etiam ſenſum myſticum per traditionem propagatum atque vel maximè ab Apoſtolo Paulo declaratum hîc urgeremus atque adſpergeremus. Quin & monſtraremus quoque, quî juxta Jeremiam C. XXXI. 31. ſqq. & Paulum 2. *Cor.* III. 6. novum gratiæ divinæ fœdus veteri, quod DEUS cum Iſraëlitis pepigit, cùm eos ex Ægypto duceret, contradiſtinguatur, in eo maximè, quod ſpiritus, qui animum mutat, ſanctior tùm luculentus jam in novo fœdere ſe oſten-

oſtendit, qualis in vetere certè ordinario modo haud adparuerat, adderemus &, quî Apoſtolus Paulus fidelibus veteris Teſtamenti ea ipſa bona, etſi in menſurâ multò minore, adſcribat, quæ ad novum pertinent, 1. *Cor*. X. 3. 4. quî & peccata in V. T. commiſſa in Novo demùm actu expiata fuerint. *Rom*. III. 25. *Ebr*. IX. 15. Cæterùm & ex *Gal*. IV. 24. ſqq. patet, Vetus Teſtamentum κατ' ἐξοχὴν ſic dictum à monte Sinai repetendum eſſe. Addenda eſt epiſtola ad Hebræos, ubi datâ operâ *Cap*. VIII. IX. X. hoc argumentum tractatur. Scilicet & hîc teſtamentum vetus ſive fœdus illud Sinaiticum & teſtamentum novum ſibi invicem opponuntur omniſque veteris teſtamenti virtus ſalutaris ex ratione typicâ cærimoniarum veterum, quibus gratia involuta erat, derivatur. At verò tractatio argumenti hujus hîc apud Autores valdè eſt diverſa. Sociniani in tres periodos Eccleſiam findunt, quam utpote Patriarchalem, legalem & Evangelicam ſtatuunt, id quod & Arminiani faciunt, qui tria fœdera diſtinguunt, Abrahamiticum, Iſraëliticum & illud, quod in N. T. cum gentibus DEUS pepigerit. Romanenſes, qui limbum Patrum V. T. ſtatuunt, ajunt, nullam in V. T. remiſſionem peccatorum plenariam exſtitiſſe. MOSES AMYRALDUS, Theologus Gallus Salmurienſis tria, uti jam ſupra innuimus, fœdera ſtatuit. Primum eſt fœdus naturæ cum primo homine initum, cujus ſemina ſub cineribus ignorantiæ uſque ad Moſen duraverint. Secundum eſt fœdus operum, fœdus ſcilicet Sinaiticum & legale,

Digitized by Google

le, cui appenſa erat de poſſeſſione terræ Canaân promiſſio. Tertium eſt fœdus gratiæ in N. T. quo vita æterna promittitur. JO. COCCEJUS, qui Vet. Teſtamenti primordia à monte Sinai repetiit, Patribus V. Teſt. πάρεσιν ſaltem, non ἄφεσιν peccatorum adſcripſit legemque ipſis ob μοσχολατρείαν datam eſſe finxit promiſſionemque de terrâ Canaan cum AMYRALDO, Socinianis & Remonſtrantibus ſaltem urgere viſus eſt, qui profectò veteris Teſtamenti bona ſatis extenuavit, defectus auxit. Inter noſtros ſunt, qui vetus Teſtamentum mox à Protevangelio ordiantur, alii, qui à monte Sinai illud derivent fœduſque Sinaiticum legale appellitent. Omnes verò in eo conſentiunt, quòd & ſalus æterna per fidem in Meſſiam obtinenda, Patribus V. Teſt. promiſſa & cum peccatorum remiſſione obtenta quoque ab ipſis fuerit. Sed hæc ſufficiant.

§. XI.

Quod reſtat, quicunque ea, quæ hactenùs de fœderibus & teſtamentis divinis variiſque eorum diſpenſationibus & œconomiis diximus, probè penſitaverit, is haud ſatis admirandam DEI, quæ heic plenis velis ſpectandam ſeſe exhibet, ergà genus humanum lapſum miſericordiam & bonitatem, admirandam itidem ipſius in diſpenſandâ hâc gratiâ ſapientiam deprædicare poterit. Jam enim quæ major creaturæ lapſæ contingere potuerit ſalus, quàm quæ nobis lapſis contigit, vix aſſequimur. Qui enim ob peccatum morti eramus tradendi, iiſcum ecce novum

gratiæ

gratiæ divinæ fœdus pangitur novaque datur de ſalute æterna nanciſcenda promiſſio, cujus participes evadere poſſimus, ſi ſaltem vitam nobis promiſſam fide adprehendamus atque ad mandata divina converſationis noſtræ rationes componamus. Quod cum ita ſit, quis eſt ex nobis, qui non pacto huic libenter manus det, qui non iſtud in fidei obſequium pedibus ruat atque, ubi ſemel fidem dedit, ubi in pactum ivit, ubi Satanæ mundique pompis nuncium miſit, obſequia iſta ipſo facto jam præſtet & talem ſe ſiſtat qualem fœderatum DEI eſſe decet? Scilicet, qui ſalute fœderatis DEI promiſſâ eâque æternâ & plane luculentâ haud tangitur, pœnâ eâ tangatur oportet, fœdifragos iſtos rebelleſque quæ manet. *Hebr.* II. 1. ſqq. XII. 25. ſqq. Et verò ingratiſſimos nos planèque inexcuſabiles, qui ſub Novo Teſtamento vivimus, atque, ubi major Spiritûs menſura nobis datur, ubi plenior eſt revelatio, ubi bonorum gratiæ ſummus eſt affluxus, ita tamen nos gerimus, ac ſi ſub umbris veteris Teſtamenti adhuc nobis vivendum eſſet, & ſolis externis cærimoniis ritibuſque eccleſiaſticis inhiamus. Notemus quæſo verbum Apoſtoli: LITERA OCCIDIT, SPIRITUS VIVIFICAT, & hanc demus operam, ut intus mutatâ mente & lapide in carnem verſo corda noſtra pleno DEO abundent, eâque ſed internâ atque eò præſtantiore ſanctimoniâ floreant, quæ futuræ gloriæ certa eſt atque planè haud fallax præambulâ,

Digitized by Google

le, cui appenſa erat de poſſeſſione terræ Canaan promiſſio. Tertium eſt fœdus gratiæ in N. T. quo vita æterna promittitur. JO. COCCEJUS, qui Vet. Teſtamenti primordia à monte Sinai repetiit, Patribus V. Teſt. πάρεσιν ſaltem, non ἄφεσιν peccatorum adſcripſit legemque ipſis ob μοσχολατρείαν datam eſſe finxit promiſſionemque de terrâ Canaan cum AMYRALDO, Socinianis & Remonſtrantibus ſaltem urgere viſus eſt, qui profectò veteris Teſtamenti bona ſatis extenuavit, defectus auxit. Inter noſtros ſunt, qui vetus Teſtamentum mox à Protevangelio ordiantur, alii, qui à monte Sinai illud derivent fœduſque Sinaiticum legale appellitent. Omnes verò in eo conſentiunt, quòd & ſalus æterna per fidem in Meſſiam obtinenda, Patribus V. Teſt. promiſſa & cum peccatorum remiſſione obtenta quoque ab ipſis fuerit. Sed hæc ſufficiant.

§. XI.

Quod reſtat, quicunque ea, quæ hactenùs de fœderibus & teſtamentis divinis, variiſque eorum diſpenſationibus & œconomiis diximus, probè penſitaverit, is haud ſatis admirandam DEI, quæ heic plenis velis ſpectandam ſeſe exhibet, ergà genus humanum lapſum miſericordiam & bonitatem, admirandam itidem ipſius in diſpenſandâ hâc gratiâ ſapientiam deprædicare poterit. Jam enim quæ major creaturæ lapſæ contingere potuerit ſalus, quàm quæ nobis lapſis contigit, vix aſſequimur. Qui enim ob peccatum morti eramus tradendi, iiſcum ecce novum

gratiæ

gratiæ divinæ fœdus pangitur novaque datur de ſalute æterna nanciſcenda promiſſio, cujus participes evadere poſſimus, ſi ſaltem vitam nobis promiſſam fide adprehendamus atque ad mandata divina converſationis noſtræ rationes componamus. Quod cum ita ſit, quis eſt ex nobis, qui non pacto huic libenter manus det, qui non iſtud in fidei obſequium pedibus ruat atque, ubi ſemel fidem dedit, ubi in pactum ivit, ubi Satanæ mundique pompis nuncium miſit, obſequia iſta ipſo facto jam præſtet & talem ſe ſiſtat qualem fœderatum DEI eſſe decet? Scilicet, qui ſalute fœderatis DEI promiſſâ eâque æternâ & planè luculentâ haud tangitur, pœnâ eâ tangatur oportet, fœdifragos iſtos rebelleſque quæ manet. *Hebr.* II. 1. ſqq. XII. 25. ſqq. Et verò ingratiſſimos nos planèque inexcuſabiles, qui ſub Novo Teſtamento vivimus, atque, ubi major Spiritûs menſura nobis datur, ubi plenior eſt revelatio, ubi bonorum gratiæ ſummus eſt affluxus, ita tamen nos gerimus, ac ſi ſub umbris veteris Teſtamenti adhuc nobis vivendum eſſet, & ſolis externis cærimoniis ritibuſque eccleſiaſticis inhiamus. Notemus quæſo verbum Apoſtoli: LITERA OCCIDIT, SPIRITUS VIVIFICAT, & hanc demus operam, ut intus mutatâ mente & lapide in carnem verſo corda noſtra pleno DEO abundent, eâque ſed internâ atque eò præſtantiore ſanctimoniâ floreant, quæ futuræ gloriæ certa eſt atque planè haud fallax præambula,

bula, veræ in Chriſtum Salvatorem fidei individua comes & pediſſequa. Quod ſi factum à nobis fuerit, nullum eſt dubium, fore, ut bonis hoc fœdere promiſſis ſine ullâ exceptione olim fruamur atque in æternitatem uſque læti gaudeamus atque abundemus.

CAPUT III.

DE LEGIBUS DIVINIS TUM UNIVERSALIBUS TUM PARTICULARIBUS ATQUE AD SOLUM VETUS TESTAMENTUM PERTINENTIBUS HUJUSQUE SACRAMENTIS.

§. I.

POſtquàm de fœderibus & teſtamentis divinis, quæ dicenda eſſe videbantur, brevi manu dedimus atque ad luculentiorem curatioremque rerum evolutionem digitum ſaltem tantiſper intendimus, de legibus divinis, quæ vetus

Digitized by Google

tus Teſtamentum reſpiciunt, pauciſſimis jam diſſerendum eſt. At verò & hic ordinem rerum obſervabimus agemuſque I. de legibus divinis naturalibus atque de lege divinâ morali, quæ vocatur, & in Decalogo elata exſtat. II. de lege divinâ poſitivâ univerſali. III. de legibus cærimonialibus & forenſibus, Judæis quæ datæ fuere.

§. II.

De lege naturæ ubi quædam heic monenda veniunt, cavendum præcipuè nobis eſt, ne in caſtra Philoſophorum heic involemus, quos conſtat fundamentum ejus non in voluntate ſed in ſanctitate divinâ quærere & affirmare, leges naturales vel eapropter diſpenſationem haud ferre, quod ex naturâ divinâ immediatè effluant. Jam ex ejuſmodi legibus vel maximè conſiſtit Decalogus. *Exod.* XX. *Matth.* V. 21. ſqq. XXII. 37. ſq. ita dictus, quod decem ille verba comprehendit *Ex.* XXXIV. 28. *Deut.* IV. 13. X. 4. duabus in tabulis exarata *Ex.* XXIV. 12. XXXI. 18. &c. quæ vario modo diſpeſci poſſunt, vel ut ad primam tabulam quatuor præcepta, ſex ad ſecundam referas, ſeparando, quæ ad primum præceptum pertinent & nonum ac decimum conjungendo, id quod Reformati faciunt, cum quibus eandem tibiam Eccleſia Argentoratenſis inflat, vel ut primam tabulam tribus, ſecundam ſeptem præceptis abſolvas, id quod & identitas objecti in primo præcepto & accen-

Digitized by Google

tuatio diverſitaſque objecti in nono & decimo requirit, quæ noſtratium mens eſt. Scilicet in præcepto nono concupiſcentia actualis verbo לא תחמד in decimo originalis verbo לא תתאוה prohiberi à noſtris creditur. Summa Juris naturalis eſt, ut *piè*, ut *ſobriè*, ut *juſtè* in hoc mundo vivamus, quæ tria officia ſunt erga DEUM, ſemetipſum & proximum. *Tit.* II. 12. Sunt verò hæ leges naturales inſitæ eâ ratione, uti ſupra diximus. Conſtat autem, legem Moralem à DEO vel potius Filio DEI *Ex.* III. 2. 12. *Act.* VII. 38. *Pſ.* LXVIII. 9. 18. *Hebr.* XII. 26. miniſtrantibus Angelis *Deut.* XXXIII. 5. *Act.* VII. 53. *Gal.* III. 19. mediante Moſe *Gal.* III. 19. *Ex.* XIX. 3. *Joh.* I. 17. *Mal.* IV. 4. datam ſcriptamque in tabulis lapideis ab ipſo DEO *Ex.* XXXI. 18. XXXII. 12. 2. *Cor.* III. 2. 3. fuiſſe, quas fractas Moſes dein refecit. Poſcit autem hæc lex perfectionem graduum *Deut.* VI. 5. *Matth.* XXII. 37. *Luc.* X. 27. partium *Deut.* XXVII. 26. *Gal.* III. 10. *Jac.* II. 10. & perſeverantiæ *Ezech.* XVIII. 24. XXXIII. 12. Appenſa eſt legi morali vitæ æternæ promiſſio *Lev.* XVIII. 5. *Ezech.* XX. 11. *Rom.* X. 5. *Gal.* III. 12. Uſus ejus pro ratione diverſorum hominis ſtatuum varius eſt. Eſt autem ſtatus hominum, ut conſtat, triplex, *inſtitutus*, *deſtitutus*, *reſtitutus*. In ſtatu *inſtituto* lex moralis homini erat I. norma naturæ & omnium actionum ſuarum, ad quam ſuâ

ſuâ ſponte ſummâque animi lubentiâ ſe conformabat. II. Eximium pulcherrimumque ornamentum, quatenus ipſius DEI creatrice manu menti illius indita atque impreſſa erat. III. medium acquirendæ conſummatæ felicitatis, cujus promiſſio legi à DEO erat adjecta. In ſtatu *deſtituto* legis moralis uſus eſt quadruplex, politicus, elencticus, pædagogicus & didacticus. Politicus. Nam facit omninò lex naturæ ad refrenandos homines & ad externam aliquam morum honeſtatem formandos, ut politiæ conſervari queant & genus humanum per adulteria, rapinas, latrocinia & ſimilia nefanda ſcelera non perimatur. 1. *Tim.* I. 9. 10. Elencticus. Ita lex moralis nobis inſervit ad detegendum & redarguendum peccatum *Rom.* III. 20. VII. 7. 13. 1. *Cor.* XV. 56. imò & ad augendum id acuendumque *Rom.* VII. 8. 1. *Cor.* XV. 56. peccatoremque damnandum *Rom.* III. 19. Hinc dicitur iram operari *Rom.* IV. 15. maledicere *Gal.* III. 10. miniſterium mortis 2. *Cor.* III. 6. Pædadogicus. Deducit quippe idem peccatores, qui vident, ſe legem haud ſervare poſſe, ad Chriſtum *Rom.* X. 4. *Gal.* III. 24. Didacticus uſus eſt poſtremus, qui ſcilicet ſe exſerit in directione vitæ & morum atque in eorum, quæ bona & mala ſunt, enarratione. *Rom.* III. 31. *Matth.* XXII. 37. In ſtatu denique *reſtituto* lex docet fideles I. quàm accuratam pro iis obedientiam præſtiterit Chriſtus & quantum ei debeant, qui, quùm Dominus legis eſſet, ſe

Digitized by Google

legi pro iis ſubjecit, non modò ad obedientiam ſed & ad maledictionem, ut eos à lege redimeret *Gal.* IV. 4. 5. II. quàm longe adhùc abſint ab eà legis perfectione, quæ lege exigitur, ut eò melius formentur ad humilitatem & abnegationem omnis propriæ juſtitiæ *Phil.* III. 8. 9. & deſiderium beatæ conſummationis *Rom.* VII. 24. III. quæ ſit norma gratitudinis ipſorum & ſcopus, ad quem tendere debent *Phil.* III. ſq. 12. 1. *Tim.* I. 5. IV. Denique atteſtatur initiis ſanctificationis eaque approbat & laudat & conſolatur eos tanquàm ſinceros Iſraëlitas, qui condelectantur legi DEI ſecundùm interiorem hominem *Rom.* VII. 22. Hoc verò facit lex non ex autoritate poteſtatis ſuæ, quæ nil niſi perfectè ſanctum admittere poteſt damnatque omne illud, quod vel minimâ labe taminatum eſt ſed ex auctoritate gratiæ Chriſti, cui nunc ancillatur & cujus juſſu imperfecta etiam fidelium opera laudat, ſincera eſſe declarat & eatenus ea tanquàm ſibi conformia approbat. Atque eo ſenſu δικαίωμα legis impletur in iis, qui non ſecundùm carnem ſed ſecundùm ſpiritum ambulant *Rom.* VIII. 4. Hactenus WITSIUS *in Oecon. Fœd. DEI. L. IV. C. 4. §. 41. 42. p. 627. 628.* ubi tamen id quoad poſteriora verba notandum venit, δικαίωμα legis impleri in renatis juxta communem ſententiam non effectivè ſed imputativè, etſi utrumque hìc conjungat in notâ ad h. l. B. HEDINGERUS.

Adden-

Digitized by Google

Addenda veniunt hæc α legem naturalem homini datam primùm ſub ſpe & promiſſione vitæ æternæ *Levit.* XVIII. 5. *Rom.* X. 5. & ſub comminatione pœnarum æternarum *Gal.* III. 10. 12. *Rom.* I. 18. ſqq. fuiſſe, β legem hanc moralem ab homine lapſo ſervari perfectè adeoque eundem per legem hanc juſtificari amplius haud poſſe *Act.* XIII 38. XV. 10. *Rom.* III. 28. VIII. 3. *Gal.* II. 16. *Ebr.* VII. 19 Scilicet lex moralis in omni ſuo rigore à renatis impleri ſervarique haud poteſt α quia omnes peccati fomitem adhùc in pectore gerunt imò & actualiter ſemper uſque ad mortem peccant. Hoc ut probetur, communiter allegari videas dicta *Gen.* VI. 5. VIII. 21. 1. *Reg.* VIII. 46. 2. *Chron.* VI. 36. *Pſ.* XIV. 3. *Rom.* III. 12. *Jac.* III. 2. Quæ etſi omnia haud ſtringant, patet tamen, in hominibus quoque ſanctiſſimis inveniri ſubinde motus ἀνόμους & queis manus ſi darentur, peccaretur, id quod ſanè nemo diſſentientium, qui ſapit, negaverit, β quia lex ſpiritualis eſt & requirit omnem, internam quoque, juſtitiam *Rom.* VII. 14. *Matth.* V. γ quia fidelibus in hàc vitâ ſaltem primitiæ ſpiritus dantur, *Rom.* VIII. 23. lucta cum carne ſemper intercedit, *Gal.* V. 17. renovatio nunquam contingit perfecta 2. *Cor.* IV. 16. & ſemper pro remiſſione peccatorum precandum eſt *Matth.* VI. 12. δ Tacemus ſanctorum confeſſio-

feſſiones. *Ex.* XXXIV. 7. 1. *Reg.* VIII. 46. *Job.* IX. 2. 3. XV. 15. *Pſ.* XXXII. 6. XIX. 13. *Prov.* XX. 9. *Jeſ.* LXIV. 6. ubi tamen vel maximè obſerves velim, poſtremum dictum planè haud ſtringere, etſi pro hâc theſi communiter allegetur, cùm ibi de juſtitiâ renatorum prorſus quæſtio non ſit, ſed de juſtitia putatitia, hypocritica, externa & mercenariâ populi Judaici, ex quo & patet, quàm perverſe hoc dictum communiter in ſermonibus eccleſiaſticis applicetur. Quamvis autem legem renati perfectè implere nequeant, poſſunt tamen eam debentque implere eatenus, UTI ID DEUS IN FOEDERE GRATIÆ ſive SUB EVANGELIO REQUIRIT. Idque facile prorſus eſt. Jam enim hanc in rem manus nobis ſuas adjutoriumque ampliſſimum Spiritus S. præbet. 1. *Joh.* V. 3. *Matth.* XI. 30. *Joh* XIV. 23. *Rom.* XIII. 8. *Gal.* V. 14. Ubi verò in ſacris literis ſanctorum perfectio vel præſcribitur vel laudatur *Gen.* VI. 9. XVII. 1. *Matth.* V. 48. XIX. 21. *Phil.* III. 15. 1. *Ioh.* IV. 12. ibi perfectio ſaltem inchoata, non conſummata, reſpectiva non abſoluta, Evangelica non legalis, addunt alii imputata, non inhæſiva, externa ſubinde, non interna, intelligitur. Licet enim 1. *Ioh.* III. 9. dicatur, eum, qui natus eſt ex DEO, *peccatum* non *facere*, id tamen ſaltem innuitur, peccatum mortale cum ſtatu gratiæ conſiſtere non poſſe. Jam enim

enim & renati peccatum habent 1. *Ioh.* I. 8. 3 Id quoque contra Antinomos monendum, lem abrogatam fuiſſe per fœdus gratiæ quoad rigorem exactionis *Gal.* V. 18. & quoad damnationem fidelium, qui non amplius ſub lege ſed ſub gratiâ ſunt *Rom.* VI. 14. 1. *Tim.* I. 9. att legis doctrinam in Eccleſia non abrogandam eſſe, cum & in ſtatu deſtituto & in reſtituto lex maximum uſum habeat. Scilicet juxta præſcriptum legis tenemur vivere *Matth.* V. 17. XXII. 37. ſqq. *Ioſ.* I. 8. *Rom.* III. 31. 4 Addendum & eſt, Chriſtum in N. T. neque per ſe neque per Apoſtolos præcepta legis moralis per Moſen traditæ perfectiora & auctiora reddidiſſe ſed ſaltem à corruptelis Pharifaicis repurgâſſe & declarâſſe, adeoque novum legiſlatorem non eſſe. Id quod vel ex eo quoque patet, quod ipſe legem moralem in monte Sinai dedit, ubi legiſlatorem ſe ſtitit. Cæterum hæc poſitio Pontificiis, Socinianis, Arminianis & Anabaptiſtis communiter à noſtris opponitur. Nolim verò egomet hoc probare 1. ex legis perfectione *Pſ.* XIX. 8. quoniam per voculam תמים hîc potius puritas quàm perfectio deſignatur, & omnis perfectio utique in ſuo genere eſt perfectio, pro eo ſtatu & pro eâ œconomiâ, ad quam pertinet. 2. ex legiſlatoris immutabilitate *Mal.* III. 6. quia legiſlatoris immutabilitatem tàm non jugulat legis moralis adauctio quàm non eandem jugulat legum Judaicarum abroga-

 tio,

tio, 3. ex objectorum generalitate, quia omnia, quæcunque cogitari poſſunt officia, hùc referri poſſint. Quæritur enim hoc, num juxta mentem Legiſlatoris expreſſam hùc quoque jam REFERENDA SINT? 4. ex ſufficiente omnium virtutum & vitiorum inductione & ad decalogum reductione, ubi profectò idem, quod modò diximus, militat, 5. ex Chriſti & Moſis in legis datione oppoſitione *Joh.* I. 17. cùm ex hoc contrarium potius ſequi videatur, id quod & ad *Joh.* V. 45. monendum eſt. Hoc enim effatum ſi excluſive intelligendum ſit, nimium utique probaret, cùm Chriſtum Judicem eſſe nemo diffiteatur. 6. ex Scripturæ ſilentio, cùm de hoc utique quæſtio ſit, & qui ita diſputat, principium petat. Vide *Quenſtedii Theologiam didactico-polemicam P. 4. C. 1. Sect. 2. f. 49. 50.* Malim ergò ex inductione oſtendere, nullam novam à Chriſto legem latam eſſe, cùm ea, quæ *Matth.* V. memorantur, falſis Phariſæorum δευτερώσεσι oppoſita eſſe pateat, & ſacramenta N. T. inſtituta potius quàm leges ſint. Adde eundem Theologum *l. c. f. 50. ſqq.* At verò hìc in lite multum quoque λογομαχίας verſari quivis facilè conſpexerit, qui conſideraverit, legem moralem à Chriſto ſaltem clarius atque explicatius traditam ejuſque officia ad altiorem tantummodò gradum, quàm qui hactenus omnibus innotuerat, evecta fuiſſe.

§. III.

Digitized by Google

§. III.

Ad leges DEI poſitivas univerſales noſtra jam ſe vertit tractatio. Hæ verò illæ ſunt, quæ non ex naturâ divinâ ſed ex libero DEI arbitrio profluxere, omnibus verò hominibus datæ fuere, etſi hactenus, quòd poſitivæ ſunt, ſint diſpenſabiles. Itaque, quænam hæ leges ſint, non ex traditione vel ex verbo DEI ſcripto diſcendum eſt. Referimus autem hùc I. mandatum de non comedendo ex arbore vetitâ, quod omnes homines, qui tùm vixere, reſpexit. II. Sacrificia, quorum inſtitutio probabiliter ita fuit comparata, ut hic cultus omnibus hominibus fuerit injunctus. Jam enim Romanenſibus hîc non adhinnimus, qui ad legem naturalem ea referunt, vel Remonſtrantibus, qui putant, ex proprio hominum ingenio hanc DEUM colendi rationem natam eſſe. Id enim ἐθελοθρησκεία foret, quam DEUS damnat. Scilicet ſacrificium Abelis, ſi in ἐθελοθρησκεία conſtitiſſet, à DEO haud fuiſſet approbatum, licet dici poſſit, DEUM ea, quæ piâ mente ab hominibus ad ipſum colendum excogitata fuere, poſtliminio utique approbare potuiſſe. *Gen.* IV. 4. *Ebr.* XI. 4. III. præceptum de Sabbato. Vide dicta *Gen.* II. 2. 3. *Exod.* XX. 10. 11. *Hebr.* IV. 3. ſqq. ex quibus patet, Sabbatum jam ante legem Moſaicam inde à creatione mundi obtinuiſſe, id quod contra Romanenſes multos & Reformatos, inter quos THYSIUS, PRIDEAUX,

GOMA-

Digitized by Google

GOMARUS, COCCEJUS, SPENCERUS & BURMANNUS maximè nominandi veniunt, qui nempe πρόληψιν *Gen.* II. 1. ſq. ſtatuunt, probè notandum eſt. At lex hæc poſitiva univerſalis in N. T. abrogata eſt *Rom.* XIV. 5. 6. *Gal.* IV. 10. *Col.* II. 16. ubi quidem primis adhuedum temporibus dies Sabbati fuit ex libertate Chriſtiana in quibuſdam cœtibus celebratus & dies dominica ſaltem addita, poſtea verò ſenſim ſenſimque Sabbatum celebrari deſiit. Scilicet adcuratè haud dicitur, diem dominicum in locum abrogati ſabbati ſurrogatum fuiſſe. Vide JO. HENNINGI BOEHMERI *diſſertationes Juris eccleſiaſtici antiqui, diſſert. 1. de ſtato Chriſtianorum die.* Quod reſtat, cùm in præcepto de Sabbato aliquid morale & aliquid cærimoniale ſit, quærere de utroque ſolent Theologi. Certum id eſt, morale hoc eſſe, DEO externum deberi cultum. Num verò ad certum is diem, num & ad ſeptimum is ut ſolennior ſubinde fiat, ſit reſtringendus, ulterius quæri videmus. Sententiam communiorem noſtratium ita QUENSTEDIUS effert: *Unus è ſeptem diebus etſi non à creatione ſeptimus ſed in cyclo hebdomadali ſeptimus ſive unus certus dies inter ſeptem ex vi tertii præcepti, quod morale eſt, cultui divino etiam in Novo Teſtamento eſt deſtinandus. Id enim perpetuæ moralitatis eſt in divino mandato, ut DEUS colatur externo modo & certo die.* Aſt malim ego in ſententiam librorum ſymbo-

ſymbolicorum pedibus ire, qui p. 42 43. 152. ſqq. & hanc ſeptimi diei conſtitutionem ad cærimonialia referunt. Qua de re inter noſtros ZELLERUS, OSIANDER, FECHTIUS, STRYKIUS, SEELIGMANNUS, alii videantur. IV. Sunt &, qui ad legem DEI poſitivam univerſalem referant Monogamiam ſimultaneam & matrimonii indiſſolubilitatem, idque ex primæva inſtructione, quam Chriſtus *Matth.* XIX. explicavit. V. Nec deſunt, qui gradus prohibitos in linea tranſverſa *Levit.* XVIII. hùc trahant, propterea quòd ob inceſtus hoſce gentes punitæ ibidem verſibus 27. 28. 29. legantur. VI. Tacemus legem de homicidis capitaliter puniendis Noacho præſcriptam *Gen.* IX. 6. *Exod.* XX. 13. *Num.* XXXV. 31. 33. & legem illam de concubitu cum menſtruatâ *Levit.* XX. 1. 18. quæ tamen poſterior naturalis potius eſt, itemque legem de non comedendo ſuffocato & carne itidem cruda non comedenda *Gen.* IX. 4. 5. *Levit.* III. ult. VII. 26. XVII. 14. 15. *Deut.* XII. 23. ſqq. *Act.* XV. 20. 29. VII. Denique tacemus & legem illam poſitivam univerſalem, indiſpenſabilem verò illam ſed ex lumine naturæ haud notam, omnibus licet ſalvandis obſervandam: CREDE IN CHRISTUM ET SALVABERIS. Ex quibus omnibus patet utique, leges poſitivas univerſales dari. Quod qui negavere ex recentioribus, ea nobis hîc ſyſtemata dedere, quæ vel majoribus vel iiſdem obnoxia difficultatibus ſunt, quibus obnoxiæ ſunt leges

Digitized by Google

leges poſitivæ univerſales. Maxima, quæ ſcilicet eaſdem premit, difficultas à defectu promulgationis petita eſt. Ita quippe leges iſtæ de gradibus prohibitis quî Cananæis gentibus promulgatæ fuerint, haud conſtat, etſi per Prophetas vel traditionem id commodè fieri potuiſſe nemo eſt qui negare poſſit. Sed conferenda hîc ſunt, quæ ſcripſere GROTIUS, KULPISIUS, THOMASIUS, BUDDEUS, HOCHSTETTERUS, inter quos verò ſunt, quos mentem ſuam heic mutaſſe conſtat.

§. IV.

De legibus cærimonialibus pauca addenda veniunt. Spectant illæ Judæorum ſacra & religionem cultumque divinitus ſtabilitum, atque in libris Moſaicis elatæ exſtant. Scilicet fuit & ipſe Moſes, per quem DEUS populo Iſraëlitico eas promulgandas curavit, antequam in terram Canaan hic intraret. Jam ſi harum legum contenta nôſſe velis certumque tibi rerum ſyſtema formare, inter eos, qui compendia antiquitatum Judaicarum dedere, vel maximè velim ut GOODWINUM vel RELANDUM conferas, & SPENCERUM, ZEPPERUM & OUTRAMUM *de ſacrificiis* adjungas. Pertinent quippe hùc omninò argumenta de perſonis ſacris, de Sacerdote ſummo, de Sagane, de ſacerdotibus in genere, de Levitis, de Naziræis, de Prophetis, de Regibus, de Synedriis, de veſtitu ſacro,

Digitized by Google

ſacro, de cultu divino, de ſacrificiis variiſque eorum generibus, ubi notandus uſus eorundem א legalis, qui fuit ἀνάμνησις ἁμαρτιῶν *Hebr.* X. 3. ב evangelicus ſive typicus *Rom.* X. 4. *Col.* II. 17. *Hebr.* IX. X. *Eph.* V. 2. quâ ratione eadem fuere pædagogus ad Chriſtum *Gal.* III. 24. 25. & chirographum, quo peccata fuere exprobrata, *Coloſſ.* II. 14. notanda & varia ſacrificiorum materia, qualis fuit vel res inanimis מנחה eaque vel ſolida, ut panis, thus, ſal &c. vel liquida, ut vinum, oleum &c. vel res animata זבח quæ tamen animal mundum eſſe debuit, idque vel quadrupes, ut bos, vacca, vitulus, capra, ovis vel volatile, ut columba & turtur, notandæ & diverſæ ſacrificiorum ſpecies עולה holocauſtum שלמים ſacrificia pacifica, quæ partim cremabantur, partim edebantur tùm à ſacerdotibus tùm ab iis, qui obtulerant, חטאה & אשם hoſtia pro peccato & reatu, quarum haud magna fuit differentia, quam noſſe qui voluerit, poſt alios V. C. Andr. Chriſtoph. ZELLERUM in tr. de *vaccâ rufa p. 244. ſqq.* adeat, notandus & varius ſacrificiorum finis vel latreuticus, vel euchariſticus, vel impetratorius, vel hilaſticus, ut taceam, ſacrificia alia conſecrationis, alia mundationis, alia quotidiana, alia ſabbataria, menſtrualia alia, alia annua ſeu anniverſaria, (quò ſacrificia feſtorum ſpectant,) fuiſſe, notandum & hoc denique, ſacrificia iſta expiaſ-
ſe

Digitized by Google

ſe crimina non ex opere operato, quod tamen expiatio civilis utique inſecuta fuit, ſed ex virtute ſua typicâ, cui fides offerentis admiſceri debuit, nec potuiſſe offerri niſi in tabernaculo & templo Hieroſolymitano nec niſi à Judæis, fuiſſeque abrogata, Meſſiâ adventante ſacrificiorum antitypo. Argumentum de ſacrificiis ſequatur ; eccetſe eſt argumentum de primogenitis animantium, decimis eorundem, agno paſchali, primitivis & primitiis, decimis, votis, jejuniis, de locis ſacris, de tabernaculo, templo, Synagogis, itemque argumentum de diebus feſtis, ubi conſideres velim feſta hebdomadaria, menſtrua, anniverſaria, ſeptennia & Jubilæa, quæ tamen omnia ſaltem hîc indicâſſe nobis, qui antiquitates Judaicas heic non explanamus, ſufficit. De origine legum cærimonialium notum eſt, quid SPENCERUS, quid MARSHAMUS ſtatuant, leges has cærimoniales, quæ nempe idololatricæ haud exſtiterint, ab Ægyptiis ad populum Judaicum translatas fuiſſe, notum etiam eſt, quid JO. COCCEJUS cum ſuis ajat, leges haſce, ut nempe frenum Iſraëlitis imponeretur, pœnâque heic illi afficerentur, ob *μοσχολατρείαν* à gente Judaica commiſſam à DEO irato latas eſſe. Utrumque falſum. Et illud quidem effatis ſacris *Lev.* XVIII. 2. 3. *Deut.* XII. 2. 3. 4. contrarium eſt, hoc formulæ illi, quæ profectò nonniſi gratiam ſpirat Decalogoque præfixa eſt. *Ego ſum Dominus DEUS tuus, qui ex Ægypto te eduxit*

Exod.

Exod. XX. 2. imò & rationi legum cærimonialium typicæ adverſum eſt. Vide Reverendiſſ. JÆGERI noſtri tr. *de fœdere gratiæ L.* 2. *C.* 4. Jam quod uſum legum cærimonialium attinet, is fuit vel α typicus, uti jam de ſacrificiis monuimus vel β politicus ad diſcernendos à gentibus Judæos inſerviens, unde & vocatur ſepes intermedia *Eph.* II. 14. ſqq. & ad Judæos, contumacem populum & laſcivientem compeſcendos & ſub jugum mittendos ſpectans *Gal.* IV. 1. ſqq. Sublata verò, adveniente Chriſto, hæc lex fuit, id quod tùm ex prædictionibus *Ieſ.* LXVI. 1. ſqq. *Ier.* III. 16. 17. XXXI. 33. 34. *Dan.* IX. 24. 25. 26. 27. tùm ex *Rom.* X. 4. *Gal.* II. III. IV. *Col.* II. 16. *Hebr.* VII. VIII. IX. clarum eſt. Scilicet adventante corpore umbra ceſſavit. Adde *Matth.* XV. 11. Cæterùm Auctores illos, qui de legibus Hebræorum cærimonialibus egere inter Chriſtianos, ferè omnes allegavit celeberrimus FABRICIUS in *Bibliographia antiquaria*, de Judæis verò in *Bibliotheca Hebraica* conferendus eſt clariſſ. WOLFIUS.

§. V.

Lex Hebræorum forenſis nihil aliud eſt quàm lex eorum ſtatutaria, quâ & in civilibus & criminalibus diſpoſitum fuit. Vocantur ſtatuta hæc forenſia Hebraicè משפטים uti leges cærimoniales appellantur חקים De legibus hiſce forenſibus conſulendi maximè veniunt GERHARDUS, ZEPPERUS, SELDENUS, LEYDECKERUS,

Digitized by Google

RUS, alii, maximè interpretes Biblici. Patet verò hinc, ſtatum populi Judaici fuiſſe Theocraticum. Ipſe enim DEUS fuit, has qui leges tulit. *Judic.* VIII. 23. 1. *Chron.* XXIX. 5. Jam & hæ leges forenſes deſtructa Republica Judaica abrogatæ fuere. *Gen.* XLIX. 10. *Dan.* IX. 26.

§. VI.

Reſtat, ut de ſacramentis Veteris Teſtamenti pauliſper agamus, ubi id quidem non amplius repetimus, quod in priore capite de ſacramentis fœderis operum, item de ſacramentis extraordinariis in deſerto, quæ & valdè impropriè ſic dicuntur, diximus. De ordinariis ſaltem, quæ circumciſio & agnus Paſchalis ſunt, jam loquamur. Ante omnia autem notamus, doctrinam de ſacramentis Vet. & Novi Teſtamenti melius habituram, ſi planè vox *ſacramenti* nunquàm in uſum dogmaticum veniſſet. Ratio obſervationis noſtræ hæc eſt, quia vox hæc diverſis planè modis ab Autoribus ſectarum heic inter ſe diſſentientium ſumitur. Hinc eſt, quod ſubinde inter Reformatos ſunt, qui plura Veteris Teſtamenti ſacramenta ſtatuunt, quàm communiter ſtatui ſolent, hinc & eſt, quòd Romanenſes plura Novi Teſtamenti ſacramenta ſtatuunt, quàm Proteſtantium τρόπος παιδείας fert, hinc denique eſt, quòd Apologia Auguſtanæ Confeſſionis TRIA SACRAMENTA PROPRIE SIC DICTA in Novo Teſtamento ſtatuit, bapti-

Digitized by Google

baptiſmum, S. cœnam & abſolutionem, ubi OMNIA noſtra ſyſtemata à libro hoc ſymbolico, ubivis tamen recepto, abire videmus. Nec tamen, arbitror, in doctrina hic diſſenſus eſt, qui ſaltem termini acceptionem ſpectat. Itaque quod alibi de articulis fidei fundamentalibus diximus, hîc quoque jam adplicamus & dicimus, eum, qui de ſacramentorum numero diſputat, diſſentienti hanc quæſtionem ante omnia debere proponere: *dic mihi ſodes, Domine, quomodo ſumis vocem ſacramenti?* Hoc ſi quis fecerit, tota lis vel ſtatim difflabitur vel in aliam planè controverſiam degenerabit. Jam conſtat, varias olim ſacramenti fuiſſe & hodie eſſe ſignificationes, quas Reverendiſſ. D. JÆGERUS in *Iure DEI fœderali pag. 59. 60.* eruditè evolvit. Scilicet ſacramentum vel ejus generis actio eſt, quæ gratiam divinam ex opere operato confert, qualis reſpectu profectò adultorum & gratiæ juſtificantis, excluſa fide accipientis, nulla datur, vel ſacramentum eſt ſymbolum externum & ritus externus, quo in Eccleſiam viſibilem immittimur vel ad eam nos pertinere oſtendimus, vel cui promiſſio gratiæ divinæ adſperſa eſt, vel eſt ſigillum quoddam ordinarium, à DEO inſtitutum, quo promiſſiones divinæ gratiaque DEI obſignantur & confirmantur aut ſignum quoddam viſibile gratiam inviſibilem ſignificans, vel denique eſt actio DIVINITUS inſtituta, quâ per externum & viſibile

viſibile ſignum atque elementum bona inviſibilia gratia maximè juſtificans vi verbi divini, quod admiſcetur, offeruntur, conferuntur & obſignantur. Itaque prout jam ſacramentum definiveris, vel plura vel pauciora ſacramenta habebis. Sed notandum tamen א ſacramenta, ultimo ſignificatu ſi intelligantur, neceſſaria eſſe neceſſitate & præcepti & medii ſed non abſoluta verum hypothetica. Hinc non abſentia eorum ſed contemtus damnat. ב ſacramenta eſſe talia & efficacia, etſi à malis adminiſtrentur, utpote quorum efficacia ſalutaris vel damnativa à diſpoſitione ſubjecti accipientis dependeat, non ab intentione aut pietate conferentis internâ, cujus profecto vel fides vel incredulitas pio imputari nequit. 1. *Cor.* III. 7. *Rom.* III. 3. Inde rectè omnino habet *Articulus VIII. Augſt. Confeſſ.* etſi Donatiſtæ olim efficaciam ſacramentorum ſaltem à qualitate canonica Miniſtrorum Eccleſiæ & recta eorundem ordinatione derivaverint, errorque hic de ſacramentorum efficacia à pietate Miniſtrorum Eccleſiæ interna dependente Donatiſtis à Confeſſoribus noſtris ſaltem κατ' ἄνθρωπον & juxta Auguſtinum imputetur. Obſerva ג ſacramentorum efficaciam eſſe non phyſicam, non moralem, juxta quam gratia divina actioni externæ ſaltem aſſiſtit, licet infallibiliter aſſiſtat, nec efficaciam objectivam mediatam, quæ repræſentativa ſaltem eſt, nec miraculoſam, quia in oculos collatio gratiæ non incurrit nec naturalis

talis hic mutatio elementa ſubit, ſed organicam & effectivam. Atque hæc theſis *à noſtris* Romanenſibus quoad ſacramenta Vet. Teſtamenti Reformatis, Remonſtrantibus, Socinianis, Mennonitis Fanaticiſque, quos vocant, opponitur. Porrò & 7 obſervandum, ſacramenta non conferre vel obſignare gratiam ex opere operato ſine bono motu utentis. Id quod implicat nec à Pontificiis quoque ſtatuitur, utpote qui nec ipſi dicunt, eum, qui in peccato mortali actualiter verſetur, ſi à Sacerdote baptizetur, abſolvatur, pane Euchariſtico donetur &c. remiſſionem peccatorum accipere, atque arbitrantur, ſacramenta efficaciam, quam ex inſtitutione divinâ ſibi junctam habeant, tùm demùm in actu ſecundo exerere, ubi ſubjectum ſit rectè diſpoſitum atque obicem haud ponat, id quod haud malè dicitur. Scilicet & noſtri ajunt, efficaciam ſacramentorum ex inſtitutione divinâ & adminiſtratione ad iſtam conformatâ, non ex merito vel diſpoſitione adminiſtrantis vel accipientis fluere. Denique & 8 addendum venit, ſacramenta Vet. Teſtamenti à ſacramentis Novi Teſtamenti plurimùm differre. Scilicet in ſacramentis Vet. Teſtamenti actionis ſacramentalis effectus fuit unio ſaltem relativa, umbratilis, & typica, unde ſacramenta Vet. Teſtamenti ſaltem erant σημαντικὰ, in Novo verò Teſtamento unio iſta eſt realis, exhibitiva & μεταδοτική. Quod reſtat,

 per

Digitized by Google

per πρόληψιν hìc notamus, quod ad ſacramenta Novi Teſtamenti hæc requirantur. I. ut in Novo Teſtamento demùm ſint inſtituta, II. ut Chriſtum autorem habeant, III. ut externum & viſibile elementum actionemque inferant, IV. ut divinâ promiſſione mediante ſint media efficacia conferendæ & obſignandæ gratiæ divinæ ordinariæ omnibuſque fidelibus communis. Quod ſi probè conſideraveris, jam facile patet, num Romanenſes rectè ſeptem ſacramenta numerent. Jam enim in confirmatione ſecundum & quartum, in pœnitentiâ primum & tertium, in ordine tertium & quartum, in unctione extremâ ſecundum & quartum, in matrimonio primum, tertium & quartum requiſita deficiunt. Sed pergamus.

§. VII.

De ſacramentis veteris Teſtamenti jam agedum agamus, ubi primùm circumciſio nobis ſeſe conſideranda offert. De hâc velim inſpici loca *Gen.* XVII. 10. ubi DEUS eam Abrahamo in ſignum fœderis cum ipſo initi demandaſſe legitur, octavo quoque poſt nativitatem maſculi cujuſcujuſque die in corpore ipſius per abſciſſionem præputii faciendam, *Gen.* XXI. 3. 4. *Exod.* IV. 24. 25. *Joſ.* V. 2. *Levit.* XII. 2. 3. 6. *Luc.* I. 58. 59. II. 21. *Rom.* IV. 11. *Gal.* II. 4. 5. V. 2. 3. 4. *Act.* XVI. 3. 1. *Cor.* VII. 18. 19. Atque ex hiſce dictis hæ theſes fluunt. I. Circumciſionem in ſignum fœderis primò

mò Abrahamo, poſt Moſi demandatam, in deſerto dein neglectam, poſt à Joſua reaſſumtam fuiſſe eo fine, ut hâc ratione Judæi ab aliis populis diſtinguerentur. II. In circumciſione infantibus nomina impoſita fuiſſe. III. Miniſtros circumciſionis fuiſſe primùm patres familiâs, poſteà probabiliter Sacerdotes, certè maſculos ordinariè, extra ordinem fœminas, *Ex.* IV. 25. *Joſ.* V. 3. 1. *Macc.* I. 63. 2. *Macc.* VI. 10. IV. Inſtrumentum fuiſſe novaculam ſive lapideam ſive ferream. V. Subjectum circumciſionis eſſe mares. VI. Materiam terreſtrem circa quam eſſe præputium. Cœleſtem in circumciſione haud perſpicimus, quam communiter Chriſtum exſcindendum eſſe ex *Dan.* IX. 26. ubi & vox כרת adhibetur, quæ de exciſione præputii aliàs *Exod.* IV. 25. uſurpatur, & ex *Jeſ.* LIII. 8. concludere Viri præſtantiſſimi ſolent. Vide SEB. SCHMIDIUM, qui datâ operâ de circumciſione ſcripſit. At verò cum MICH. WALTHERO plane non facimus, qui materiam hujus ſacramenti cæleſtem ſanguinem Chriſti in *Cent. Miſcell. Quaeſt. qu.* 15. *p.* 199. eſſe aſſerit. VII. De verbo in amputatione præputii proferendo cùm nihil efferat ſanctior ſcriptura, & nos ſilemus. VIII. Tempus circumciſionis fuit dies octavus tùm ut ſuſtinere dolores infans poſſet, tùm ut tempus impuritatis Leviticæ *Lev.* XII. 2. 3. tranſiretur. IX. Circumciſio potius paſſionis & mortis Chriſti quàm reſur-

Digitized by Google

rectionis typus eſt, vel potius ſignificat abſciſſionem omnis ejus, quod in nobis carnale eſt adeoque circumciſionem cordis, quæ eſt pravorum affectuum depoſitio. Unde & circumciſio baptiſmi fuit typus, qui eapropter vocatur περιτομὴ ἀχειροποίητος *Col.* II. 11. *Rom.* II. 28. 29. Adde *Devt.* X. 16. XXX. 6. *Jer.* IV. 4. VI. 10. X. Circumciſio abrogata fuit in Novo Teſtamento ubi ſcilicet typi & umbræ Chriſto adventante ceſſavere & ſepimentum, gentilibus ad Eccleſiam intromiſſis perruptum, etſi ſubinde propter infirmos ſub initia Novi Teſtamenti ea hactenus permitteretur, id quod exemplum Timothei oſtendit. XI. Circumciſio ſpiritualis præſtat corporali & ſola in Chriſto valet. *Rom.* II. 28. 1. *Cor.* VII. 18. 19. XII. Nil obſtat, quò minus dicamus, fideles Vet. Teſtamenti & corde circumciſos fuiſſe. Id quod contra COCCEJUM & ſequaces ipſius notandum venit. Vide WITSII *Oecon. fœd. L.* 4. *C.* 12. *§.* 16. *ſqq. p.* 780. *ſqq.* ibidemque *C.* 8. per totum *p.* 661. *ſqq.*

§. VIII.

Ad agnum Paſchalem, qui alterum Veteris Teſtamenti ordinarium ſacramentum fuit, edifferendum pauliſper noſter ſe jam vertit calamus. Præcipua hujus argumenti ſedes eſt in effatis ſacris, quæ *Exod.* XII. *Levit.* XXIII. 5. ſqq. *Num.* XXVIII. 16. ſqq. *Devt.* XVI. 2. ſqq. 1. *Cor.* V. 7. 8. inveniuntur. Jam verò ex his

Digitized by Google

his ſequentes poſitiones manant. I. Paſcha ſive mactatio agni vel hœdi (qui, uti SPENCERUS monet, eapropter ad hunc actum à DEO fuit delectus, quoniam ab Ægyptiis cultus fuit,) aſſatio, comeſtio ejus ſanguiniſque ad poſtes & ſuperliminare ædium Iſraëliticarum adſperſio (id quod in ſolà Ægypto factitatum) à DEO in Ægypto inſtituta fuit in memoriam liberationis Ægyptiacæ. II. Cauſa adminiſtra hujus mactationis fuere & Patres familiàs & Levitæ. 2. *Chron.* XXX. 17. *Eſdr.* VI. 20. Addendi & ſunt quoad ſanguinis ſparſionem Sacerdotes 2. *Chron.* XXX. 16. XXXV. 11. III. Materia terrena hujus ſacramenti patet quænam fuerit, nempe agnus Paſchalis, materia cœleſtis ſive typica aut repræſentata hoc agno erat Chriſtus *Jeſ.* LIII. 7. 8. *Joh.* I. 29. 36. 1. *Petr.* I. 19. IV. Forma hujus ſacramenti conſiſtit in verborum inſtitutionis repetitione, agni deſignatione, præparatione, mactatione, aſſatione, manducatione, (totus autem comedendus erat & quidem ſine oſſifragio, *Exod.* XII. 46. id quod typicum fuit *Joh.* XIX. 36. cum panibus azymis & herbis amaris) & ſanguinis adſperſione. V. Convivæ agni Paſchalis erant adultiores, ſoli circumciſi & mundi (in gratiam enim immundorum Paſcha ſecundum fuit inſtitutum *Num.* IX. 10. 11. 12.) peregrini etiam, ſcilicet Proſelyti & circumciſi, haud excluſis fœminis, quæ tamen ad Paſcha Hieroſolymis obeundum haud

Digitized by Google

erant obſtrictæ. VI. Finis primus erat liberatio ab Angelo percuſſore, porrò liberationis ex Ægypto recordatio, gratiæ fœderalis collatio & obſignatio, denique liberationis futuræ per Meſſiam præfiguratio & confeſſio 1. *Cor.* V. 7. *Hebr.* XI. 28. VII. Tempus mactationis fuit dies 14. menſis Niſan, (fuit autem iſte primus anni ſacri, correſpondens menſi Abib anni civilis, noſtroque Martio & Aprili) noxque inſequens comeſtionis. VIII. Verba inſtitutionis in comeſtione Paſchatis ſemper repetenda exſtant *Exod.* XII. 27. in quorum locum, cùm Paſcha mactare amplius non poſſint Judæi utpote terrâ ſanctâ extorres, dum panem Paſchalem hodie comedunt, iſta poſuere הא לחמא דעניא די אכלו אבהתנו בארעא דמצרים: *Hic eſt panis afflictionis, quem Patres noſtri comederunt in terrâ Ægypti.* IX. Locum præſentationis mactationiſque quod attinet, fuit iſte primùm terra Ægyptiaca *Ex.* XII. 12. 13. poſtea deſertum *Num.* IX. 5. denique atrium ſive tabernaculi ſive templi Hieroſolymitani. Quod reſtat, concedi utique tantiſper poteſt, Paſcha aliquid habuiſſe ex ratione ſacrificii, etſi totam ſacrificii rationem haud habuerit. Habuit rationem quandam veri ſacrificii. I. Quia ſcriptura id diſertis verbis זבח *ſacrificium* vocat. *Exod.* XII. 27. Quam vocem, licet ea alibi notet qualecunque epulum ex mactatis animalibus inſtructum ut *Proverb.* XVII. 1. hic tamen in vulgatiſſimo ſuo & ſacro ſignificatu ſumendam eſſe ex

eo

eo colligimus, quia זבח ſacrificium Paſchale typus fuit veriſſimi ſacrificii Chriſti 1. *Cor.* V. 7. II. Quia celebrantes Paſcha dicuntur הקריב את קרבן יהוה *oblationem offerre Domino Num.* IX. 7. 13. id quod tamen de ſacrificiis paſchalibus intelligi poteſt, *Deut.* XVI. 2. III. Quia ſanguis agni Paſchalis offerebatur Domino *Exod.* XXIII. 18. XXXIV. 25. IV. Quia ſanguine agni Paſchalis fiebat adſperſio, ſicut ſanguine reliquarum victimarum 2. *Chron.* XXX. 16. XXXV. 11. Cujus ritus ſacrificialis rationem typicam evolvit Petrus 1. *Petr.* I. 2. ubi ait εἰς ῥαντισμὸν αἵματος Χριστοῦ. Non verò juxta communem opinionem habuit Paſcha totam rationem ſacrificii I. Quia à patribus familiâs mactari poterat debebatque, nec opus hic fuit Sacerdotum interventu, ubi tamen notandum, in quovis ſacrificio plebejis conceſſum fuiſſe, ſacrificia ſua mactare *Lev.* I. 3. ſqq. III. 2. IV. 24. II. Quia altari agnus Paſchalis haud imponebatur. III. Quia in ædibus privatis ſine Sacerdotibus conſumtus is fuit. IV. Quia reliquiæ ipſius igne profano abſumtæ fuere. Jam notandum eſt, Romanenſes, ut & ex Euchariſtiâ ſacrificium propriè ſic dictum conficiant, agnum paſchalem ſacrificium eſſe propriè ſic dictum arbitrari & eandem quoque in ſententiam abire ex noſtris HACKSPANIUM & DANNHAWERUM, ex Reformatis maximè WIT-

SIUM

Digitized by Google

SIUM, mediâ autem viâ incedere HUNNIUM & BROCHMANDUM, communiter verò ſimpliciter negari, Agnum Paſchalem eſſe ſacrificium. Cæterùm plura de Paſchate noſſe qui voluerit, adeat SEB. SCHMIDIUM, qui peculiari libro hoc argumentum evolvit, adeat DORSCHEI *diſſ.* de *agno Paſchali*, ubi DANNHAWERUM refutavit, adeat SAM. BOCHARTI *Herozoicum L. II. C. 50.* adeat HERM. WITSII *Oecon. fœderum DEI L. 4. C. 9. p. 708. ſqq.* ubi vel maximè myſterium Paſchatis egregiè evolvitur, adeat noſtram de *oblatione veterum eucharìſticâ diſſertationem* §. 2. *ſqq. in anecdotis Irenæi p. 166. ſqq.* ut alios plurimos Autores taceamus.

§. IX.

Jam verò, ubi & legum divinarum & ſacramentorum veteris Teſtamenti rationes perſpeximus, primùm quidem noſtro bono animadvertimus, nos haud abſque lege vivere ſed normam nobis eſſe poſitam, ad quam actiones noſtras exigere neceſſum habeamus, & quam qui ſuſque deque habeat, pœnæ ſine ullo dubio obnoxius ſit. Age itaque hîc, o homo, & ſi quidem ſapere volueris, greſſus tuos & converſationem, ita, uti ſupremo legiſlatori placet, compone, & cùm perfectè legem ipſius adque omnem rigorem adimplere haud valeas, adimple ſaltem eam eouſque, uti potes & uti id à te ille requirit, & cùm mortuus in peccato ſis, Spiritu divinio-

diviniore ut doneris cura, quo adjuvante bona opera efficere legemque exſequi poſſis. Quin & cùm Redemtore, cùm Propitiatore, cùm Interceſſore opus habeas, ad Chriſtum ſine morâ curre, ipſius gratiam implora, ipſius merita per fidem tibi appropria, ipſius virtute, quæ utique animum tuum luculenter vertet, purificabit, ſanctificabit, plurimùm imbui te patere, ut, quæ mortem in te operatura erat lex, jam tibi indicis loco ſit, qui viam ad vitam tibi monſtret. Porrò, ubi in mentem tibi revocas, non amplius te ſub jugo legum cærimonialium veteriſque teſtamenti hærere, DEO primùm gratias age, qui libertatem hanc tibi indulget & pleniorem gratiæ menſuram tibi affundit, dein & operam age, ut cærimoniis tanquam præcipuo, qui tibi præſtandus veniat, cultui haudquaquam inhies ſed potius ſpiritu tuo vitâque evangelicâ interiore Dominum glorifices atque legem non externis operibus ſaltem ſed vel maximè internâ animi diſpoſitione quantum pote adimpleas &, ubi carnem non amplius circumcidere neceſſum habes, abſciſſo voluptatum præputio cor tuum circumcidas. Denique & in ſacramentorum divinorum diſpenſatione bonitatem DEI & ſapientiam conſpicare, qui præſtantiſſima regni ſui myſteria ritibus iſtis externis veteris Teſtamenti fidelibus adumbravit atque involucris illis medullam opulentiſſimæ gratiæ illis prægustandam exhibuit. At verò

&

& hic ſtatus tui excellentiam conſidera, qui jam non amplius typum ſed corpus ipſum habes, atque eximio planè gratiæ ſanctioris adjutorio, quantum Patribus V. T. haud contigerat, flores. Inſipidum te profectò inſulſumque, ſi converſionis, ſi ſanctificationis difficultatem aut impoſſibilitatem porrò jactites & ubi omnia ad converſionem tuam in unum conſpirant, ubi lumine divino eoque maximo ubique circumfunderis, ubi operatio Spiritus S. potentiſſima ſuaviſſimaque jugiter animum tuum agitat, in frigore iſto & morte ſpirituali nihilominus adhucdum nullâ planè perſuaſione heic demulcendus remanes.

CAPUT IV.

DE CHRISTO SALVATORE

ET PRIMUM QUIDEM DE HUMANA EJUS NATURA, UNIONE PERSONALI ET COMMUNICATIONE IDIOMATUM.

§. I.

QUi in ſecundo hoc inſtitutionum theologicarum libro de reparatione generis humani

humani potiſſimùm agimus, de eo jam articulo præcipuè agendum nobis eſſe facile perſpicimus, qui medullam tractationis totius præcipuo quodam jure ſuo efficit. Is verò eſt articulus de CHRISTO SALVATORE ET REPARATORE GENERIS HUMANI. Scilicet hic ille eſt omnium decretorum divinorum, quæ gratiam ſpirant, fons unicus atque ſcaturigo, fœderis gratiæ teſtamentorumque divinorum centrum fundamentumque omne, Sponſor ille, qui luculento meriti ſui ſuperpondio vitam nobis æternam acquiſivit, legis finis, quæ & ipſa nonniſi pædagogus ad Chriſtum eſt. Nemo itaque, qui jam conſpexerit, nos de decretis divinis, nos & de fœderibus divinis atque etiam de divinis legibus ſacramentiſque, quæ Chriſtum præfiguravere, egiſſe, mirabitur, quod jam ad locum illum præcipuum difficilemque de Chriſto enucleandum deſcendamus. Et vero quàm vellemus nos, ut plana hic nobis via, ut trita & ſimplex ſemita eſſet, ut nonniſi ea, quæ ſpirituali mentes gratiâ perfundere noſque cum optimo Salvatore eò penitius intimiuſque unire poſſent, uno verbo, ut nonniſi ea, quæ ædificant, heic ponere nobis daretur. Sed diaboli aſtu hominumque ineptiâ campus hic, ex quo ſimplicitas fidei nutriri debuerat, tot ſpinis ſcholaſticis, tot argutiis terminiſque jam abundat, ut veritate ipſâ nobis heic adhinniente di-

ti

ci poſſit, Apoſtolos, ſi reviviſcerent atque ad tribunal academicum vel eccleſiaſticum, ubi Theologiæ Candidati, ubi ordinandi examinantur, ſi denique ad arenam theologicam, ubi contra hæreticos pugnatur, vocarentur, ſummam rerum, quâ laborarent, ignorantiam hìc prodituros eſſe, utpote qui ne prima quidem theſeos de Chriſto vulgaris fundamenta ſcholaſtica ſibi familiaria reddidiſſent. Jam verò hoc præcipuum quoddam indicium corruptæ inter Chriſtianos theoriæ eſt, quòd à ſimplicitate hìc tantoperè deviatum & ad ſubtilitatum ſcholaſticarum decempedam omnia ferè heic redacta & quod peſſimum planè eſt, anathematiſmis munita fuere. Agedum, quoniam in inſtitutionibus hiſce ſine partium, ſine & præjudiciorum autoritatiſque veterum defendendæ ſtudio veritati ſubinde litare eandemque liberè profiteri animus nobis eſt, ſententiam noſtram, detectis logomachiis reciſiſque argutiis, quibus res involvitur & lites ſeruntur, candidè dicamus hiſtoriamque etiam dogmaticam, quæ plurimam lucem huic articulo adſpergit & quam per aliquot capita (ubi nihil præcipui ex eâ peti ob argumentorum olim haud ita excultorum paupertatem poterat,) hactenus negleximus, rebus affundamus. Agendum verò nobis erit I. de Chriſti perſonâ & naturis itidemque communicatione idiomatum, quæ unionem perſonalem

Digitized by Google

nalem ſequitur. II. de Chriſti officiis. III. de Chriſti ſtatibus.

§. II.

Jam itaque omnia hæc juxta COMMUNEM παιδείας τρόπον primùm ediſſeramus & ubi à ſimplicitate fidei devietur liteſque haud neceſſariæ ſerantur, cautè dein notemus. Generalis, quam tradimus, veritas hæc eſt. CHRISTUS EST VERUS DEUS ET VERUS HOMO id eſt θεάνθρωπος IN UNA EADEMQUE PERSONA, hoc eſt, ſecunda Trinitatis ſacroſanctæ perſona adeoque eſſentia & natura divina charactere Filii hypoſtatico imbuta, λόγος nempe humanam naturam in unitatem perſonæ aſſumſit, ita ut non ſint duæ heic perſonæ, prout ſunt duæ naturæ, non duo Chriſti ſed Chriſtus unicus, naturaque humana, quæ, quia propriam ſubſiſtentiam ultimatam non habet, ἀνυπόστατος dicitur, certè aliàs, ſi cum divinà naturà unita haud eſſet, ſubſiſtentià ſuà haud caritura, in hypoſtaſi divinà ſubſiſtat. Et verò veritas humanæ Chriſti naturæ (de veritate enim divinæ in articulo de Trinitate egimus,) ex nominibus, definitione, attributis & operationibus paſſionibuſque humanis Chriſti ſatis probatur. Ex nominibus inquam. Vocatur enim homo 1. *Tim.* II. 5. Luc. XXIII. 47. filius hominis *Dan.* VII. 13. *Matth.* VIII. 20. XVI. 13. *Apoc.* I. 13. caro *Joh.* I. 14. Vir *Zach.* VI.

 12.

12. *Act.* XVII. 31. puer *Ieſ.* VII. 16. *Act.* IV. 27. filius Abrahæ *Matth.* I. 1. Mariæ *Jeſ.* VII. 14. *Luc.* II. 7. ſemen mulieris *Gen.* III. 15. Abrahæ XXII. 18. *Hebr.* II. 16. Iſaaci *Gen.* XXVI. 4. *Jacobi* XXVIII. 14. Davidis 2. *Sam.* VII. 12. fructus lumborum Davidis *Act.* II. 30. fructus ventris David *Pſalm.* LXXXIX. 4. 5. CXXXII. 11. Virga Jeſſe *Jeſ.* XI. 1. *Zach.* VI. 12. *Ierem.* XXIII. 5. XXXIII. 15. Accedit definitio. Adſcribitur quippe Chriſto anima *Matth.* XX. 28. XXVI. 38. *Luc.* XXIII. 46. *Joh.* X. 15. 18. & corpus organicum *Matth.* XXVI. 26. *Marc.* XIV. 8. *Joh.* II. 21. *Col.* I. 22. *Luc.* XXIV. 39. *Ioh.* VI 51. *Rom.* I. 3. cum oſſibus *Luc.* XXIV. 39. *Ioh.* XIX. 33. & ſanguine *Matth.* XXVI. 28. *Ioh.* VI. 55. XIX. 34. *Act.* XX. 28. Proprietates ſi ſpectes, ex quibus veritatem humanæ Chriſti naturæ extrahas, eas vel communes ipſi aliis cum hominibus eſſe vel Chriſti proprias conſpicies. Quæ Chriſto homini cum aliis hominibus communes ſunt, ſunt e. g. eſſe creatum, eſſe finitum, ſi animam conſideres, intelligere, velle, ſi corpus, edere, bibere, ambulare, dormire, ut taceam proprietates animæ, quæ ſunt, incorporeitas, inviſibilitas, immortalitas, ut taceam & proprietates corporis, quæ ſunt, eſſe quantum, longum, latum & profundum, habere partes extra partes adeoque circumſcribi, & locabile, viſibile & palpabile eſſe, etſi viſio, palpatio & locatio actu à naturâ Chriſti

Digitized by Google

Chriſti humanâ ſeparari poſſint, uti & defectus illi, quos Chriſtus ex officii ſui mediatorii ratione in ſtatu exinanitionis libere aſſumſit ac nunc in exaltationis ſtatu depoſuit, infirmitates nempe naturales & inculpabiles, ut quoad corpus, algere, æſtuare, eſurire, ſitire, dolere, dormire, fatigari &c. quoad animam ignorantia puræ negationis, quæ tamen & finitatem humanæ naturæ ſponte ſequitur, animi affectus & perturbationes naturales, ut ſunt gaudium, triſtitia, ira, miſericordia, fremitus, turbatio *Ioh.* XI. 33. quæ in Chriſto omnia ſine peccato fuiſſe patet. Proprietates verò humanæ Chriſti naturæ propriæ ſunt ἀναμαρτησία inhæſiva *Ieſ.* LIII. 9. *Dan.* IX. 24. *Luc.* I. 35. 2. *Cor.* V. 21. *Hebr.* IV. 15. VII. 26. 1. *Petr.* I. 19. II. 22. 1. *Ioh.* III. 5. *Ioh.* VIII. 46. ἀνυποστασία ſive carentia propriæ ſubſiſtentiæ, quam jam probavimus & explicavimus, denique ſingularis animæ & corporis excellentia ac ἐξοχὴ, quâ Chriſtus omnes Angelos homineſque ſuperavit. Pertinent hùc DONA illa HABITUALIA, unionis perſonalis & incarnationis beneficio in humanam Chriſti naturam effuſa, finita tamen eaque propter ſolicitè ab ἰδιώμασι divinis, de quorum communicatione mox agemus, diſtinguenda. Sunt autem dona hæc habitualia vel animæ vel corporis. Illæ dotes vel ad intellectum vel voluntatem pertinent. Ita e. g. Chriſto collata fuit ſumma quædam ſapientia, quâ tamen crevit

Luc. II. 52. Hæ ſunt ſumma corporis ἐυκρα-σία & temperies æquabilis, ἀθανασία itidem ſcil. ratione principii intrinſeci & impeccabilita-tis, quâ Chriſtus fulſit, *Rom.* VI. 23. non ra-tione οἰκονομίας voluntariæ *Ioh.* X. 17. 18. et-ſi liberè ſuſceptâ morte corpus Chriſti tamen fu erit incorruptibile *Pſalm.* XVI. 10. *Act.* II. 31. XIII. 35. ſumma formæ elegantia, quam tamen ſunt qui dubiam reddant & vel Chriſtum ſtatu-unt fuiſſe deformem, uti RIGALTIUS & SAL-MASIUS, vel neque pulchrum neque deformem fuiſſe putant, uti VAVASSOR & ARNDIUS, vel hanc in rem decidi ſcirique nil poſſe ajant, quæ celeberrimi CYPRIANI mens eſt, ſunt ve-rò & qui maſcule defendant, uti CLOZIUS, FECHTIUS, alii. Maximè verò huc pertinet agili-tas ſumma, impaſſibilitas, ſpiritualitas, illocali-tas, immortalitas, ſplendor, aliæque ἐξοχαὶ, queis corpus Chriſti glorificatum nunc fulget. Ex operationibus denique Chriſti, ut veritatem huma-næ ejus naturæ prolixè deducamus, opus non eſt, cum quivis comprehendat, eum, qui paſſus, qui crucifixus, qui mortuus eſt, qui edit, bibit, am-bulavit, locutus eſt, verum hominem eſſe eſſe opor-tere. Si verò Chriſtus verus homo eſt, & matri & nobis, uti Concilium Chalcedonenſe habet, eſt ὁμοούσιος. Licet enim quoad humanam naturam ſit ἀπάτωρ, uti ſecundum divinam eſt ἀμήτωρ *Luc.* I. 34. 35. tamen ex maſſâ Mariæ, ex maſſâ humanâ verè fuit genitus. *Matth.* I. 16.

Gal.

Digitized by Google

Gal. IV. 4. *Rom.* IX. 5. *Ebr.* II. 7. 14. IV. 15. *Gen.* III. 15. *Jeſ.* VII. 14. Notamus hìc ὡς ἐν παρόδῳ, errare itaque Valentinianos, Marcionitas alioſque, qui docuere, Chriſtum non eſſe ex ſubſtantiâ Mariæ ſed carnem è cœlo per Mariæ uterum ſolùm tanquam per canalem quendam ductam habere, quo pacto non ex Mariâ, quod Paulus *Gal.* IV. 4. ait, ſed per Mariam eſſet, unde & verba in *Form. Conc. p.* 753. exſtantia cautè accipi velim. Nec minus Sociniani errant & qui WEIGELIUM ſequuntur, qui ſtatuunt, Chriſtum ex cœlo carnem ſuam detuliſſe, ut SCHWENKFELDIUM ſicco pede tranſſiliam, qui carnem Chriſti creaturam haud eſſe credidit & neſcio quæ abſtruſa ſibi cogitata heic de Chriſto homine formavit. Formari & heic ſolent quæſtiones curioſæ e. g. num Chriſtus utero clauſo prodierit, quod *F. C. l. c.* adfirmare videtur, Theologi verò noſtri hactenus vi dicti *Luc.* II. 23. negant, cùm virginitas utique cum apertione uteri conſiſtere poſſit, itidem, num Maria poſt Chriſtum genitum Virgo haud permanſerit, ubi contra HELVIDIUM, ex particulâ DONEC *Matth.* I. 25. malè hoc arguentem, uti ex *Pſ.* CX. 1. 2. *Sam.* VI. 23. *Deut.* XXXIV. 6. *Jeſ.* XLVI. 4. videre eſt, cum HIERONYMO noſtri agunt, tenentque omnino, Chriſtum non ſolùm ex utero virginitate decorato & ubi pariente

 fœcun-

Digitized by Google

fœcunditate virginitas nihilominus permanſerit, ſed & ex Mariâ ἀειπαρθένῳ prodiiſſe. Additur & quæſtio, num maſſa, ex quâ Chriſtus fuit progenitus, à peccato fuerit præſervata vel purificata vel noviter creata, quam B. LUTHERUS quæſtionibus *ſcholaſticis* annumeravit in *comment. in Geneſin C. 38. f. 522.* atque ita decidit, ut cum maximâ Theologorum parte Chriſtum ex maſſâ per Spiritum S. demùm purificatâ conceptum diceret. Hanc quippe ſententiam adoptavere CHEMNITIUS, A. OSIANDER, GERHARDUS, MEISNERUS, MATTHIÆ, DANNHAWERUS, THUMMIUS, DORSCHÆUS, WALTHERUS, CALOVIUS, HULSEMANNUS, KOENIGIUS, SCHMIDIUS, FEURBORNIUS, LYSERUS, MENZERUS, QUENSTEDIUS, ac denique SPENERUS, WERNSDORFIUS & SCHROEERUS, alii, ex Reformatis MOLINÆUS, RIVETUS, WENDELINUS, ALTINGIUS, BURMANNUS, TURRETTINUS, GARISSOLIUS, HOTTINGERUS. Aliam verò viam inivere Arminiani, ARMINIUS ipſe & contra Molinæum CORVINUS & EPISCOPIUS, ex Reformatis CLOPPENBURGIUS, VOETIUS, HOORNBEEKIUS, HEIDANUS, HEIDEGGERUS, WITSIUS, alii, ex noſtris SCHERZERUS & Reverendiſſ. Cancellarius noſter JÆGERUS, qui B. OSIANDRI hanc in rem veſtigia trivit, ut, quæ JO. FRID,

Digitized by Google

FRID. MAYERUS in *diſſert. ſelectis Kilon. & Hamburg. p. 36. ſqq.* FECHTIUS & STOLZIUS hanc in rem ſcripſere, taceamus. SAM. BASNAGIUS corpus Chriſti in utero Mariæ virginis CREATUM fuiſſe aſſeruit in *Annal. Polit. Eccl. T. 1. f. 100.* Nos exiſtimamus, ℵ Chriſtum fuiſſe filium Adami *Luc.* III. 38. eſſe & ex Patribus juxta carnem *Rom.* IX. 5. ב adeoque fuiſſe in lumbis Adami non quidem peccantis ſed quatenus ille humanum genus, cujus utique Chriſtus pars eſt, propagavit, ג idque vi benedictionis etiam primæ, cujus effectus eſt ejuſmodi propagatio *Gen.* I. 28. id quod & adſtruit B. SPENERUS *in Conſil. lat. p. 26.* ubi accuratè admodum Theologus judicioſiſſimus rem his verbis enodat: *Licet vi benedictionis ſecunda lapſum inſecuta natura Chriſti humana generata ſit, ſemen tamen, ex quo generata eſt, à benedictione primavâ provenit.* Quin &, cùm majores Chriſti, per quos ſemen Chriſti uſque ad Mariam transfuſum fuit, vi benedictionis primæ progeniti fuerint, ſanè benedictio prima ex omni parte excludi hîc nequit, ut taceamus, dici haud poſſe, quòd, cùm Protevangelium promulgaretur, ſubſtantiæ Adami & Evæ nova quædam particula acceſſerit. ד Quod particula quædam maſſæ humanæ ad humanam Meſſiæ naturam conficiendam deſtinata & ſive ſanctificata ſive præſervata fuit (creatio enim in utero Mariæ locum habere ne-

quit, cùm aliàs Chriſtus ex Patribus haud foret,) quod etiam Chriſtus è virgine prognatus fuit, id benedictioni ſive creationi ſecundæ IN SOLIDUM adſcribendum venit. Unde facile jam explicaveris ea, quæ Reverendiſſ. D. JÆGERUS in *corollario* quodam academico *diſſertationis* II. de *officio Chriſti ſacerdotali* hic loci A. 1692. defenſæ olim poſuit: *Chriſtus ratione humanæ naturæ* (quatenus quippe ille per Virginem fuit natus) *non fuit objectum voluntatis divinæ creatricis* (primæ) *ſed reparatricis*, (i.e. creationis ſecundæ) contra Pelagianos, Scholaſticos & Reformatos quoſdam itemque Socinianos, qui nempe ſtatuunt, *Chriſtum venturum fuiſſe, etiamſi homo non peccâſſet*. Id quod vel ea propter nemo admiſerit, quia eo fine Chriſtum adveniſſe novimus, ut genus humanum, quod peccaverat, liberaret, *Matth.* XVIII. 11. XX. 28. *Joh.* III. 16. *Gal.* IV. 5. 1. *Tim.* I. 15. *Hebr.* II. 14. 15. 1. *Joh.* III. 5. Nec opus eſt, ut, qui in lumbis Adami ſunt, omnes generentur, id quod nemo, qui ſapit, adfirmaverit, etſi maſſa illa, ex quâ deinde prognatus Chriſtus fuit, gigni potuiſſet, ſi homo etiam lapſus haud fuiſſet, ſed aliam nobis perſonam, quàm quæ Chriſti eſt, fuſura. Et quando Chriſtum in lumbis Adami exſtitiſſe aſſerimus, non eum ut talem inibi delituiſſe aſſeveramus, ſed è maſſâ ſaltem Adami prodiiſſe innuimus ſemen illud hactenus indeterminatum, ex quo deinde

Digitized by Google

deinde prognatus fuerit Chriſtus. Atque vel ex hujus ſaltem controverſiæ, quæ Theologos plurimùm vexat & quæ magnum ipſis momentum ſecum trahere videtur, exemplo videre poteſt pius lector, qui, ſimplicitate fidei relictâ, ſpinoſis iiſque ad pietatem animis ingenerandam vel veritatem divinam illuſtrandam parum facientibus quæſtionibus heic ſubinde indulgeatur. Quidni ſatius fuerit, ubi novimus, Chriſtum ex Patribus eſſe ſecundum carnem, ubi novimus, ſine peccato ipſum è virgine natum fuiſſe, ubi novimus, id factum fuiſſe ſupervenienteSp. S. qui non σπερματικῶς ſed δημιουργικῶς hic ſe habuiſſe rectè noſtris dicitur, modum rei, qui nos certè latet & ubi, quemcunque elegeris, difficultatibus obſepta omnia conſpicies, haud determinare, cùm nec in ſacris literis iſte determinatus ſit, ne ὑπερφρονῶμεν ὑπὲρ ὅ δεῖ φρονεῖν? At verò & hìc quæritur, num Maria, ex quâ natus fuit Chriſtus, totius Chriſti mater adeoque Deipara quoque ſive Θεοτόκος ſit? Id quod contra Neſtorianos in Concilio Epheſino olim deciſum fuit hodieque ab omnibus orthodoxis ſtatuitur. Rationes legere qui voluerit, legat *Syſtema SCHERZERI p. 181. 182.* ubi ad *Rom.* IX. 5. *Luc.* I. 35. aliaque loca is provocat nervumque omnium probationum in eo ponit, quòd humana Chriſti natura divinâ ὑποστάσει ornata fulgeat. Unde etiam patet,

 Chri-

Digitized by Google

Chriſtum ſecundum humanam naturam Filium DEI adoptivum dici non poſſe, utpote qui ob ὑποςάσεως communionem nonniſi Filius DEI naturalis & hic eſt, licet ut homo talis naturaliter ſive per æternam generationem haud ſit. Id quod communiter contra Adoptianos, Felicem Urgelitanum & Elipandum Toletanum, qui Sec. VIII. vixere & in concilio Francofurtano A. 794. damnati fuere, notatur. Jam ſi de ipſâ incarnatione ſit quæſtio, quâ λόγος ſive ſecunda Trinitatis perſona humanam naturam in utero Mariæ conceptam inde à primo conceptionis ſuæ momento in hypoſtaſin ſuam aſſumſit, notandum omninò eſt, terminum hujus incarnationis immediatum perſonam, mediatum naturam eſſe. Vide HENRICI RIXNERI, Theologi Helmſt. *diſp.* de *incarnatione Filii DEI, utrum in naturâ an perſonâ ejus an in utrâque terminetur, Helmſt. A. 1676.* defenſam. Scilicet ſi diſtinctionem hic rebus adhibeas, quam dedimus, tota lis, quæ inter noſtrates & Reformatos hic controvertitur, perit. Eſt verò incarnatio Chriſti nihil aliud quam UNITIO duarum naturarum, divinæ & humanæ in unâ perſonâ, conjuncta cum περιχωρήσει & immeatione profundiſſimâ, quâ natura Chriſti divina intimè perficit, immeat ac pervadit naturam humanam eique totam ſeſe communicat. Quæ ipſa naturarum συνδρομὴ ſive

Digitized by Google

ſive unitio facta hac ratione juxta Concilium Chalcedonenſe dicitur περιχωρίστως permeativè, ἀσυγχύτως ſine naturarum confuſione, ἀτρέπτως ſive ἀναλλοιώτως ſine divinitatis in humanitatem converſione, ἀδιαστάτως, ita ut una natura ab altera haud diſtet nec λόγος extra vel ultra carnem ſit, & ἀχωρίστως ſive ἀδιασπάστως ita, ut una natura ab altera divelli nequeat. Itaque peccant hìc Neſtoriani, quibus error iſte de duabus in Christo perſonis divina & humana & unione non ὑποστατικῇ ſed σχετικῇ, ſed παραστατικῇ ſolet adſcribi, peccant & Eutychiani, quibus abſurdum iſtud de commixtione utriuſque naturæ in unam dogma attribuitur, quale quid & Schvvenkfeldius ſomniâſſe dicitur. Sequuntur autem unionem perſonalem, quam hìc delineamus, prædicationes perſonales. Cùm enim modus prædicandi ſequatur modum eſſendi, eæ ex unione perſonali, prout ex communicatione idiomatum idiomaticæ & ex communicatione operationum apoteleſmaticæ, non fluere nequeunt. Sunt autem illæ nec verbales ſive impropriæ vel æquivocæ, nec tropicæ, nec ſynecdochicæ, nec eſſentiales ſive univocæ, nec accidentales ſive paronymicæ, nec identicæ ſed ſingulares & inuſitatæ, eæque vel eccleſiaſticæ ut: homo eſt DEUS, DEUS eſt homo, vel Biblicæ, ubi natura divina de humana ſed in unione ſpectatâ conſideratur e. g.

Filius

Filius Davidis eſt Dominus Davidis, natus in Bethlehem eſt Dominus, verbum caro factum eſt, DEUS eſt manifeſtatus in carne &c. Jam incarnatio Chriſti probatur ex ſequentibus effatis Biblicis *Joh.* I. 14. *Luc.* I. 35. II. 7. *Hebr.* II. 14. 1. *Tim.* III. 16. *Col.* II. 9. *Jeſ.* VII. 14. Unitas verò perſonæ in Chriſto ex omnibus ferè Novi Teſtamenti paginis conſtat, ubi de Chriſto ſemper tanquàm unâ & ſingulari perſonâ ſermo eſt. Vide tamen 1. *Tim.* II. 5. *Eph.* IV. 5. ex quo & id patet, naturam humanam propriam quandam perſonalitatem habere non poſſe, quia aliàs duæ in Chriſto perſonæ forent, cùm divina certè natura humanæ perſonalitatem aſſumere ſuamque amittere haud potuerit, duæque hæ perſonalitates, divina & infinita atque humana & finita in unam coaleſcere atque conflari haud poſſint. Porrò & hoc inde ſequitur, humanitati divinam perſonalitatem hâc ratione communicatam fuiſſe non ad ſuſtentationem nudam, quâ DEUS omnes creaturas omnipotentiæ ſuæ actu ſuſtentat, & quam nec Reformati quoque ſtatuunt, ſed ad ſubſiſtentiam, non generalem illam, quæ inhærentiæ contradiſtinguitur & ſubſtantiæ omni competit, quam & humana Chriſti natura ſine ullo dubio propriam habet, ſed ſpecialem, quæ ultimam exiſtentiæ actuationem terminationemque & ſuppoſitationem infert. Quin & tandem ex hoc, quòd λόγος ſuam perſonalitatem carni communicavit,

Digitized by Google

vit, patet, qui fiat, quòd, etſi corpus & anima Petri unam perſonam conſtituant, tamen dici non poſſit, quòd anima Petri ſit facta corpus, ſicuti dicitur, quòd verbum factum ſit caro *Joh* I. 14. quoniam nempe dici non poteſt, quod anima Petri corpori ipſius hypoſtaſin ſuam communicaverit, uti id de naturâ Chriſti divinâ dicitur, quòd ſuam perſonalitatem carni communicaverit, ut taceam, longè arctius vinculum inter λόγον & carnem quàm inter Petri animam & corpus eſſe, unionemque perſonalem, qualis inter λόγον & carnem eſt, ab eſſentiali animæ & corporis Petrini plurimùm differre. Cæterùm de prædicationibus perſonalibus hos velimus canones notari א abſtracta naturarum de ſe invicem haud prædicari ex. gr. humanitas non poteſt prædicari de Deitate ב abſtracta de concretis itidem non prædicari. Ita e. gr. dici non poteſt, humanitas eſt DEUS vel homo eſt Deitas, aut Chriſtus eſt humanitas, etſi dici tantiſper juxta noſtrates poſſit *Deitas eſt incarnata*, *paſſa* &c. ſi Deitatis terminum concretivè ſumas & explices. ג concreta naturarum de ſe invicem & de tota perſonâ prædicari, id quod ex omnibus prædicationibus perſonalibus patet. Quando verò hìc de abſtracto ſermo eſt, intelligitur, uti ex exemplis adductis patet, nullum aliud abſtractum quàm logicum, id quod ſolicitè

ſolicitè notamus, ne in tricas hîc & logomachias præter rem incidamus. Fluunt verò prædicationes perſonales tùm ex communicatione hypoſtaſeos tùm ex unione naturarum reciproca, ex quâ & illud dein manat, quòd natura Chriſti humana vi communicatæ divinæ hypoſtaſeos in conſortium Trinitatis aſſumta fuit. Quamvis verò nemo non facilè affirmet, quòd hoc incarnationis myſterium ſit ineffabile, multaque heic inveniantur, quorum rationes ex exemplis naturalibus derivari neſciunt, uti adcuratè oſtendit SCHÆFERUS noſtrâs in parænesi *acropoli Chriſtianæ religionis* præpoſitâ, ſolet tamen id, ad περιχώρησιν maximè & communicationem idiomatum oſtendendam, ex unione animæ & corporis, itidemque ex ſimilitudine ferri igniti corporiſque ſolaris pauliſper illuſtrari, etſi, ne in avia hîc deducamur, mica ſalis ſimilibus hiſce utique adſpergenda veniat.

§. III.

Ex communicatione perſonæ & communicatione naturarum ſuâ ſponte fluit communicatio idiomatum & operationum. Communicatio idiomatum eſt communicationis naturarum & unionis perſonalis conſequens, juxta quod idiomata naturarum perſonæ vel alteri naturæ reciprocè communicantur. Quando jam perſonæ in concreto (perſona enim σύνθετος communicationis idiomatum ſubjectum eſt,) hujus vel illius naturæ idioma-

ta

ta attribuuntur, id Scholaſtici *κατ' ἐξοχὴν* communicationem idiomatum, CYRILLUS *ἰδιοποίησιν*, DAMASCENUS *ἀλλοίωσιν* & *ἀντίδοσιν*, recentiores *συναμφοτερισμὸν* dicunt e. g. filius hominis deſcendit de cœlo, Dominus gloriæ eſt crucifixus, quando porrò divina natura idiomata humanæ ſibi deodecibiliter appropriat, dicitur id *κατ' ἐξοχὴν ἰδιοποίησις* vel *οἰκείωσις*, uti e. g. Dominus gloriæ eſt crucifixus, DEUS proprio ſanguine Eccleſiam redemit, quando denique idiomata divinæ naturæ communicantur humanæ, dicitur id *μετάδοσις* vel *βελτίωσις* e. g. data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terrâ. Ubi velim ſequentia notes, lector benevole, I. variare hìc maximoperè apud Theologos *τρόπον παιδείας*, aliis tria ſaltem genera communicationis idiomatum, aliis quatuor ponentibus. *Formula Concordiæ*, quæ totum hoc negotium dilucidè & eleganter explanat, tria ſaltem habet. Primum eſt, quando toti perſonæ idioma hujus vel illius naturæ appropriatur, ſecundum eſt communicatio operationum, tertium eſt, quando idiomata divinæ naturæ communicantur humanæ naturæ. Alii quatuor genera fingunt ordinemque naturæ ſequi ſe putant, ut primum genus ſit *ἰδιοποίησις*, ſecundum *μετάδοσις*, tertium *κοινοποίησις*, quartum *συναμφοτερισμός*. At verò, ſi de ordine naturæ & curatà rerum diſpoſitione

ſit

ſit quæſtio, palmam hîc omnibus præripit Reverendiſſimus D. JÆGERUS noſtrâs, qui, licet in compendio Theologiæ ad primum genus referat *συναμφοτερισμὸν* & *ἰδιοποίησιν*, ad ſecundû *μετάδοσιν*, ad tertium *κοινοποίησιν ἀποτελεσματικήν*; in diſſertatione tamen *de Chriſto ſponſore & mediatore fœderis gratiæ* hîc loci A. 1713. die 9. Aug. defenſâ ita ſecum ſtatuit, ut ageret hic 1. de communicatione hypoſtaſeos. 2. de communicatione naturarum. 3. de communicatione idiomatum, quæ ratione termini non poteſt non tribus generibus florere 4. de communicatione apoteleſmatum & operationum. Scilicet quamvis communicatio operationum, quæ eſt *κοινοποίησις*, communicationem idiomatum ſupponat, tamen, quicquid etiam hîc aliis videatur, ad eam, ſi adcuratè rem perpendere vellimus, haud pertinet. Scilicet aliud eſt idioma, aliud operatio. II. Obſervandum & hoc eſt, omninò heic vitandam eſſe *ἀλλοίωσιν*, quæ Zvvinglio communiter attribuitur, juxta quam negatur, quòd divina natura vel perſona ſibi paſſiones humanas realiter appropriet & viciſſim, diciturque, quod, ſi tales loquendi formulæ in ſacris literis occurrant, una vox pro alterâ e. g. divinitas pro humanitate poſita nominaque ſaltem permutata ſint, ex quo & ſequitur, ſynecdochen diſſentientium nullam eſſe, quâ, quando toti perſonæ aliquid appropriatur, de unâ ſaltem naturâ cum excluſione alterius id intelli-

telligitur. III. Obſervandum quoque eſt id, quod magnum omninò heic momentum ſecum fert, in communicatione idiomatum idiomata uni quidem naturæ καθ' ἀυτὸ, πρώτως, ἀμέσως, alteri κατ' ἄλλο, δευτέρως, ἐμμέσως, uni per ſe & ex proprietate naturæ, alteri per κοινωνίαν ſaltem competere, atque hanc κοινωνίαν vel in appropriatione & denominatione, reali tamen, id quod in συναμφοτερισμῷ & ἰδιοποιήσει obſervare eſt, vel in cōmunicatione ſpecialiſſimè ſic dictâ, qualis eſt βελτίωσις, & μετάδοσις conſiſtere. IV. Non ſine ratione adjicimus atque hîc repetimus, phraſin iſtam, quæ Tubingenſium Theologorum eſt, ubi dicitur, *divinitatem* τῦ λόγυ ſc. in aſſumtâ ſibique realiter appropriatâ carne *paſſam eſſe*, etſi cum τρόπῳ παιδείας, quem *Formula Concordiæ p. 771.* tenet, quoad dictionem penitus haud conveniat, tamen rectè explicari poſſe, id quod nec diſſentientes negaverint. Vide THUMMII *majeſtatem Jeſu Chriſti* θεανθρώπυ *p. 125. ſqq.* & venerandi Parentis noſtri *notas ad Thummii ſynopſin p. 322. 323.* V. Maximè verò notandum hic venit, qualem idiomatum communicationem in articulo de Chriſto nos ſtatuamus. Id quod qui probè haud calluerit, ſine ullo dubio tenebras hîc quatit & cum ſpectris garrit. Eja, in ſcholaſticum, in philoſophicum, in metaphyſicum, ſi placet, campum pauliſper hic deſcendamus atque varia communicationis genera evolvamus.

Neque eſt, quòd lector hæc noſtra levi pede jam tranſiliat. Quantam enim utilitatem præſenti inſtituto ea allatura ſint, poſtmodùm patebit. Daduchum autem cùm hic quærimus, ne longiori digreſſioni operam demus, ſumamus venerandum Parentem noſtrum, cujus nervoſam, accuratam & perſpicuam brevitatem heic plurimùm exoſculamur. Ita verò ille in theſibus philoſophicis *de proprio*, quas A. 1699. cùm Philoſophiam primam adhuc heic loci doceret, edidit, §. 8. *Communicari propria non implicat contradictionem, quod non loquuntur exempla ſed perſonant omnibus tenebris illuſtriora. Imò non uno tantùm modo communicantur.* 1. Κατὰ χρῆσιν, *prout amicorum bona ratione* κτήσεως *propria, fiunt quoad* χρῆσιν *i. e. fruitionem communia.* 2. Κατὰ μετέκβασιν, *uti ſolis ſplendor aëri communicatur.* 3. Κατ' ἀλλοποίησιν, *quomodo* DEUS *bonitatem creaturis communicat & ignis calorem aquæ.* 4. Κατὰ μέθεξιν, *quomodo propria univerſalium communicantur particularibus.* 5. Κατὰ μῖξιν, *cum dulcedo mellis communicatur hydromeliti,* 6. Κατὰ συνεκδοχὴν, *cum partis (corporis) proprium, quantitas ſc. toti (homini) communicatur.* 7. Κατὰ συνδύασιν, *quæ ſubjecta inter* συνδεδυασμένα *intercedit.* Adde jam, ſi placet, §. 9. *Communicatio* καθ' ἕνωσιν *eſt, quâ ob unionem id, quod unius eſt proprium, ſine ſui vel multi-*

multiplicatione vel tranſfuſione, ſubjecto alteri ad communem poſſeſſionem, uſurpationem & denominationem realiter confertur. e. g. in ferro perichoriſticè ignito ex illa ipſa unione communicatio & propriorum profilit, v. g. calores, qui ſubjectum ſuum proprium, ignem puta, non deſerit, nec multiplicatur, ſed ipſe numero unus & idem calor mediante proprio ſubjecto, quando ignis ſc. unitur ferro, huic una commodatur, ita ut ferrum calorem ignis non tantùm poſſideat ac in ſe contineat, verùm & ad commune ἀποτέλεσμα, *ſtigmatis quippe uſtionem, uſurpet, unde à calore etiam denominatur ferrum, diciturque calere, candere, urere &c.* Audiamus denique & §. 10. *Communicato uno propriorum non ſtatim communicantur omnia. e. g. ſi proprium unius (animæ immaterialitas) natura ſubjecti alterius (corporis ſc.)* ἀντιφατικῶς *repugnet, non communicantur, etſi reliqua (vita, ſenſus &c.) communicentur. Deinde nec illa propria, quæ ad unionis finem nihil conferunt, ut* ἀνενέργητα *ac quieſcentia, neceſſariò communicantur. Sic levitas ignis non communicatur ferro, quia ad uſtionem ſtigmatis nihil facit.* Jam opus eſt, ut probè hoc tibi imprimas, lector benevole, comunicationem idiomatum, de quâ nos heic agimus, non eſſe quoad μέθεξιν vel μετάβασιν aut ἐνύπαρξιν, ita ut idiomata è divina naturâ egrediantur

& in humanam naturam tranſfundantur atque huic ipſi INHÆREANT, abſit, abſit per omnem modum, ut in hanc abſurditatem, quicunque *Formulæ Concordiæ*, quicunque doctrinæ evangelicæ accedimus, unquam deſcendamus, qui ſtatuimus iterumque ſtatuimus & ad nauſeam uſque repetimus & millies declaramus, eſſe hanc, quam credamus, idiomatum communicationem quoad συνδύασιν ſaltem & ἕνωσιν ſive *conjunctionem & unionem*. VI. Omninò quoque notandum hoc eſt, hypoſtaſin divinam, quâ λόγος ſubſiſtit, cum naturâ divinâ, quâ idem fulget, atque attributis, queis veſtitus eſt, A PARTE REI UNUM IDEMque eſſe, & ſaltem formaliter ſive quoad noſtrum concipiendi modum, quoniam nempe tanta eſt intellectus noſtri imbecillitas, ut omnia ſimul concipere haud valeat, non tamen ſine fundamento in re differre. Ita omniſcientia idem omninò à parte rei cum ipſo λόγῳ eſt nec in ordine ad naturam divinam ſe habet ut accidens, quod illi inhæreat, id quod nemo dixerit, niſi qui profundè deſipit. At verò & eadem hæc omniſcientia divinæ naturæ idioma ſive attributum dicitur, quod primò toti perſonæ Chriſti appropriatur, quia ſcilicet, quando λόγος aliquid ſcit, Chriſtus id ignorare nequit, ſecundò carni Chriſti communicatur, quia nempe non poteſt non fieri, ut, cùm natura divina cum humanâ intimè jungatur & hanc ipſam PERMEET, omniſcientia quoque, quæ eadem cum naturâ divinâ eſt, humanam natu-

natu-

Digitized by Google

naturam permeet adeoque illi realiſſimè communicata ſive juncta (communicatio enim, quæ hîc ſtatuitur, nonniſi καθ' ἕνωσιν & κατὰ συνδύασιν eſt) ſit. VII. Quin etiam hoc benè notandum eſt, communicationem eſſe vel mediatam vel immediatam, vel ad poſſeſſionem vel ad uſurpationem vel ad denominationem. Scilicet cùm attributa ſive idiomata divina vel ſint quieſcentia, ut æternitas, immenſitas, infinitas, aſeitas adeoque ἀνενέργητα, vel operantia ut omniſcientia, omnipotentia &c. adeoque ἐνεργητικὰ, facile patet, illa non ad denominationem & uſurpationem immediatéque ſed mediatè ſaltem & ad poſſeſſionem communicari: Ita e. g. dicere non poſſum: *humana natura eſt æterna*, aſt benè hoc procedit, ſi dicam: *humana natura poſſidet omnipotentiam æternam* vel *humana natura communicata eſt omniſcientia immenſa*, ita ut attributis ἐνεργητικοῖς mediantibus denominatio fiat. Jam & poſſeſſio ab uſurpatione etiam in attributis ἐνεργητικοῖς probè diſtinguenda eſt, cùm humana natura in ſtatu exinanitionis e. g. omnipotentiam divinam ſemper quidem licet κατ' ἄλλο & mediante perſonâ divina poſſederit, ſed non ſemper manifeſtè & in actu reflexo, quem ſtatim explicabimus, uſurpaverit. VIII. Etiam ad hoc ut reſpicias, qui hæc profundiùs noſſe anhelas, velim, attributa quidem divina beneficio unionis hypoſtaticæ, quæ à parte rei idem ſanè

& in humanam naturam tranſfundantur atque huic ipſi INHÆREANT, abſit, abſit per omnem modum, ut in hanc abſurditatem, quicunque *Formulæ Concordiæ*, quicunque doctrinæ evangelicæ accedimus, unquam deſcendamus, qui ſtatuimus iterumque ſtatuimus & ad nauſeam uſque repetimus & millies declaramus, eſſe hanc, quam credamus, idiomatum communicationem quoad *συνδύασιν* ſaltem & *ἕνωσιν* ſive *conjunctionem* & *unionem*. VI. Omninò quoque notandum hoc eſt, hypoſtaſin divinam, quâ λόγος ſubſiſtit, cum naturâ divinâ, quâ idem fulget, atque attributis, queis veſtitus eſt, A PARTE REI UNUM IDEMque eſſe, & ſaltem formaliter ſive quoad noſtrum concipiendi modum, quoniam nempe tanta eſt intellectus noſtri imbecillitas, ut omnia ſimul concipere haud valeat, non tamen ſine fundamento in re differre. Ita omniſcientia idem omninò à parte rei cum ipſo λόγῳ eſt nec in ordine ad naturam divinam ſe habet ut accidens, quod illi inhæreat, id quod nemo dixerit, niſi qui profundè deſipit. At verò & eadem hæc omniſcientia divinæ naturæ idioma ſive attributum dicitur, quod primò toti perſonæ Chriſti appropriatur, quia ſcilicet, quando λόγος aliquid ſcit, Chriſtus id ignorare nequit, ſecundò carni Chriſti communicatur, quia nempe non poteſt non fieri, ut, cùm natura divina cum humanâ intimè jungatur & hanc ipſam PERMEET, omniſcientia quoque, quæ eadem cum naturâ divinâ eſt, humanam natu-

Digitized by Google

naturam permeet adeoque illi realiſſimè communicata ſive juncta (communicatio enim, quæ hic ſtatuitur, nonniſi καθ' ἕνωσιν & κατὰ συνδύασιν eſt) ſit. VII. Quin etiam hoc benè notandum eſt, communicationem eſſe vel mediatam vel immediatam, vel ad poſſeſſionem vel ad uſurpationem vel ad denominationem. Scilicet cùm attributa ſive idiomata divina vel ſint quieſcentia, ut æternitas, immenſitas, infinitas, aſeitas adeoque ἀνενέργητα, vel operantia uti omniſcientia, omnipotentia &c. adeoque ἐνεργητικά, facile patet, illa non ad denominationem & uſurpationem immediatéque ſed mediatè ſaltem & ad poſſeſſionem communicari. Ita e. g. dicere non poſſum: *humana natura eſt æterna*, aſt benè hoc procedit, ſi dicam: *humana natura poſſidet omnipotentiam æternam* vel *humana natura communicata eſt omniſcientia immenſa*; ita ut attributis ἐνεργητικοῖς mediantibus denominatio fiat. Jam & poſſeſſio ab uſurpatione etiam in attributis ἐνεργητικοῖς probè diſtinguenda eſt, cùm humana natura in ſtatu exinanitionis e. g. omnipotentiam divinam ſemper quidem licet κατ' ἄλλο & mediante perſonâ divina poſſederit, ſed non ſemper manifeſtè & in actu reflexo, quem ſtatim explicabimus, uſurpaverit. VIII. Etiam ad hoc ut reſpicias, qui hæc profundiùs noſſe anhelas, velim, attributa quidem divina beneficio unionis hypoſtaticæ, quæ à parte rei idem ſanè

cum communicatione idiomatum eſt, id quod ſaltem ὡς ἐν παρόδῳ monemus, attributa inquam divina beneficio unionis hypoſtaticæ à naturâ humanâ omnia æquali jure poſſideri, aſt omnia humanam naturam non æqualiter (depura, ſi placet, terminum!) AFFICERE. Ita æternitas, uti jam inſinuare cœpimus, mediatè ſaltem humanam naturam i. e. mediantibus aliis attributis ἐνεργητικοῖς non ſaltem mediante perſonâ afficit, aſt omnipotentia divina humanam naturam mediante quidem perſona ſed aliis attributis haud mediantibus afficit, variantque utique hæc PRO RECEPTIVITATE SUBJECTI, quod aſeitatem, æternitatem, infinitatem, immenſitatem, generationem ab æterno, ut ita dicam, recipere haud poteſt, aſt beneficio communicatæ omnipotentiæ non καθ' αὑτὸ ſed κατ' ἄλλο agere poteſt. Unde patet, qui canon ille metaphyſicus, *communicato uno, quæ realiter idem ſunt, communicatur & alterum*, heic limitari & reſtringi debeat. Scilicet inſtantia de ferro ignito, ubi ignis quidem ferro candorem vimque uſtivam, non tamen levitatem communicat, uti jam monitum eſt, rem ſatis hic dilucidat. Nec qui hæc, quæ dicimus, curatius ſecum penſitaverit, de obſcuritate conceptuum, ſi modò terminos intellexerit, querelam fundet, cùm eâ perſpicuitatis luce, quæ propoſuimus, fulgere videantur, ut etiam *ſimplices* & qui myſteriis metaphyſicis nondum initiati atque ad altiora hæc ſcandenda haud nati ſunt,

ſapien-

Digitized by Google

ſapientes hic reddi poſſint. IX. Nemo, ut arbitror, diffitebitur, communicatâ hypoſtaſi & communicatâ naturâ, communicari & idiomata, & ſi quis ſit, qui id diffiteatur, profectò is in os ſibi contradicere à ſapientibus exiſtimabitur. Si enim hypoſtaſis infinita communicatur, non video, quid impediat, quò minus & infinita natura communicetur, & ſi hoc ita habet, certè & infinita idiomata communicabuntur. Ratio, quia hypoſtaſis λόγου natura λόγου & idiomata λόγου à parte rei unum idemque ſunt. Jam ſi quis exſtiterit, qui unionem perſonalem re verà crediderit & aſſeveraverit, & tamen credere communicationem idiomatum noluerit, is mihi ægroto ſimilis eſſe videbitur, cui pilulas medicus præſcribit atque ita præſcribit, ut ajat, niſi has pilulas ſumſerit, ipſum à morbo haud iri liberatum ſed certò moriturum eſſe. Quid agit ægrotus, neſcio quo ex præjudicio pilulis infenſus, à quibus & abhorret? Queritur, clamat, iraſcitur, gemit, uno verbo, ait, citius ſe moriturum quàm has ut pilulas degluciat. Adſtantes vitam homini ſervaturi ſtratagema excogitant deliberantque, qui ægroto medicina ingeri poſſit, rerum, quæ agantur, ignaro, tandemque conſiliis in unum collatis electuario vel prunæ paſſæ pilulas involvunt ægrotoque, qui pilulas heic latere haud ſomniat & cupedias amat, degluciendum dant, & feliciter proc[illegible]t opus. Ægrotus pilulas non ſaltem deglutit, ſed etiam ut delicati quid ac-

que palato planè congruum deglutit hoc cum epiphonemate, ſi ejuſmodi ipſi medicamenta præberentur, ſe ſine diſcrimine omnia illicò & maximo quidem cum appetitu ſumturum. Quod dum facit, repetitâ ſemper contra pilulas proteſtatione, malle ſe mori quàm pilulas ſumere, porrò eodem illo tempore aſſeverat, atque adeò medias inter proteſtationes Medico tamen, cui obniti ſe credit, paret. Ovum ovo ſimilius haud eſt, quàm ægroto huic ſimiles illi ſunt, qui, ubi unionem perſonalem non verbalem, non σχετικὴν, non παραστατικὴν, ſed realem, ſed intimam, ſed ὑποστατικὴν credunt & re verâ credunt, communicationem idiomatum rejiciunt. Jam enim, dum unionem perſonalem credunt, communicationem idiomatum, quæ ſcilicet idem cum illâ à parte rei eſt & aliis ſaltem terminis floret, παιδείας ne τρόπος confundatur, eodem ſimul hiatu ignari licet, quid agant rerum, deglutiunt, etſi ajant, etſi ſolenniſſimè proteſtentur, ſe eam, qualem nos ſtatuimus, non admittere. At verò X. non negligendus quoque eſt iſte veterum recentiorumque παιδείας τρόπος, ſecundùm quem dicitur, in συναμφοτερισμῷ & ἰδιοποιήσει IDIOMATA PRÆDICARI, in μεταδόσει & βελτιώσει AXIOMATA MAJESTATICA DONARI, in κοινοποιήσει APOTELESMATA, quæ mox explicabimus, PERFICI. XI. Nemo velim ſcandalum ex dua-

Digitized by Google

duabus hiſce propoſitionibus accipiat, ſi nempe dicatur. *Perſona divina τῦ λόγυ humanæ Chriſti naturæ communicata eſt*, atque, *idiomata divina humanæ naturæ communicantur.* Scilicet videtur hic in adjectis contradictio poni. Ratio. Habemus duos canones metaphyſicos, qui ita habent: *Perſona eſt incommunicabilis* & *proprium unius non poteſt eſſe proprium alterius.* Jam ex his canonibus omninò ſequi videtur, nec hypoſtaſin nec idiomata communicari poſſe. Aſt quid, ſi canonum horum veritatem in genere negemus? Neſcio enim, quid ex læſâ majeſtate metaphyſicâ criminis, quid mali eapropter in nos devolvi poſſit. Quemadmodum enim communiter ferè in canonibus metaphyſicis fieri ſolet, ut ſub certis limitationibus vel veri vel falſi ſint, ita & hic res evenit. Faciamus tamen, ſi placet, objectioni, quod ſatis eſt. Perſona eſt incommunicabilis, ſcilicet alteri perſonæ, non alteri naturæ. Ita quippe, ſi natura humana propriâ perſonalitate ornata eſſet vel propriam perſonalitatem quandam, quam tamen nunquàm habuit, ſervaret, contradictionem implicaret, divinam hypoſtaſin humanæ naturæ eidemque perſonæ communicari. Ita enim forent duæ in Chriſto perſonæ, non ſaltem morales, id quod facilè cogitari poteſt, ſed metaphyſicæ, cùm tamen unus ſaltem Chriſtus unaque in ipſo perſona eſſe debeat. Ad alterum verò canonem ita reſpondet venerandus Parens noſter in *diſſ. cit.* §.7. *Proprium (e. g.*

 calor

calor) unius (ignis), quod (igni) uni, ſoli & ſemper ineſt primò ac per ſe, non poteſt è ſubjecto (igne) in ſubjectum (ferrum) tranſilire, & æquè immediatè proprium fieri alterius (ſc. ferri) ὡς πρώτῳ; *Nec calor, etſi* συνδυαστικῶς *& ſecundario ferro* καθ' ἕνωσιν *i. e. quoad communem poſſeſſionem, uſurpationem ac denominationem communicetur,* κατὰ φύσιν *ignis proprium* ὑπαρκτικῶς *ac primariò eſſe deſinit.*

XII. Præcipua dicta, quæ ad unionem perſonalem & communicationem idiomatum probandam afferuntur, exſtant *Ioh.* I. 14. ubi dicitur: *verbum* i. e. divina natura *factum eſt* non per tranſmutationem ſed per unionem *caro* id eſt humana natura. Scilicet verbum ἐγένετο pro re ſubſtrata intelligendum eſt. Quis enim dixerit unquam, divinam naturam in humanam tranſmutatam fuiſſe? 1. *Tim.* III. 16. dicitur: *DEUS eſt manifeſtatus in carne*, quam ſc. in hypoſtaſin ſuam ſe incarnando aſſumſit, ubi ſaltem ὡς ἐν παρόδῳ notamus, incarnationem omnibus tribus in Trinitate perſonis tanquam opus ad extra adſcribendam eſſe, aſt terminativè ad ſolum λόγον ſpectare. *Ioh.* III. 13. *Filius hominis* i.e. perſona Chriſti, *qui eſt in cœlo*, eo ipſo temporis momento, quo in terris exſtitit jam ἔνσαρκος, ex quo omnipræſentia carnis Chriſti patet, niſi per ἀλλοίωσιν, Zvvinglio quæ attribuitur, dixeris, filium hominis pro filio DEI poni, *deſcendit de cœlo* ad ſe incarnandum, ut ita hic deſcen-

ſtenſus nihil aliud quàm incarnatio ſit. Nec eſt, quòd pro ἀλλοιώσει iſtà alleges locum *Ioh.* VIII. 58. cùm τὸ ἐγὼ ibi de divinà perſonâ, non naturà in abſtracto intelligendum ſit. *Col.* II. 9. *In Chriſto habitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter*, quo innuitur, in humanà Chriſti naturà non ſaltem tanquam in templo ſed etiam tanquàm in PROPRIO SUO CORPORE habitare non ſaltem divinam hypoſtaſin vel naturam vel unum aut alterum idioma divinum ſed OMNEM DEITATIS PLENITUDINEM, ex quo etiam id conſpicitur, abſtracta quoque heic in deſcriptione incarnationis Dominicæ in ſacris literis adhiberi. Nec urgeri hîc poteſt tanquàm locus parallelus *Eph.* III. 19. ubi dicitur, *ut repleamini in omnem plenitudinem DEI*, cùm vox σωματικῶς ibi non addatur, & fideles hac ratione, ubi fiunt θείας κοινωνοὶ φύσεως 2. *Petr.* I. 4. ubi replentur DEO, haud perſonaliter ipſi ſed myſticè ſaltem uniantur, etſi unum cum DEO fieri dicantur. Unde & fiunt hîc entia per accidens, id quod de Chriſto dici non poteſt, ubi duæ naturæ COMPLETÆ haud uniuntur, quod tamen ad ens per accidens requiri ſubinde videas, *Hebr.* II. 14. expreſſe κοινωνία ſive communio naturarum ſtatuitur. Additur commate 16. *aſſumtio* in hypoſtaſin divinam, niſi cum HEDINGERO & SIGVOLKIO ex noſtris hoc de auxilio hominibus, non Angelis præſtito explicare vel ſaltem ita in dubium

dubium revocare communem interpretationem
malis. XII. Propoſitiones perſonalis & idio-
maticæ & apoteleſmatica exſtant in ſequenti di-
cto *Ioh.* I. 14. *Verbum caro factum eſt* (en
propoſitionem perſonalem!) *& habitavit in nobis*
(en idiomaticam ἰδιοποιήσεως) *& vidimus glo-
riam ipſius tanquam unigeniti apud Patrem* (en
μεταδόσεως) *plenus gratiâ & veritate* (en pro-
poſitionem apoteleſmaticam!) XIII. Jejunum
eſt, quod contra μετάδοσιν dicitur, *finitum non
eſſe capax infiniti;* cùm hoc ſaltem de capa-
citate naturali, comprehenſivâ, κατὰ μέθεξιν,
ita ut finitum eſſentialiter evadat infinitum ca-
que, quæ fit per inhæſionem, intelligatur, non
de capacitate κατὰ συνδύασιν denominativâ, de
quâ nobis jam quæſtio eſt. XIV. Ὁ λόγος ita
eſt in carne, ut non ſit extra carnem nedum
totus. Si enim tota Deitatis plenitudo corpo-
raliter carnem inhabitat, tota extra carnem non
eſt. Jam &, ſi λόγος alicubi extra carnem eſt,
Chriſtum (ita enim communis habet ratiocinatio,)
duplicem habebimus ἄσαρκον ſimul & ἔνσαρκον,
non σύνθετον ac ſimplicem, cùm tamen λόγος
neque Deitatis ſuæ neque hypoſtaſeos reſpectu
partem admittat ſed ſit ὅλως ὅλον τι, ita ut
pars λόγου ἄσαρκος, pars ἔνσαρκος dici haud
poſſit. Quin & ſolveretur hâc ratione Chriſtus
contra 1. *Joh.* IV. 3. Imò ſi cato non eſt ubique,
ubi λόγος eſt, ſequitur, λόγον in terris
corpo-

Digitized by Google

corporibus noſtris propiorem eſſe quam carni ſuæ in cœlis incluſæ, quod implicat. Denique XV. cùm idiomata divina in carnem haud transfuſa ſint neque etiam huic inhæreant, facilè cogitari poteſt, communicationem eorundem παράςασιν quidem jugulare aſt nullam exæquationem, abdicationem, transfuſionem, confuſionem, nullam & mixtionem aut abſorptionem humanitatis inferre. Quod teſtat, Autores, qui hoc argumentum præcipuè excoluere atque ante alios inſpiciendi atque conſulendi ſunt, nominamus, BRENTIUM, ANDREÆ, CHEMNITIUM, SCHÆFERUM, SCHROEDERUM, THUMMIUM, GERHARDUM, CALOVIUM & HABERKORNIUM. Maximè verò hîc commendandus venit aureus ille libellus, quem ſub titulo problematis theologici *de communicatione proprii* JOANNES ille SCHROEDERUS, Eccleſiæ Noricæ Paſtor Gieſſæ A. 1616. in formâ, quam adpellant, duodecimâ edidit. Aureum dicimus non præciſè propter res, quas continet, abundat enim ſpectris ſcholaſticis, quæ utramque hic paginam conficere atque implere conſpiciuntur, ſed eapropter ſaltem, quòd modo perſpicuo, plano & curato omnes, quæ argumentum hoc circumfundunt theſinque orthodoxam explicant, tricæ evolvuntur, diſcutiuntur, enodantur. Et ſapuit profectò ex fontibus SCHROEDERIANIS THUMMIUS noſtrâs, qui & ex CHEMNITIO & ex SCHÆFERO plurima egregia hauſit & quæ ab hiſce

data

Digitized by Google

data erant, ex Patribus plenius & luculentius diduxit, ubi & HABERKORNIUM, qui datâ operâ argumentum hoc prolixiſſimè evolvit, ſucceſſorem habuit.

§. IV.

Jam cùm in communicatione idiomatum vel maximè μετάδοσις occurrat, (συναμφοτερισμὸς enim & ἰδιοποίησις appropriationem magis & denominationem quàm communicationem ſtrictiſſimè ſic dictam involvunt,) & hæc ipſa non poſſit non præſupponi, ſi communicationem operationum, unde ἀποτελέσματα, quæ vocantur, proficiſcuntur, ſtatuas, agedum, datâ heic operâ 1. de μεταδόσει 2. de communicatione operationum agamus. Nota igitur, naturæ humanæ donata fuiſſe à perſona naturaque divivina τȣ λόγȣ axiomata majeſtatica, quæ materialiter idem cum hypoſtaſi & natura divina τȣ λόγȣ ſunt. Omnipotentiam *Dan.* VII. 13. 14. *Matth.* XXVIII. 18. eamque ſanè non ſolum ad κτῆσιν ſed etiam ad χρῆσιν perpetuam, in actu ſcilicet directo ſive quoad creaturas licet ordinariè latentem in ſtatu exinanitionis, non in actu reflexo, aliàs quippe pati & mori Chriſtus haud potuiſſet. In actu enim reflexo id eſt, quando aliquis *erga ſe* potentiam quandam exercet, quemadmodum in actu directo id eſt, quando *erga alios*, id quod ſaltem ad intelligentiam termini bona cum lectoris venia notamus. Jam verò

Digitized by Google

verò, quando humana Chriſti natura beneficio κοινω-νίας hujus omnipotentiam divinam ſibi communicatam USURPAVIT, benè velim & heic obſerves, id ipſam haud feciſſe aut adhucdum facere ACTU NATURÆ ſive ACTU SIBI PROPRIO ſed beneficio ſaltem unionis perſonalis & ACTU PERSONÆ, non πρώτως ſed δευτέρως, non ἀμέσως ſed ἐμμέσως, non καθ᾽ αὐτὸ ſed κατ᾽ ἄλλο, unde & omnipotentia hæc, quam uſurpat, EADEM planè eſt OMNIPOTENTIA, quam divina habet natura, non verò donum quoddam habituale, quod magna quidem potentia ſed omnipotentia eſſe haud poteſt. Dona enim habitualia ſunt finita, aſt omnipotentia eſt infinita. Quæ vero hîc de omnipotentiâ dicimus, de cæteris ἀξιώμασι quoque dictum volumus. Ita & omniſcientia naturæ humanæ per incarnationis gratiam donata fuit, *Col.* II. 3. *Ieſ.* XI. 2. *Ioh.* II. 25. *Ioh.* III. 34. XVI. 30. XXI. 17. Scilicet ET HUMANO INTELLECTU Chriſtus omnia novit per gratiam quippe communicationis & actu non naturæ humanæ, quod abſurdum foret affirmare, ſed actu perſonæ, quod ſemper repetendum eſt. Alias Chriſtus ut homo invocari, preces noſtras exaudire & judicium ſupremum adminiſtrare, quæ poteſtas ipſi *tanquam filio hominis* data eſt *Ioh.* V. 27. non poſſe videtur, ſiquidem ad hoc judicium rectè ferendum neceſſarium eſt, noſſe abſcondita tenebrarum & cogitationes cordium

1. Cor.

1. *Cor.* IV. 5. Cæterùm quoad omniſcientiam non poteſt diſtingui inter κτῆσιν & χρῆσιν, cùm omniſcientia nonniſi purus actus ſit, cujus operatio RETRAHI NUNQUAM POTEST. Quando igitur Chriſtus aliquid dicitur ignorare, uti diem judicii extremi, id ſaltem DE ACTU NATURÆ HUMANÆ per locutionem planè inuſitatam intelligi debet. Nec eſt, quòd dicas, eſſe hoc effugium quoddam, ad eludendam objectionem confictum, ex quo pateat, omniſcientiam divinam carni Chriſti communicatam haud eſſe. Certè enim Chriſtus ACTU PERSONÆ diem extremum ſcivit. Adeoque qui heic diſſentiunt, ſtatuere neceſſum habent, omniſcientiam divinam neque quoad actum perſonæ humanæ Chriſti naturæ communicatam eſſe. Id quod quî fieri poſſit, nos haud perſpicimus, qui credimus, humanam naturam, utpote ἀνυπόστατον, in divina ὑποστάσει ſubſiſtere. Nihilque eſt, quod regeri poſſit, niſi hoc, in dicto illo *Marc.* XIII. 32. gradationem adhiberi, quæ ſtante interpretatione noſtra caderet, quia Chriſtus per ſtatum exinanitionis Angelis ſit minor factus *Ebr.* II. 7. 9. quod tamen & ipſum cadit, ſi conſideremus, Chriſtum hominem quidem minorem Angelis fuiſſe in ſtatu exinanitionis reſpectu formæ ſervilis, aſt non reſpectu donorum habitualium, ubi ſanè Angelis is, omnibus, credo, faſſuris præſtantior fuit. *Ebr.* I. 6. ſqq. Quin & omnipræſentia divina

Digitized by Google

vina carni Chriſti communicata fuit NB. non per *μετέκβασιν*, non ut carni inhæreat, ſed *κατὰ συνδύασιν*. Hîc videas communiter allegari loca *Matth.* XVIII. 20. XXVIII. 20. *Marc.* XVI. 20. *Eph.* IV. 10. *Iohan.* III. 13. Scilicet cùm etiam natura Chriſti humana ad dextram DEI ſedeat, utique etiam ubique eſt, quia dextra DEI eſt ubique & cœlum terramque implet *Pſalm.* CXXXIX. 7. ſqq. Nolim vero, hîc diſtinguas inter præſentiam intimam & extimam, quarum illa inter λόγον & carnem, hæc inter λόγον & creaturas verſatur. Etenim λόγος, uti ſupra ſatis innuimus, EXTRA CARNEM nunquã, ne relativè quidem ad creaturas, eſſe poteſt, cùm unio alias ſolveretur, quapropter & HUTTERUS, SCHERZERUS & WALTHERUS hanc diſtinctionem rejiciunt. Neque etiam admittenda hîc eſt omnipræſencia reſpectiva, quæ potius eſt multipræſentia & donum habituale, ut Chriſtus juxta humanam naturam poſſit eſſe, ubi velit, juxta mentem veterum quorundam Theologorum, maximè Helmſtadienſium, quam & JO. JAC. MULLERUM adoptaſſe novimus, ſed abſoluta ſtatuenda venit, quâ poſitâ caro Chriſti VI UNIONIS PERSONALIS non ubiq; eſſe non poteſt. Deinde & hoc notandum, omnipræſentiam non in omnioperatione, ne quidem juxta acceptionem vocis Biblicam, ſed in ἀδιαστασίᾳ formaliter conſiſtere. Porrò probe & id obſervandum eſt, omnipræſentiam, quâ huma-

na natura omnipræſens eſt, eandem illam eſſe, quâ divina natura floret, unde de omnipræſentia phyſica, locali, expanſiva, diffuſiva, circumſcriptiva nemo orthodoxorum hic SOMNIAT, cùm humanitas nec eſſentialiter, nec naturaliter ſed ſaltem perſonaliter ubique ſit, utpote naturæ ſuæ finitate (licet non ſemper loco, cùm ad dexteram DEI illocalem regnet,) circumſcripta. Differt & ab omnipræſentia immenſitas. Ita DEUS ſemper fuit immenſus, quod eſt attributum abſolutum, humanæ Chriſtæ naturæ ſaltem mediatè communicatum, aſt non ſemper omnipræſens, quia omnipræſentia relatè ad creaturas dicitur. Jam & omnipræſentia carnis Chriſti non ex proprietate corporis glorificati deſumenda eſt, cùm non ſit donum habituale ſed ipſa divina omnipræſentia, uti jam diximus. Humana quippe natura & corpus Chriſti, glorificatum licet, ACTU NATURÆ UBIQUE NON EST ſed determinatè in πȣ̃ cœleſti, non quidem circumſcriptivè ſed definitivè verſatur, etſi in πȣ̃ aliquo circumſcriptivè eſſe κατ' οἰκονομίαν poſſit. Vide *primitias Tubingenſes P. 2. p. 262.* Porrò & adjiciendum hoc venit, iterum quoad omnipræſentiam non poſſe diſtingui inter κτῆσιν & χρῆσιν, cùm omnipræſentem haud eſſe κατὰ χρῆσιν & tamen omnipræſentem eſſe idem ſit, ac ſimul omnipræſentem & non omnipræſentem eſſe. Denique dicimus, omnipræſentiam naturæ Chriſti humanæ non ſal-

tem

Digitized by Google

tem in ſtatu exaltationis ſed etiam in ſtatu exinanitionis competere, licet ea viſibilis oculiſque manifeſta nec fuerit nec hodiè ſit, id quod nec de omnipræſentia divina dici poteſt. Nec eſt, quòd ajas, ſi Chriſtus homo inde à primo incarnationitionis & conceptionis ſuæ momento fuerit *omnipræſens*, tùm fuiſſe & præſentem humanam naturam extra uterum Mariæ, id quod *implicet*, tùm falſa fore ea omnia, quæ de Chriſti abſentia & de ipſius adſcenſione in cœlos ſcriptura ſacra dicat. Scilicet Chriſtus homo jam in primo conceptionis momento etiam extra uterum matris non actu naturæ, quod abſurdum foret ſomniare, ſed actu perſonæ fuit, at in utero Mariæ actu naturæ & circumſcriptivè localiterque exſtitit, *prout* ſanè extra illum nullibi fuit. Ita &, ubi abfuiſſe dicitur, ſaltèm præſentiam corporis ſui *naturalem*, circumſcriptivam vel definitivam viſibilemque, non divinam, retraxiſſe cogitandus eſt. Ita denique & aſcendit in cœlos, ut per nubem viſibilis ejus præſentia & naturalis fuerit ſubducta. Divina enim tàm non ſubduci potuit quàm dici haud poteſt, divinam præſentiam omnipræſentiam haud eſſe. Carni autem communicatam illam eſſe vel ex eo patet, quoniam idem cum natura divinà eſt, quam carni communicatam eſſe is demùm negàverit, qui incarnationem negaverit atque unionem ſolverit. Unde & patet, quî dici poſſit, non tantùm *totum Chriſtum* ſed & *totum Chriſti* ubique eſſe. Nec eſt, quod

quod ajas, *Chriſtum jam cœlo capi.* Act. III. 21. Ita enim juxta LUTHERUM vertendum: *qui debet cœlum capere.* Porrò etiam cum omnipotentia, omniſcientia & omnipræſentia Chriſto homini cultus adorationis religioſus & latreuticus abſolutuſque, à civili & inferiore quodam cultu diverſiſſimus, competit, uti Patri; id quod particula καθὼς innuit *Ioh.* V. 22. ſqq. hâc tamen cum diſtinctione, ut humanæ Chriſti naturæ non competat καθ᾽ ἀυτὸ ut Patri & λόγῳ ſed καὶ ἄλλο, nec tamen ita, ut cultus hic carni tribuatur per accidens tantùm, ſicut purpura Regis aut Principis externâ quâdam oſculatione honorari ſolet, nec propter inhærentem quandam & habitualem ἐξοχὴν ſed propter unionem perſonalem. Adde *Phil.* II. 10. ſqq. Virtus vivifica, quæ etiam idioma divinum eſt carni Chriſti communicatum, probatur ex *Joh.* VI. 50. ſqq. 1. *Joh.* I. 7. *Joh.* V. 21. 1. *Cor.* XV. 22. Jam & Chriſtus homo in ſtatu exinanitionis hanc vivificandi virtutem ſibi collatam eſſe & à ſe exſeri manifeſtavit, ubi mortuos ſemetque ipſum non ut cauſa inſtrumentalis, quæ in miraculis adhiberi nequit, non ut cauſa occaſionalis, quales cauſæ homines fuere, qui miracula patravere, ſed ut cauſa efficiens principalis reluſcitavit. Addi & poteſt omniopulentia, cui forma ſervilis opponi nequit, niſi dicere velis, eos, qui ex Magnatibus in Eccleſiâ Romanâ pauperum pedilavio in die viridium operas conſecrant, omniopulentiam

Digitized by Google

lentiam ſuam exuere. Et tamen Chriſtus homo in ſtatu exinanitionis fuit pauperrimus, quia juxta ſtatum ſuum CIVILEM re verâ talis fuit. Atque aliter id in ſacris literis haud intelligitur. Denique & Chriſto homini vi unionis perſonalis communicata fuit divina gloria & majeſtas. *Dan.* VII. 13. 14. *Pſ.* CX. 1. *Matth.* XXVI. 64. *Marc.* XIV. 62. *Luc.* I. 30. 31. 32. *Joh.* III. 13. ut de poteſtate αὐτοκρατορικῇ peccata remittendi *Matth.* IX. 6. *Marc.* II. 5. itemque de poteſtate judicii ſupremi adminiſtrandi *Joh.* V. 22. 27. *Act.* XVII. 31. jam nihil dicamus. In genere de hoc communicationis idiomatum genere, quod μετάδοσις nuncupatur, hæc notanda veniunt. I. In Scripturâ ſacrâ juxta noſtros illud dicitur ὑπερύψωσις ſc. in latiore ſignificatu *Phil.* II. 9. & unctio, quæ tamen & collationem donorum habitualium, de quâ poſtea dicemus, ſimul comprehendere videtur, *Pſ.* XLV. 8. *Jeſ.* XI. 2. *Dan.* IX. 24. *Act.* X. 38. II. Μετάδοσις hæc in genere patet ex dictis *Matth.* XI. 27. *Col.* II. 9. *Joh.* III. 35. *Matth.* XXVIII. 18. III. Benè obſervandæ hîc ſunt veterum Patrū regulæ. *Quicquid Filius DEI habet per naturam, id Filius hominis habet per gratiam. Quod Chriſto in tempore datum dicitur, id ſecundùm humanitatem datum intelligitur. Chriſtus accepit ut homo, quod habet ut DEUS.* IV. Communicationem idiomatum non variant ſtatus Chriſti, quia eadem ex unione perſonali fluit.

Digitized by Google

Hinc in ſtatu exinanitionis idiomata haud abdicantur, ſed vel *latenter* vel *quoad uſum directum* ſaltem uſurpantur. V. In prædicationibus idiomaticis prædicatum nonnunquam proprietatem naturæ & ἀποτέλεσμα officiale ſimul denotat. Hinc prædicatio apoteleſmatica ſemper idiomaticam præſupponit. Addamus pauca de communicatione operationum, juxta quam unaquæque natura in officio Chriſti mediatorio, Prophetico, Sacerdotali & regio ad actionem mediatoriam hoc eſt apoteleſma perficiendum concurrit agitque, quod ſuum eſt, cum communicatione alterius. Ita Chriſtus eſt Mediator noſter ſecundùm utramque naturam 1. *Tim.* II. 5. Ita DEUS PROPRIO ſanguine redemiſſe Eccleſiam dicitur *Act.* XX. 28. Adde 1. *Ioh.* I. 7. 1. *Ioh.* II. 2. Notandum verò hîc eſt, perſonam eſſe principium ut quod apoteleſmatis, naturam ut quo. Ita quando dicitur *DEUS eſt paſſus* principium paſſionis quod eſt divina perſona, principium quo humana natura. Id quod in omnibus actionibus apoteleſmaticis ſive θεανδρικοῖς aut *deovirilibus* ita ſe habet, niſi natura utraque ÆQUALITER concurrat. Addenda & hæc BONAVENTURÆ regula eſt: Propria partis non ſuppoſito ſed partibus communicari. Unde ſeparari à corpore eſt proprium ſolius animæ Chriſti. Ergò non competit toti perſonæ, aliâs tota perſona in triduo mortis à corpore fuiſſet ſeparata, quod eſt falſum. Viciſſim idioma-

Digitized by Google

idiomata totius non partibus ſed toti ut ſuppoſito communicantur. Sic v. g. unitum eſſe carni convenit quidem divinæ naturæ, non autem animæ Chriſti in triduo mortis, aliàs Chriſtus non fuiſſet mortuus. Ex quo intelligitur, quod in triduo mortis unio naturalis inter animam & corpus fuerit ſoluta, ſalvâ unione perſonali, in quâ & anima & corpus etiam in morte permanſerunt. Vide SCHERZERI *ſyſtema p. 199.* Quod reſtat, duo hæc paucis ſaltem adhuc monemus, quoniam actiones ſunt ſuppoſitorum, omnem actum naturæ in Chriſto eſſe etiam perſonalem & concurrere ad ἀποτέλεσμα, ad ἀποτέλεσμα ſemper requiri duos actus, naturæ divinæ unum, naturæ humanæ alterum. UTRAQUE enim NATURA hic agit, QUOD SUUM EST, cum communicatione alterius, ad conficiendum UNUM ἀποτέλεσμα, uti e. g. ictus gladio ignito factus eſt ἀποτέλεσμα, ubi ignis & gladius, unumquodque agit, quod ſuum eſt, ignis urendo, gladius ſecando, & ictus tamen unum ſaltem ἀποτέλεσμα eſt. Nec eſt quòd ajas, ita etiam divinæ naturæ vel divinæ perſonæ attribuendos eſſe actus, qui humanæ naturæ ſint proprii, ut comedere, bibere, ſudare, fatigari, imò & illam precationem: *Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte.* Jam enim & ad hæc omnia concurrit quoque ACTU SUO PROPRIO divina natura non ſaltem permittendo ſed & efficaci-

efficaciter volendo, ut Chriſtus omnes iſtas humanæ naturæ infirmitates ſentiret atque ita in omnibus fratribus ſuis ſimiles evaderet, unde & iſta omnia ad obedientiam Chriſti activam meritoriam referenda eſſe quivis jam conſpicit. Cavenda itaque ſunt hæc extrema I. ne dicas, actus naturæ fuiſſe in Chriſto, qui non fuerint perſonales, id quod implicat. II. ne ajas, in apoteleſmate duos actus haud concurrere ſed unicum ſaltem hunc eſſe actum. Quemadmodum enim utraque natura in Chriſto uti eſſentiam ſuam ita & proprietates omnes retinuit, quod niſi eſſet, naturarum mixtio hîc eſſet & confuſio, non junctio, ita & diverſi illarum actus ſunt, licet unum ſaltem ſit ἀποτέλεσμα ex diverſis illis actibus reſultans. Atque in hoc conſtitit Monothelitarum error, quòd licet duas ſtatuerent in Chriſto volitionis ἐνεργείας, unum ſaltem ſtatuerint ἐνέργημα, cùm unum ſaltem ἀποτέλεσμα ſtatuere debuiſſent. Falſò enim ipſis hoc attribuitur, quod unam ſaltem volendi ἐνέργειαν ſtatuerint. At verò hæc omnia rectè ut capiamus, jam hiſtoria unionis perſonalis & communicationis idiomatum dogmatica nobis danda venit. Brevibus agedum ex vaſtiſſimo rerum campo, quem aliàs tardiore greſſu peragrabimus, nos expediamus.

§. V.

Hanc verò cùm eruditè, licet haud plenè, enarraverint CHEMNITIUS noſtrás, BRENTIUS,

Digitized by Google

TIUS, ANDREÆ, SCHROEDERUS, THUMMIUS, HABERKORNIUS aliique ſparſim, maximè verò ex Romanenſibus PETAVIUS & THOMASSINUS, ex Reformatis FORBESIUS & SPANHEMIUS evolverint, nos jam, qui cogitaveramus, datâ opera rerum ſyſtema quoddam, quod ſufficere curioſis poſſit, hîc conflare, ubi, dum in rem ipſam deſcendimus, videmus, nimis vaſtum hunc campum eſſe, quàm ut tàm citò peragrari poſſit, mutatis equis eum hîc tantùm pervolabimus & compendiolum ſaltem dicendorum, pleniore tractatione hucuſque paulisper dilatâ, heic dabimus, atque ad ea, quæ luculentius hîc dici poſſunt, digitum tantùm intendemus, ita tamen, ut ex iis, quæ hùc pertinent, omnia indicemus. Notes igitur velim I. hos potiſſimùm ante Concilium Nicænum fuiſſe hæreticos, qui Chriſtum verum eſſe DEUM adeoque verbum divinum incarnatum negaverint, Carpocratianos, Cerinthum, Nazaræos, Ebionitas, Helceſæos, Artemonem, Theodorum utrumque, coriarium & Trapezitam itemque Beryllum, qui ferè omnes Chriſtum pro naturali Joſephi & Mariæ Filio habuere. Paulus Samoſatenus itidem divinitatem Chriſti negavit. Aſt Sabellius contrarium errorem errans adeò Chriſtum non eſſe merum hominem credidit, ut in ejus adſtruendâ divinitate etiam modum excesſerit. Quippe totam ipſam Trinitatem vel unam potius, quam in Deitate ſolam profitebatur

eſſe, perſonam illigavit homini eique intimè conjunxit, ita ut paſſum in Chriſto DEUM eſſe diceret, hoc eſt, Patrem, cui primas in appellatione ac cenſu divinitatis aſſignans, reliquas duas, non perſonas ſed ἐνεργείας id eſt functiones temporarias ajebat ejuſdem eſſe perſonæ, utpote qui verbum ſive Filium per ſe ſubſiſtere negaret idque prolatitium ac tranſiens verbi inſtar humani eſſe diceret. Hinc eſt, quod Sabelliani nuncupati fuere Patripaſſiani, qui & Noëtiani & Praxeani & Hermogeniani ab ejus nominis Viris dicti fuerunt. Vide PETAVIUM de *incarnat. L. 1. C. 3. §. 5.* qui & *§. 7. 8.* addit, Sabellium de Chriſto hæc pronuntiáſſe, emiſſum eſſe Filium tanquàm radium divinitatis, qui omnia illa perfecerit, quæ ad Evangelii procurationem & humani generis redemtionem attineant, quâ expletâ functione rurſus ad cœlum adſumtum eſſe, quemadmodum radius emiſſus à ſole iterum ad ſolem recurrat. Ex quo appareat, nullam propriè ἐνανθρώπησιν ſive ἐνσάρκωσιν eundem agnoviſſe, ſed ſolam ἐνέργειαν & operationem divinitatis in homine Chriſto, quem ipſum errorem & ſubinde foverit atque expreſſius præ ſe tulerit Paulus Samoſatenus. Prodiiſſe dein ex Sabellii errore Patripaſſianiſmum, diſcipulis Sabellii non ſolam Patris ἐνέργειαν Chriſto homini infuſam ajentibus ſed & perſonam Patris cum humanâ naturâ unitam exiſtimantibus. Quæ tamen omnia ab aliis aliter

aliter explicantur, uti & Marcelli error, ſi quidem iſte erravit, de quo plurimos dubitare video. Mox enim & huic Patripaſſianiſmus, mox Sabellianiſmus impingitur. His omnibus ſucceſſere ARIANI & PHOTINIANI, qui hodiè SOCINIANI dicuntur. Vide, ſi placet, quæ in articulo de Trinitate ſupra diximus. II. In ſcenam hîc protrahendi quoque veniunt Docetæ, qui Chriſtum hominem ſaltem κατὰ δόκησιν, fuiſſe ſenſere, inde & Phantaſiaſtæ dicti. Choream ducit Simon Magus, claudicant pone Saturnilus, Baſilides, Valentinus, Secundus, Epiphanes, Iſidorus, Ptolemæus, Marcus, Ophitæ, Sethiani, Cerdon, Marcion, Lucanus, Manes ſive Manichæus, Apelles, Priſcillianus eorumque ſequaces, qui omnes ferè Sec. II. & III. Eccleſiam inepto dogmate perturbavere, ab Irenæo & Tertulliano maximè refutandi. III. Sequitur Apollinaris, maximè filius, Epiſcopus Laodicenus, non Antiochenus, cujus errorem ſic epiſtolâ decretali 23. delineat Leo M. Pontifex Romanus: *Unde non DEUM tantùm dicimus Chriſtum, ſicut hæretici Manichæi, nec hominem tantùm, ſicut hæretici Fotiniani, nec ita hominem, ut aliquid ei deſit, quod ad humanam certum eſt pertinere, naturam ſive animam ſive mentem rationalem ſive carnem, quam non de femina ſumſit, ſed factam de verbo in carnem converſo atque mutato, quæ tria falſa & vana Apollinariſtarum hæreticorum tres partes variè protulerunt.*

Digitized by Google

runt. Affirmavit igitur Apollinaris animam humanam vel ſaltem mentem Chriſtum hominem haud habere ſed divinam naturam ejus vicem ſupplere, corpus Chriſti de cœlo deſcendiſſe nec de Mariæ carne ſumtum eſſe adeoque nec Mariæ nec nobis ſed divinitati potius ὁμοούσιον atque ex divinitate formatum eſſe. Fatendum tamen, nimia Apollinario ſubinde ab Autoribus tribui, nec liquidos eſſe ejus errores, id quod jam in *diſſertatione contra ROGERIUM de Euchariſtiâ p. 21. 22.* monuimus, ubi & Autores allegavimus, de Apollinariſmo qui conſulendi ſunt. Unicum addimus, Apollinariſtas Synuſiaſtas quoque dictos atque in Conciliis Alexandrino, Romano, Antiocheno & Conſtantinopolitano Oecumenico II. damnatos fuiſſe, hæreſi Eutychianæ originem daturos. IV. Jam ſiſtit ſe NESTORIUS, Epiſcopus Conſtantinopolitanus, cui hi errores tribuuntur: Mariam non dicendam Θεοτόκον ſed χριστοτόκον, duas eſſe in Chriſto perſonas, unum eſſe Chriſtum, prout nos cum DEO unum ſumus, unione ſcilicet σχετικῇ, etſi illa in Chriſto utique multò ſit eminentior. Hæreſin hanc à Paulo Samoſateno & Theodoro Mopſueſteno hauſiſſe dicitur. Adverſarios primùm ſtatim expertus eſt Cyrillum & Cœleſtinum, hunc Romanum, illum Alexandrinum Epiſcopos. In Concilio Epheſino, quod eſt Oecum. III. A. 431. ſub Theodoſio Juniore damnatus fuit, licet neque unionem perſonalem

neque

Digitized by Google

neque communicationem idiomatum hactenus negâſſet ſed ſaltem in damnandâ θεοτόκος voce durior tantiſper exſtitiſſet, meliora dein & hîc profeſſus. Vide tamen autores hanc in rem præcipuos PETAVIUM, NORISIUM, GARNERIUM, DOUCINUM, SIMONEM, NAT. ALEX. DUPINIUM, BASNAGIUM utrumque, BÆLIUM &, qui nuperrimè ex LUCA OSIANDRO & VVAGNERO mitius de Neſtorio ſenſit, V. C. CHR. EBERH. VVEISMANNUM in *hiſtor. Eccleſ. Novi Teſtamenti Sec. 5. §. 14. 16.* Ante omnia verò inſpicienda veniunt Acta Conciliorum atque epiſtolæ Patrum de Concilio Epheſino à LUPO, BALUZIO & GARNERIO editæ, quas hanc in rem BASNAGIUS non ſine fructu adhibuit. Neſtorium ſecuti fuere Diodorus Tarſenſis, Theodoretus, Ibas Edeſſenus, Acœmetæ Monachi &c. V. Neſtorio ſuccedat EUTYCHES, Archimandrita Conſtantinopolitanus, qui ſtatuiſſe fertur, unam ſaltem eſſe naturam in Chriſto poſt adunationem, Chriſtum carnem ſuam de cœlo detuliſſe, quæ itaque nobiſcum haud ſit ὁμοούσιος, denique duas naturas divinam & humanam in unam fuſas mixtaſque fuiſſe. Damnatus fuit Eutyches cum ſuis in Concilio Chalcedonenſi, quod eſt œcumenicum IV. A. 451. ſub Marciano Imperatore. Oſtendunt verò Acta vetera, Eutychen in termino naturæ potiſſimùm peccâſſe, quo idem nempe ſignificatum voluit, quod nos per

Digitized by Google

per perſonam indigitamus, eaque propter phraſin iſtam: *Chriſtum non ſaltem EX ſed etiam IN duabus naturis conſiſtere*, noluiſſe admittere, contra cæteros errores verò ſolenniter proteſtatum Chriſtumque incarnatum verum DEUM & verum hominem ſine ullâ confuſione vel mixtione in una contemperata natura ſive perſona dixiſſe. Quam in rem opus eſt, ut conferas, quæ in laudata *contra ROGERIUM diſſertatione p. 23. 24. 57.* diximus, ubi &, qui Monophyſitæ ab Eutyche diſſentiant, exponitur, addaſque *acta Synodi Memphitica*, quæ apud *POSSEVINUM, SPONDANUM & HARDUINUM* & hunc quidem *Concil. T. 10. f. 1274. ad A. C. 1582.* exſtant, ubi Monophyſitæ Alexandrini & Cophti expreſſè ita ſtatuunt: *ſe, quanquam duarum abſtineant naturarum appellatione, non tamen negare, Chriſtum DEUM & hominem eſſe, ſed ab eâ loquendi ratione idcircò refugere, ne conſuetudo ipſa loquendi duas inducere videatur hypoſtaſes.* Quod reſtat, ſi Eutyches eapropter hæreticus dicendus eſt, quod naturæ vocabulo incongrue uſus eſt, eadem Cyrillo Alex. dica ſcribenda venit, à quo Eutyches hoc didicit. VI. Eutychem comitantur filii, Theopaſchitæ, quorum princeps Petr. Gnapheus ad triſagium addidit, ὁ σαυρωθεὶς δι ἡμᾶς (ubi vide *primitias Tubingenſes P. I. pag. 52.*), Incorrupticolæ & Corrupticolæ, qui carnem Chriſti in ſtatu exinanitionis vel corruptibilem vel incor-

Digitized by Google

incorruptibilem aſſeveravere, & Agnoëtæ, qui ignotaſſe Chriſtum hominem in ſtatu exinanitionis quædam credidere. VII. Monothelitis, qui ad ſec. VII pertinent, hic attribuitur error, quod in Chriſto unicam ſaltem voluntatis ἐνέργειαν unumque ἐνέργημα ſtatuerint, cùm tamen ipſos poſtetius ſaltem ſtatuiſſe atque unicum quoddam volitionis ἀποτέλεσμα credidiſſe ex actis liqueat, diſſentiente licet PETAVIO de incarn. L. 8. C. 4. Hiſtoriam eorundem dedere FORBESIUS, TAMAGNINUS, COMBEFISIUS, NAT. ALEX. LEQUIEN, CHEMNITIUS, BASNAGIUS. Præcipui hujus dogmatis fautores fuere Heraclius Imper. & Conſtans II. ille edita ecthesi, hic typo clarus, Sergius Epiſc. CP. Cyrus Alex. Theodorus Pharan. Pyrrhus, Honorius, Pontifex Rom. qui à ſucceſſoribus poſtea eapropter damnatus fuit &c. Ipſe verò Monotheliſmus in Concilio Conſtant. III. ſive œcumenico VI. A. 680. ſub Conſtantino Pogonato proſcriptus fuit. Vide omninò laudatiſſimum WEISMANNUM *l. c. Sec. 7. §. 4.* Scilicet nihil aliud voluere Monothelitæ, quam actiones Chriſti omnes eſſe perſonales adeoque haud diviſas, naturamque divinam per humanam tanquam inſtrumentum ſuum unam eandemque actionem edere; id quod etiam ex noſtris ſunt, qui dixere. VII. ADOPTIANI, FELIX Urgelitanus & ELIPANDUS Toletanus, Epiſcopi Hiſpani Chriſtum juxta humanam naturam Filium DEI adoptivum, non na-

turalem

turalem ſtatuerunt, in Concilio Francofurt. A. 794. eapropter damnati. Inter recentiores eundem terminum ferè adoptavit GEORG. CALIXTUS, Theologus Helmſtadienſis, ut Remonſtrantes, ut Scholaſticos quoſdam, ut Socinianos jam taceamus, qui idem ſtatuunt. Sed confer iterum VVEISMANNUM, qui cordatiore calamo hîc ſua effert *Sec. 8. §. 5.* Scilicet hæc videtur fuiſſe Adoptianorum ſententia, humanam naturam actu proprio dignitatem hanc haud poſſidere, utpote quæ in conſortium Trinitatis mediante ſaltem unione perſonali fuerit adoptata. VIII. Τρόπον παιδείας, quem Patres olim tenuere, & qui oppidò confuſus ſubinde eſt, ex Actis Conciliorum, ex ſcriptis Cyrilli Alex. & Jo. Damaſceni derivare maximè convenit. IX. Τρόπον παιδείας, quem Scholaſtici tenuere, ex PETRO LOMBARDO & THOMA AQUINATE maximè deſumi velim, ubi, quod communicationem idiomatum ſpectat, id in genere notari meretur, Scholaſticos cum Reformatis in eo plurimùm convenire, quòd beneficio unionis perſonalis humanæ Chriſti naturæ nonniſi dona finita, inhærentia atque creata, quæ nos habitualia nominamus, communicata eſſe aſſerant, etſi inter gratiam unionis, capitis & ſingularis prærogativæ diſtinguant, quarum poſteriores ſaltem dona finita complecti vi vocis videri poterant. X. Cûm de præſentia reali corporis Chriſti in S. Cœna ſub initium reforma-

tionis

Digitized by Google

tionis lis infauſta Eccleſias vixdum è tenebrarum faucibus ereptas diviſiſſet, etſi heic noſtri ad literam inſtitutionis divinæ appellabant, ſubinde tamen & ad omnipræſentiam carnis Chriſti tanquàm beneficio unionis hypoſtaticæ eidem competentem provocatum fuit articuluſque de communicatione idiomatum paulò curatius excoli cœpit. Et in diverſas quidem ſententias ſtatim hîc à diſſentientibus diſceſſum. LUTHERUS communicationem idiomatum eandemque realem, maximè omnipræſentiæ allegare, quod, niſi hæc ſtatuatur, unio perſonalis diſſolvatur atque merito Chriſti infinito, quod ſine communicatione operationum conſiſtere non poſſit, detrahatur, manifeſtiſſimiſque ſacræ Scripturæ effatis vis inferatur, ZVVINGLIUS ex adverſo ipſiuſque ſequaces alia dicta opponere & veritatem humanæ Chriſti naturæ urgere, quæ ſtante idiomatum communicatione cadat. LUTHERUM ſecuti fuere Theologi maximè VVürtembergici, JOANNES BRENTIUS & JACOBUS ANDREÆ, qui plurimis hanc in rem ſcriptis editis, tùm contra Sacramentarios, quos vocavere, tùm contra Crypto - Calvinianos Saxonicos, tùm contra Helmſtadienſes communicationem idiomatum tanquàm articulum ſummi plane momenti defenderunt. Quæ publico nomine hanc in rem ultrocitroque ſcripta & acta fuere, in *libro commentario de actis ſcriptiſque publicis Eccleſiæ Wirtembergicæ* luculentius enarravimus.

ravimus. Scilicet dogma hoc & *Confeſſioni Wirtembergicæ*, quæ Concilio Tridentino oblata fuit, & *Confeſſioni A. 1560.* editæ inſertum legitur. Hinc plurimis ſcriptis eriſticis occaſio data natumque odioſum illud *Ubiquitatis* & *Ubiquitiſtarum* vocabulum, quo denigrare anteceſſores noſtros diſſentientes voluere. Nec ſoli Reformati hîc contra nos calamum ſtrinxerunt ſed etiam Pontificii, ad quorum palatum communicatio idiomatum itidem haud fuit. Surrexere dein, uti jam innuere cœpimus, Crypto-Calviniani Saxonici, quos vocant, atque mortuo jam LUTHERO, mortuo &, qui prima hujus diſſenſûs ſtamina poſuit, MELANCHTHONE apertiùs mentem declaravere, argutias has non determinandas ſed ſilentio prætereundas nec communicationem iſtam ubiquitatemque nimium urgendam eſſe ajentes. Quod ubi factum, JAC. ANDREÆ, Cancellarius Tubingenſis idemque Theologus, medelam rebus allaturus, cùm in Saxoniam iviſſet, eò rem perduxit, ut Crypto-Calviniani iſti, quos vocant, rebus pellerentur & in formulâ Concordiæ communicatio idiomatum atque omnipræſentia Carnis Chriſti tanquàm articulus creditu apud nos neceſſarius omnibus præſcriberetur. Nec tamen hactenus omni ex parte inter orthodoxos quoque Theologos conveniebat, quibuſdam omnipræſentiam abſolutam, aliis ſaltem limitatam ſtatuentibus. Abſolutam ſtatuerunt VVirtembergici, tanquàm ex

Digitized by Google

ex unione perſonali neceſſariò fluentem, ita ut ſine eâ unio hypoſtatica conſiſtere non poſſit. Reſpectivam & limitatam ſtatuerunt CHEMNITIUS, Helmſtadienſes aliique plurimi, qui dixere, omnipræſentiam humanæ Chriſti naturæ ex voluntate derivandam, ita ut Chriſtus dicatur ſecundùm humanam naturam *ubique eſſe, ubi velit.* Quam in rem tùm *acta colloquii Quedlinburgenſis,* tùm *Acta und Scripta zum Concordi-Buch gehörig,* tùm CHEMNITII tractatus de *duabus naturis in Chriſto,* tùm ipſa *Concordiæ formula* evolvenda venit, in cujus *Art.* IIX. *de perſonâ Chriſti* mox omnipræſentiam reſpectivam mox abſolutam ſtatui videas, quæ tamen poſterior, HUNNIO VVirtembergico mediante, apud Saxones quoque poſtea certe quoad ſtatum exaltationis plenius introducta eſt. Poſtea de eodem argumento his ſemper continuata bellumque literarium cum Reformatis, maximè Palatinis, idque ſatis prolixum circa communicationem idiomatum geſtum fuit. Quod ipſum cùm ingruente alio bello, quo Palatinatus miſerrimè devaſtatus fuit, finiretur, alia inter Gieſſenſes & Tubingenſes pugna exarſit, ubi de omnipræſentia carnis Chriſti denuò diſceptatum fuit. Gieſſenſes enim, etſi largirentur, communicationem idiomatum eorumque infinitorum & divinorum ex unione perſonali neceſſariò fluere, dixerunt tamen, carnem Chriſti in ſtatu exinanitionis hæc idiomata non *uſurpâſſe* ſed *uſu eorundem ſeſe abdicâſſe,* nec omnipræ-

 ſentem

ſentem fuiſſe. Diſtinxere itaque inter κτῆσιν & χρῆσιν, quarum illam Chriſto exinanito adſcripſere, hanc ſecus, etſi & hæc ſubinde per miracula ſeſe exeruerit atque dein in ſtatu exaltationis plena ſeſe manifeſtaverit. Addidere &, omnipræſentiam in ſenſu Biblico ſemper operationem involvere. Tubingenſes è contrario affirmavere, Chriſto exinanito idiomatum cōmunicatorum χρῆσιν quoque eamque omnimodam quoad actum directum & quoad creaturas, licet latenter ſaltem eam ordinariè exercuerit, competiiſſe, nec eum hāc χρήσει ſe niſi quoad actum reflexum abdicâſſe, pro eo, uti opus redemtionis poſtulaverit, quod exequi Chriſtus non potuiſſet, ſi omnipotentiæ uſum quoad actum reflexum id eſt quoad ſe haud retraxiſſet. Adfuere dein Theologi Saxonici pacem compoſituri, qui tamen Gieſſenſibus magis quàm Tubingenſibus adhinnivere, etſi poſtea fuerint, qui proximè ad nos ex Saxonicis acceſſerint. Allegavimus autores totamque rei hiſtoriam in eâdem illâ *diſſertatione de actis ſcriptiſque publicis Eccleſiæ Wirtembergicæ p. 67. ſqq.* tradidimus, ubi *p. 70. ad notam (s)* notes velim, autorem apologiæ Saxonicæ non eſſe MATTHIAM HOE, uti diximus, ſed HENR. HOEPFNERUM. Vide MAJERI *diſſ. ſel. Kilon. & Hamb. p. 433. & p. 71. notâ (f)* Obſervari quoque poterat, Reverendiſſ. D. D. JÆGERUM, Cancellarium hodie noſtrum in *diſſ.* de *Chriſto Sponſore & Mediatore*

atore fœderis gratia ejuſque in ſtatu quoque exinanitionis omnipræſentiâ, quæ d. 9. Aug. A. 1713. evoluta fuit, contra QUENSTEDIUM, qui Tubingenſibus affinxit, quòd ſtatuant, exinanitionem Chriſti in nudâ *κρύψει* conſiſtere, ſententiam orthodoxam defendiſſe. Addendum & hoc eſt, quòd inter præſentiam intimam & extimam diſſentientibus valde communis ſit diſtinctio à MICH. tamen VVALTHERO *pec. diſſ.* jugulata, quâ illa quidem carni exinanitæ conceſſa ab ipſis, hæc denegata fuit. Haud dici poteſt, quî certamina hæc liteſque inteſtinas olim inter Theologos orthodoxos hoc de argumento agitatas riſerint & Romanenſes & Reformati, notumque eſt, quid hanc in rem ſcripſerint BELLARMINUS & GREG. DE VALENTIA, poſtea verò LAUR. FORERUS, è S. I Cancellarius Dillingenſis, qui *bellum ubiquitiſticum* vel *den Lutheriſchen Kazen-Krieg* edidit, LECHNERUS, PETAVIUS, alii. Nec ſiluere & Reformati, quorum Syſtemata hanc in rem luculenta ſunt. Jam verò hi non ſaltem *χρῆσιν* ſed & *κτῆσιν* communicationemque ipſam idiomatum penitùs negare videntur, cùm ajunt, humanæ naturæ nonniſi idiomata finita, creata & inhæſiva ſaltem communicata eſſe, ea verò, quæ divina ſint, communicari in concreto tantùm & perſonæ, non in abſtracto ſive naturæ, unde communicatio ſaltem verbalis i. e. nulla oriri videtur. Quin eouſque procedere Viros præſtantiſſimos videas, ut ſen-

 tentiam

tentiam noſtram tanquàm abſurdam & contradictoriam & Eutychianam refutent atque depectant. Ubi vero, cùm & nos Neſtorianiſmum ipſis & errorem fundamentalem hîc imputemus, ob quem in unum coaleſcere cœtum haud poſſimus, res ſatis compenſatur. Jam autem, ſi judicii, ſi veritatis, ſi pacis, ſi prudentiæ lucernam huic controverſiæ admoveas, mirum videri poſſit, cur tantoperè litibus haud neceſſariis & tanta ſecum damna ferentibus Viri ſummi manus calamoſque & linguas affuderint. Scilicet, qui ex hiſtoria dogmatis hujus, quam hactenus exaravimus, facile hoc lectori perſpiciendum dedimus, in controverſiis Neſtoriana, Eutychiana, Monothelitica & Adoptian ἀλογομαχίας ſubinde utramque paginam olim feciſſe, non poſſumus non idem planè de hoc, quod inter Proteſtantes in hunc uſque diem heic agitatur, ſententiarum divortio obſervare. En vero jam propoſitiones, ubi utraque pars conſentit. 1) In Chriſto una ſaltem eſt perſona ſed duæ naturæ, quarum quæ humana eſt, in divinæ naturæ hypoſtaſin fuit aſſumta, idque per arctiſſimam intimamque quandam unionem, qua intimior cogitari nequit. 2) Utraque natura ſuas proprietates & ſuos actus ſervat. Neque enim naturarum quædam proprietatumque confuſio unquam venit admittenda. Hinc humana natura ſemper actu ſuo naturali finita, extenſa, circumſcripta, paſſibilis &c. manet. Natura divina eſt

Digitized by Google

eſt & manet ſemper infinita, immenſa, impaſſibilis &c. ג Natura divina carni unita actionibus Chriſti mediatoriis infinitam utique virtutem ad ſalvandum redimendumque genus humanum affudit. In actionibus enim apoteleſmaticis utraque natura agit, quod SUUM eſt, cum communicatione alterius, non quòd ex hâc communicatione id habeat, ut agat, quod ſuum eſt, ſed quod ad conficiendum ἀποτέλεσμα unum atque indiviſum utraque diverſis re verâ actibus concurrat. ד Perſonæ Chriſti ut tùm divinæ tùm humanæ naturæ actus proprii attribuantur, convenit, idque ex uſu Scripturæ ſacræ. ה Hypoſtaſis, natura & idiomata divina à parte rei unum idemque ſunt nec niſi ἰσχνῶν ἐπινοιῶν abſtractioniſque philoſophicæ beneficio à ſe invicem differunt. ו Naturæ humanæ beneficio unionis hypoſtaticæ communicata ſunt dona habitualia longè præſtantiſſima e. g. potentia maxima, ſapientia ſumma, licet finita. Itaque tota jam lis hùc devolvitur: Num א attributa carnis Chriſti divinæ naturæ per appropriationem num & ב attributa divinæ naturæ carni Chriſti per donationem communicata fuerint, & quidem ad communem poſſeſſionem, uſurpationem & denominationem, ita ut humana Chriſti natura re vera ſit omnipræſens, omnipotens, omniſcia &c. Reſpondemus I. mirum eſſe, quòd tantùm hîc abſtractionibus indulgeatur, ubi neceſſarium id

 planè

planè haud eſt. Cur non ſuffecerit nobis, quòd Chriſtus, idem DEUS & homo, ſit omnipræſens, omnipotens, omniſcius, paſſus, mortuus &c. Quid opus eſt, de naturis IN ABSTRACTO longam inutilemque & acerbam litem nectere, ubi tandem ſauciis capitibus reque indeciſâ, tripudiantibus & adverſariis communibus Satanaque in cachinnos riſumque effuſo, qui & plurimum gaudet, quod, neglecto praxeos Chriſtianæ ſtudio eoque, quod medulla Chriſtianiſmi eſt, neglecto, amore nempe mutuo, ad inanes rixas & macilentam rerum cœleſtium theoriam propagandam nos Theologi provolemus, ubi inquam tandem ſauciis capitibus plagiſque luculentis acceptis acie omnes exeunt & ridiculo inſtituto utraque pars, proteſtante ſemper alterâ, epinicium in caſtris ſuis canit? II. Cùm ex utrâque parte Scripturam ſacram pro regulâ fidei agnoſcamus, quidni ad ſimplicitatem Biblicam, quæ de communicatione in abſtracto vel concreto nil memorat, hic refugiamus omneſque eas φράσεις unâ eâdemque ſpongiâ deleamus, quæ in divinioribus literis haud exſtant? Id quod totum de denominatione iſta, ad quam communicatio idiomatum quoque facta eſſe dicitur, jurgium uno ictu tollit. III. Cùm ea communicatio idiomatum, quam nos ſtatuimus, non ſit transfuſio quædam, qua mediante idiomata divina carni inhæreant, uti e. g. urendi proprietas ignito ferro inhæret, ſed potiùs συνδύασις ſive

junctio,

Digitized by Google

junctio, & verò perſona, natura & idiomata divina vel ipſis fatentibus Reformatis nihil aliud ſint quàm UNUM IDEMQUE A PARTE REI ET SALTEM JUXTA MODUM CONCIPIENDI NOSTRUM à ſe invicem DIFFERANT, luce clarius patet, *συνδύασιν* hanc re ipſâ nihil aliud quàm unionem perſonalem eſſe, quam Viri doctiſſimi nobiſcum fatentur, & per conſequens, nihil planè impedire, quò minus nobiſcum fateantur, e. g. idiomata naturarum inter ſe realiter & quidem per *συνδύασιν* communicari. Nec eſt, quòd dicas, eadem perſonæ tantùm communicari. Hâc enim ratione gladium mihi præbes, quo contra te agam. Scilicet minus congruè e. g. dicitur, idiomata divina perſonæ communicari. Quod enim quis jam habet, id ei propriè loquendo communicari nequit. Porrò, ſi, uti fateris, natura τȣ̃ λόγȣ ejuſque perſona à parte rei unum idemque ſunt, omnia ea, quæ perſonæ τȣ̃ λόγȣ communicantur, communicantur & ipſius naturæ. Quin nec cauſſandi occaſio ſupereſt, ita humanitatem in divinitatem transformari. Neque enim, ubi e. g. dicimus, *humana Chriſti natura eſt omnipræſens*, exiſtimamus, eam per unionem perſonalem ita elevari, ut omnipræſentia tanquàm accidens quoddam ipſi inhæreat & ut actu naturæ ſuæ ea ſit omnipræſens, abſit in æternum, ut ad hanc abſurditatem quiſquam noſtrûm dilabatur, ſed

Digitized by Google

hoc ſaltem innuimus, eam eſſe omnipræſentem **κατὰ συνδύασιν** & ACTU PERSONÆ, eâdem omnipræſentiâ, quæ & divinæ naturæ eſt, imò, quæ ipſa natura divina eſt, inter quam & naturam humanam eſt arctiſſima & intima **συνδύασις**, juxta quam hæc ipſa dein omnipræſens dicitur. Eſtque hæc non ſolùm præſentia intima ſed & extima, cùm omnipræſentiæ divinæ repugnet, non eſſe extimam. Prouti verò in omnipræſentiâ divinâ res ſe habet, ita & in aliis **ἰδιώμασι**. Jam ergò, ubi omnis communicatio **κατὰ μέθεξιν, μετάχβασιν, μῖξιν** & **ἐνύπαρξιν** hìc in exilium agitur & ſola **ἕνωσις**, ſola **συνδύασις** rebus explicandis à nobis adhibetur, non eſt, quòd viri acutiſſimi amplius à nobis diſſentiant, aut Eutychianiſmi vel contradictionis aut abſurditatis ſcabiem ſententiæ noſtræ affundant. Nec, ſi iidem fateantur, mentem hìc noſtram orthodoxam eſſe, Neſtorianiſmi, hæreſeos erroriſque fundamentalis labem & nos amplius ipſis adſpergemus. At enim in eandem ſententiam dudum ita rem extulit, quo nemo melius hanc controverſiam intellexit, JO. LUD. FABRICIUS, Theologus olim Heidelbergenſis excellentiſſimus, eujus *operibus omnibus Tiguri A. 1698. 4. editis p. 237. ſqq* inſeritur *meditatio de controverſiâ circa perſonam Chriſti inter Evangelicos agitatâ, quâ eam in ſolis loquendi formulis & ſcholaſticorum terminorum ambiguitatibus con-*

Digitized by Google

conſiſtere adeòque reverà nullam eſſe demonſtratur. Heic verò JO. GERHARDI de perſonâ Chriſti & communicatione idiomatum ſententiam vir acutiſſimus totus approbat oſtenditque adeò, ſententiam noſtram communem, ſi quidem rectè intelligatur, nihil habere, quod non approbari poſſit, & Reformatos Theologos eam idiomatum communicationem, quam nos ſtatuamus, haudquaquam hactenus ſed eam, quæ fit per μετάβασιν, μίξιν, σύγχυσιν, ἀνάταξιν, aggreſſos fuiſſe. Audiamus, ſi placet, confeſſionem FABRICIANAM, quæ & noſtra eſt p. 274. *Non ſolùm inter partes & totum ſed inter compartes ad ſe invicem neceſſario communicatio intercedit. Perſona Chriſti ſeſe habet quodammodò veluti totum, duæ naturæ in illâ unâ perſonâ ſunt veluti compartes, eſt igitur illorum non ſolùm ad totam perſonam ſed ad SE INVICEM quoque PLENISSIMA COMMUNICATIO.* Adjungenda eſt *epiſtola apologetica*, quæ p. 284. ſqq. exſtat. Nec eſt, quòd ajas, ſolum inter Reformatos FABRICIUM forſan hæc ſtatuere, cùm eandem in ſententiam iverint JO. HENR. HEIDEGGERUS in *hiſtoriâ vitæ & obitûs Fabriciani p. 55. ſqq.* ita ut miremur, quòd *corpori Theologiæ* obſervationes Fabricianas idem haud affuderit, & SAM. STRIMESIUS, Theologus Francofurtanus celeberrimus in *inquiſit. in contr. Evang. & Reform.* p. 495. Inter noſtros verò FABRICII mentem

tem dudùm approbavit Theologus judicioſiſſimus PHILIPPUS JAC. SPENERUS in *Conſiliis & judiciis Theologicis latinis p. 106. 112.* Quæ cùm ita ſint, nemo eſt, qui non videat, totam hanc controverſiam facilè componi poſſe, ſi ſaltem homines & veritati & paci manus hic dare aveant, nec *rei ipſius* ſed *hominum* ſaltem *vitio* diviſas hunc quoad articulum Eccleſias eſſe. Aſt ais: *Jam vero Formula Concordiæ longè aliter hanc in rem pronunciat erroremque Sacramentariorum exiſtimat eſſe fundamentalem!* En verba, quæ exſtant p. 630. 631. *Mota certamina illa non ſunt λογομαχίαι aut de verbis inanes & non neceſſariæ diſceptationes, quales oriri ſolent, cùm altera pars alterius ſententiam non ſatis aſſecuta eſt, ut quibuſdam fortaſſe in hoc religionis negotio res habere videntur, qui exiſtimant, diſputari tantùm de paucis quibuſdam vocabulis, quæ nullius ſanè aut certè non magni ſint momenti. Sed RES GRAVISSIMÆ ſunt, de quibus controvertitur & prorſus tales, ut illius partis, quæ à vero aberrat, ſententia in Eccleſiâ DEI nec poſſit nec debeat ferri, nedum excuſari aut defendi.* Sed promta eſt reſponſio. Jam enim, ſi quando diſſentientes mentem ſuam orthodoxè explicent atque veræ ſententiæ ſe haud contrarios eſſe oſtendant, aliter dein ipſos tractandos noſtrumque calculum iis haud denegandum eſſe res ipſa æquitaſque ſuadet. Controverſia hæc, quod probè notandum, inde à conſcriptione

ptione *Formulæ Concordiæ* uſque ad noſtra tempora aliam faciem nacta eſt, igitur & aliter de eâ jam pronunciandum. Et quis negaverit, majorem ſubinde lucem rebus affundi & quæ olim tenebris involuta perperamque intellecta erant, poſtea, rebus maturius penſitatis atque penitius inſpectis, melius capi atque rectius dijudicari? Sit ita. Rigidior paulò & ex bonâ quidem Virorum ſummorum, qui librum præſtantiſſimum enixi fuerunt, intentione, rigidior, inquam, jam enim veritati & paci omnia, quæ etiam chariſſima nobis in mundo ſunt, lubenti calamo ſacrificamus, rigidior, inquam, vel enim tertiò difficilem periodum reſumimus, fuerit *Formula Concordiæ* in ſententiâ Reformatorum veterum dijudicandâ, id quod tamen nos ut oſtendamus, haud jam agimus. Quis neſcit, nos, ubi manus illi damus, non anathematiſmis, non hiſtoricis rerum determinationibus ſed dogmatum ſaltem deciſionibus, nec tàm vocibus quàm rebus conſenſum noſtrum adſpergere? Mirumque eſt, in uno eodemque articulo diverſas de omnipræſentiâ Chriſti ſententias, ſcilicet omnipræſentiam abſolutam & reſpectivam in unam maſſam jactas legi. Jam enim JAC. ANDREÆ noſtrâs illam, CHEMNITIUS hanc inſeruere, ut adeò articulus hic ex duobus diverſis actibus Andreano uno, altero Chemnitiano (ubi laudatorum Theologorum uterque, cauſarum ſocia-

ciarum ad inſtar, cum communicatione tamen alterius, in commune egregium heic contulit, quod ſuum erat,) in unum confluxerit ἀποτέλεσμα. Quicquid autem hujus ſit, ex ſuperioribus ſatis liquet, NE LATUM QUIDEM UNGUEM à communi noſtratium aut *Formulæ Concordiæ* ſententiâ nos recedere ſed potius eam, quam anteceſſores noſtri in cathedrâ hâc Tubingenſi tenuere, mentem & nobis *appropriare*, imò, ut ad poſteros eam cum omnibus, queis circumſepta illa eſt, ſubtilitatibus, quantum id quidem fieri poteſt, propagetur, omnem operam dare. Aſt quis nobis invideat, ſi eâ, quâ par eſt, rebus explicatione adhibitâ, tenebras quoque heic depellamus atque viam ad pacem, quæ dulcis, quæ amœna, quæ beata, quæ proficua eſt, ſapientibus præeamus. Certè adparet jam, vel totam controverſiam in λογομαχίᾳ vel in ἰσχναῖς ſaltem ἐπινοίαις h. e. *ſubtilibus cogitationibus* nudiſque abſtractionibus conſiſtere ponduſque haud magnum ſecum ferre. Saltem, ERROR FUNDAMENTALIS & hæreſis apud diſſentientes ubi hic jam lateat, HAUD AMPLIUS PATET. Ultra captum vulgi hæc omnia ſunt, quod vel ſolum oſtendit, hic circa articulum fidei fundamentalem quæſtionem nullam eſſe, cùm inter articulorum fundamentalium criteria dudùm hoc poſuerimus, eos ita comparatos eſſe debere, ut à vulgo capi poſſint, religionemque non minus

minus vulgi quàm doctorum, imò magis vulgi, quàm doctorum eſſe conſtet. REBUS verò SIC STANTIBUS facile quivis patet, parum Eccleſiam ædificari, neque etiam charitatis officio ſatis quod eſt, fieri, ſi ad anathematiſmos, ſi ad Neſtorianiſmi aliarumque hæreſium imputationeschartis noſtris polemicis heic illinendas calamum porrò vertamus. Quod reſtat, ſi lis iſta inter nos & Reformatos in univerſum in logomachiam abit, & illa inter Tubingenſes atque Helmſtadienſes, Saxonicos & Gieſſenſes quæ agitata fuit, eandem ut ſortem ſubeat, neceſſum eſt. Sed hæc circa hiſtoriam dogmaticam articuli de unione perſonali & communcatione idiomatum ſufficiant.

§. VI.

Qui itaque jam per denſam diſtinctionum abſtruſiſſimarum ſylvam, per Faunos & Satyros, media& per ſpectra medioſque per anathematiſmos, cœlo ubique fulmina minitante & in tonitrua effuſo, heic ivimus, vel tandem ex injucundâ impeditâque& latrocinali viâ in Elyſios beatoſque ſimplicitatis praxeoſque theologicæ campos, ubi plana & amœna omnia ſunt & ſerenus veritatis & gratiæ divinæ ſol oculos noſtros percellit, læti evadimus, idque, quod ex conſideratione incarnationis Chriſti divinæ in nos virtutis ſolatiique præſtantioris effluit, paucis jam damus. Hic verò ante omnia bonitatem ſummam & gratiam incredibilem divini in cœlis Patris non mira-

ri

ri aut exoſculari ſatis poſſumus, quâ actus ille remedium quoddam, quo & à præſentibus & à futuris malis liberaremur, pro ſummâ ſapientiâ ſuâ adinvenit. Hanc gratiam, hunc amorem ſummum, quo DEUS nos in Chriſto JESU adamavit, peccatis voluntariis ſpernere pedibuſque conculcare id verò foret indigniſſimum homine ſapiente & Chriſtiano facinus. Quidni, quem compedes æternæ horrendæque pœnæ jam tenent, ubi gratia per Chriſtum Salvatorem tibi parta annunciatur, ſolvi catenis tuis patiaris, quidni ad Redemtorem hunc, qui tibi monſtratur, ſine morâ promtus curras? Is verò tibi peccatori ſimilis fit, &, quo erga te fulget, amore planè intenſiſſimo fit homo, aſſumit mortalitatem, qui immenſus eſt, cœlorum Rex legi ſe ſubjicit & infirmitates humanas quaſcunque, ſolo peccato excepto, lubens induit. *Verbum evadit caro & habitat in nobis*, ut in carne pati poſſet, ut carnem h. e. homines redimeret, ut cœleſtem ipſis ad mutationem vivificationemq; ſpiritualem virtutem impetraret atque infunderet, nos ut vicem ipſi redderemus, & quemadmodum ipſum caro factum eſt & in nobis habitavit, nos ſpiritus redderemur & arctiſſimâ quâdam ſpiritualique & intimâ unione cum ipſo confibulati in ipſo perpetim habitaremus. Stupidus profectò, & niſi hoc ita ſe habeat, quod tamen aliter cogitari haud poteſt, ingratiſſimus nequiſſimuſque mortalium bipedum-

Digitized by Google

pedumque is fuerit, qui, ubi tantam Salvatoris bonitatem gratiamque ſibi affulgere viderit, cor ſuum illi affundere mentemque omnem & ſe totum Salvatori huic incarnato tradere indurato pectore recuſaverit. Jam enim convenit, ut, quem pro nobis humanam carnem induiſſe atque utramque naturam in arctiſſimæ unionis ejuſque hypoſtaticæ conſortium junxiſſe videmus, Chriſtum DEUM & hominem eundem, eo, quo par eſt, ſubmiſſiſſimo humillimoque animi, precum, linguæ operumque cultu deveneremur, cum ipſo, mediante ſpirituali noſtri mutatione, mediante fide, qua in oſcula ejus ruimus atque in ipſum toti recumbimus, omnemque, quæ in hoc θεανθρώπῳ elucet, *juſtitiam* & *fortitudinem* nobis adpropriamus, cujus etiam beneficio Satanam, mundum voluptateſque omnes vincimus, intime uniamur & conjungamur, atque, quod præcipuum plane hic eſt, humilitatem ejus, cujus ſimile ſpecimen nec datur nec dari unquam poteſt, profundiſſimam plane, qualis in incarnatione & exinanitione enitet, omneſque cæteras ejuſdem virtutes heic nobis exhibitas, ardore plane maximo inſtituto huic adhibito, prompte & luculenter imitemur. Nec eſt, quod de difficultate quadam, quæ in præſtatione horum officiorum ſubinde nobis ſubnaſcatur, quicquam ſomniemus. Ecce, Apoſtolus Johannes, ubi de incarnatione Filii DEI agit, una eademque

Digitized by Google

ſpongiâ omnes hîc objectiones, carnales illas & ex pigro corde oriundas, delet, ubi ait: ET EX EJUS PLENITUDINE OMNES SUMSIMUS ETIAM GRATIAM PRO GRATIA. *Joh.* I. 16. Jam enim haud negaverim, tibi, o peccator, difficilem oppidò imò impoſſibilem mutationem illam ſpiritualem fore, ſi viribus tuis propriis perficienda iſta tibi fuerit. Et miſeros oppidò homines, qui, ubi monentur, ut è morte ſpirituali evadant, putant, ſe PROPRIO QUODAM NISU ad vitam hanc tendere debere. Non eſt hæc noſtra mens, nec legali ex fonte manant, quæ hîc ſcribimus, ſed ex evangelico, quem Johannes in allatis verbis nobis adaperit. Notes igitur velim iterumque notes, Chriſtum incarnatione ſuâ, quâ naturam noſtram cum omnibus infirmitatibus aſſumſit, ampliſſimum gratiæ diviniſſimæ theſaurum nobis promeruiſſe atque eundem in publicam lucem expoſuiſſe, quivis ut accurrat atque ex plenitudine hanc gratiam pro gratiâ ſumat atque divino ſic ſpiritu, qui vitam ipſi largiatur, qui ipſum regeneret jugiterque ſanctificet, totus animetur. Quâ re ſanè fit, ut, quamprimùm guſtaveris heic, quam bonus ſit Dominus, mentemque aliam novamque indueris, ſimul & ardorem ſpiritualem in mente tuâ ſentias, quo poſito Chriſtianarum virtutum officiorumque praxis tibi oppidò evadat facilis, ſi modò aſſiduo precum exercitio Redemtori tuo jugiter

Digitized by Google

jugiter adhæreas novamque ſemper virtutem atque fortitudinem tibi infundi patiare. Neque enim nudum hoc nomen eſt, *filium DEI fieri*, ſed excellentia hæc, quam ita nanciſceris, cum præſtantiſſimis quoque χαρίσματι, queis ornaris, conjuncta eſt, ita ut *particeps divinæ naturæ* in regeneratione illâ ſpirituali, quâ ad iſtam Filii DEI dignitatem eveheris, *evadas*, id quod ſanè, ut ſegnes & infructuoſi remaneamus, haudquaquam patitur. 2. *Petr.* I. 4. 8. Scilicet, uti Filius DEI per nativitatem ſuam eamque naturalem tibi ſimilis factus fuit, ita & tu per nativitatem ſpiritualem, quâ & ipſe in numerum filiorum DEI cooptaris, Filio DEI σύμμορφον te virtutes ejus imitando ut præbeas, tui jam officii eſt. Teſtor conſcientiam tuam, *mi lector*, ut nunc ipſe judicium feras, quænam articuli hujus conſideratio alterâ jam præſtet, polemicane & quæ in ἰσχναῖς ἐπινοίαις ſubtilibusque & philoſophicis myſterii ineffabilis & incomprehenſibilis evolutionibus atque anathematiſmis, queis in diſſentientes ſævimus, conſtat, an practica, quæ ſpiritualem nobis lucem affundit, quæ fidem nutrit, quæ animum ad amandum colendumque Salvatorem tàm bonum tàmque beneficum excitat. Nec eſt, quòd ajas, unum faciendum, alterum non negligendum eſſe, urgendam praxin, aſt urgendam quoque veritatem. Amamus & nos (quod prorſus credas velim) veritatem ſed ἁγνὴν illam *Jac.* III. 17. ſed

ἀλήθειαν ἐν Χριςῷ *Eph.* IV. 21. ſed *εἰρηνικὴν*, quæ pacem comitem, quæ modeſtiam pediſſequam habet animoſque unire non dividere apta eſt. Amamus veritatem maſculam, ſolidam, perſpicuitatis & ſimplicitatis laude ubique circumfuſam, non fictam illam, quæ argutiis metaphyſicis, quæ ſpectris ſcholaſticis, quæ larvis tranſcendentalibus, quæ *ἰσχναῖς ἐπινοίαις*, quibus animus in melius haud mutatur & ubi ſæpius contingit, ut, qui tales fœtus enituntur, *μὴ νοῶσι μήτε ἃ λέγυσι μήτε περὶ τίνων διαβεβαιῦνται* 1. *Tim.* I. 7. conſtat & abſolvitur. Quin & pro veritate illâ, ſanâ & regiâ ſanguinem hunc, qui in nobis ſtillat, fundere parati ſumus. Aſt ſubtilitatibus eventilandis excogitandiſque & defendendis atque anathematiſmo muniendis, haud, fatemur, operam damus, quibus ſimplicitas fidei humilitaſque Chriſtiana cordi eſt, quæ ad myſteriorum ineffabilium curioſam inſpectionem evolutionemque ſcandentibus pedem retrahit monetque, ut ignem hunc, quem manu capere haud detur, forcipe prenſemus. Scilicet & Theologis dictum eſt illud Salvatoris, quo fidei nobis ſimplicitas commendatur: *Niſi vertamini & fiatis, uti infantes, regnum cœlorum profectò haud ingrediemini.* *Matth.* XVIII. 3.

CAP. V.

CAP. V.

DE
OFFICIO CHRISTI MEDIATORIO, PROPHETICO, SACERDOTALI ET REGIO, ET SPECIATIM DE SATISFACTIONE PER IPSUM PRÆSTITA.

§. I.

QUi de perſonâ Chriſti, qui de duabus naturis, qui de unione perſonali, qui & de communicatione idiomatum ſatis egimus, jam ad officia Chriſti enarranda paucis progredimur. Officium Chriſti eſt in genere mediatorium illud, quo Chriſtus incarnatus adeoque ſecundum utramque naturam (non ſaltem ſecundùm divinam, qui error A. OSIANDRO tribuitur, nec tantùm ſecundùm humanam naturam, quod ex PETRO LOMBARDO Romanenſes quidam cum FR. STANCARO defendendum ſumſere,) *Gal.* IV. 4. 5. *Gen.* III. 15. *Act.* XX, 28. *Rom.* V. 10. *Hebr.*

Digitized by Google

IX. 14. ut μεσίτης generis humani lapſi 1. *Tim.* II. 5. *Ebr.* IX. 15. medium ſeſe inter DEUM Patrem iratum & homines lapſos ſtitit, mortem, quâ nos plectendi eramus, cum omni reatu, quo tenebamur, in ſe tranſtulit, agendo & patiendo, imò moriendo juſtitiæ divinæ ſatis quod erat, fecit, nobiſque adeò gratiam divinam & quævis cœleſtia bona vitamque meruit, Redemtor & ſponſor longè præſtantiſſimus, Propheta, ut viam, ad ſalutem quâ pervenire datur, nobis edoceret miraculiſque dicta ſubinde confirmaret, lumine & interno ſanctiſſimoque mentes noſtras tangeret atque convinceret, ſacerdos, ut ſeſe hoſtiam pro toto genere humano offerret, peccata noſtra expiaret, ſanguine ſuo hoc eſt meritis ſuis ſanè quàm ſalutaribus nos adſpergeret atque pro nobis jugiter intercederet, denique & Rex, qui & aliâs jam in regno naturæ dominium illimitatum ut θεάνθρωπος exercet, & in regno gratiæ victo diabolo, victo & per ſpiritum ſuum mundo, qui in nobis eſt, dominium ſpirituale in cordibus noſtris erigit & ſuavi virtutis ſuæ potentiſſimæ ad faciendum bonum influxu nos perpetim beat, & in regno gloriæ nos olim judices mundi ſiſtet, triumphum nobiſcum ſuper omnes hoſtes aget atque perfectiſſimæ futuræ gloriæ luce nos circumfuſos æternis bonis ſine intermiſſione ullâ inebriabit. Et ejuſmodi quidem Salvator, ejuſmodi MESSIAS in tabulis veteris Teſtamenti jam fuit promiſſus, &, expleto,

Digitized by Google

to, quod ipſius adventui præfixum erat, tempore poſtmodùm adparuit. Is verò eſt JESUS CHRISTUS, Mariæ filius, Bethlehemi in Judæâ ſub Auguſto Imp. natus, qui dein ſub Tiberio circumiit in Judæâ & docuit regnumque Domini, affuſis miraculis quàm plurimis & longè præſtantiſſimis annunciavit, qui & dein cruci affixus & mortuus eſt, tertiâ die reſurrexit & in cœlos abiit, relictis diſcipulis, quos ſpiritu ſuo dein beavit, qui & religionem ab eo traditam in toto mundo diſſeminavere. Agedum, MESSIAM HUNC ESSE, (qui eſt præcipuus & planè fundamentalis religionis Chriſtianæ articulus) contra incredulos & Judæos demonſtremus.

§. II.

Itaque hoc primò certum ſit, MESSIAM ejuſmodi in veteri Teſtamento promiſſum eſſe. Primaria loca habentur *Gen.* III. 15. XLIX. 10. *Deut.* XVIII. 15. ſqq. 2. *Sam.* VII. 12. ſqq. *Job.* XIX. 25. ſqq. in pluribus omninò Pſalmis, ubi ſub typo Davidis ſubinde antitypus Meſſias latitat, *Pſ.* II. VIII. XXII. LXVIII. LXIX. CX. itemque *Proverb.* VIII. 22. ſqq. *Jeſ.* II. 1. ſqq. IV. 1. VII. 14. 15. IX. 6. 7. XI. 1. 4. XXXV. 5. XL. 3. 4. 5. LIII. LIX. 20. 21. LX. 1. ſqq. LXI. 1. ſqq. LXIII. 1. ſqq. *Jerem.* XXIII. 56. XXXI. 22. *Hoſ.* II. 23. I I. 5. XIII. 14. *Joël.* II. 28. 32. *Obad.* 17. *Micha* I. 13. V. 2. VII. 11. *Habac.* II. 3. 4. *Zeph.* III. 9.

Hagg. II. 6. 7. *Zach.* III. 8. ſq. VI. 12. 13 IX. 9. 11. XI. 12. XII. 10. XIII. 1. 7. XIV. 9. 16. *Malach.* III. 1. ſqq. IV. 2. 5. 6. Neque ſanè & de hoc dubitant Judæi, qui tùm tamen à nobis diſcrepant, ubi quæritur: Num Meſſias jam advenerit & num ille ſit JESUS NAZARENUS, quem colimus? Duplex eſt, uti apparet, quam ponimus, quæſtio eſt. Prima, num Meſſias jam advenerit? Jam verò juxta oracula vetera Meſſias dudùm advenire debuit ob ſceptrum Judæ ablatum, ob Hieroſolymas vaſtatas, ante quas utique, ſi Danieli Prophetæ fides adhibenda eſt, venire debuit Meſſias, ob determinatum ab eo adventûs Meſſiæ tempus, ubi nempe affirmavit, non elapſuros eſſe D annos à promulgato edicto de inſtaurandâ urbe Hieroſolymorum, quin adeſſet Meſſias, ut taceamus, regnum Davidicum non fore æternum, niſi Meſſias jam advenisſet *Pſ.* LXXXIX. 30. 37. 2. *Sam.* VII. 16. *Jer.* XXXIII. 17. 2. Reg. VIII. 19. nec gloriam templi ſecundi fore majorem gloriâ primi juxta *Hagg.* II. 6. 7. *Mal* III. 1. niſi heic adveniſſet Chriſtus, qui ſtante utique adhuc templo ſecundo conſentiente & tùm Judæorum traditione venire debuit, quin etiam naſci debuiſſe Meſſiam Bethlehemi urbe hac adhuc ſtante *Mich.* II. 2. ut taceam denique, Levitici cultus ceſſationem certiſſimum eſſe indicium, Meſſiam jam adveniſſe *Jer.* III. 16. *Dan.* IX. 26. 27. quò & ſunt qui ceſſationem idololatriæ gentilis *Zach.* XIII. 2. 4. refe-

Digitized by Google

referant. Si verò Meſſias juxta oracula vetera imò juxta traditionem veterum Judæorum, quò vel maximè decantata illa traditio Eliana pertinet, jam advenisſe debuit, nemo is alius quàm JESUS eſt, Nazarenus ille, quem adoramus, utpote in quem omnia olim præſignificata perfectiſſimè quadrant, ita, ut minutiſſimæ quoque paſſionum ejus circumſtantiæ in dictis illis, quæ ſupra adnotavimus, recenſitæ conſpiciantur. Qui rem hete luculentius de ſucta in legere voluerit, is vel maximè PET. DAN. HUETIUM in *demonſtratione Evangelicâ* adeat, ubi poſt P. GALATINUM, RAYMUNDUM, MARTINI, CHRIST. HELVICUM aliosque infinitos, quorum indicem nobis dedit diligentiſſimus FABRICIUS in *Bibl.Gr.Vol.7.L.5.C 8.p. 125. ſqq.* facile tamen ſupplendum, omnia in unum conglomerata videre contingit. Accedunt poſtea acta & miracula Chriſti ejuſdemque reſurrectio ex mortuis & aſcenſio in cœlos, miracula item per Apoſtolos facta religioque in toto mundo propagata, viſque illa, quæ corda vertit, inſignis atque planè diviniſſima, quæ in doctrinâ Chriſtianâ vel maximè elucet, quæ omnia ſatis oſtendunt, Chriſtum Prophetam ſummum, imò Meſſiam, imò DEI Filium eſſe. Jam ſi Judæi ajant, oracula illa, quæ protulimus, de Meſſiâ non agere, ex ipſo veteris Eccleſiæ Judaicæ teſtimonio, quod hanc in rem luculentum apud veteres Judæos habetur, ex ipſo & ſubinde verborum textu erunt refutandi. Si hiſto-

ſtoriam deinde vitæ JESU in dubium vocent addantque, miracula illa, quæ de Chriſto ab Evangeliſtis enarrentur, eſſe falſa, eſſe confiçta, à nobis, præeunte HUG. GROTIO de *ver. rel. Chr. L.* 5. §. 2. rogabuntur, *ne iniquum exiſtiment in cauſa alienâ, quod in ſuâ æquum judicent. Si quis paganus ab ipſis quærat, cur credant miracula à Moſe facta, nihil dicent aliud, quam inter ſuos adeò perpetuam conſtantemque ejus rei fuiſſe famam, ut non potuerit, niſi ex teſtimonio eorum, qui vidiſſent, proficiſci. Sic ab Eliſæo auctum apud viduam oleum, purgatum ſubitò à malâ ſcabie Syrum, hoſpitæ filium ad vitam revocatum & ſimilia alia credunt Judæi non aliam ſanè ob cauſam, quàm quòd teſtes bonæ fidei id proditum ad poſteros tranſmiſerunt. De Eliæ verò in cœlum raptu unius Eliſæi tanquam viri omni exceptione majoris teſtimonio fidem habent. At nos de Chriſti aſcenſu in cœlum duodecim proferimus teſtes vitæ inculpatæ, de Chriſto poſt mortem in terris viſo multo plures, quæ ſi vera ſunt, verum ſit neceſſe eſt & Chriſti dogma: planéque nihil à Judæis pro ſe adferri poteſt, quod non & nobis pari aut potiori jure poſſit aptari.* Accedit ipſorum Talmudiſtarum teſtimonium, quo res prodigioſas à Chriſto factas perhibent. Nec valet objectio, ope dæmonum eas editas fuiſſe. Præterquam enim quòd eâdem impietate & Moſi idem objici poſſit, conſtat, inviſam eſſe Chri-

ſtia-

ſtianis Magiam *Act*. XIII. 8. ſqq. XVI. 18. XIX. 19. atque ea, quæ per Chriſtum facta fuere, vi magiæ fieri non poſſe, denique ſenatores magni ſynedrii, quos gnaros fuiſſe magicarum artium tradunt Judæi, ut reos poſſent convincere, ipſum hujus criminis reum eſſe ſine dubio apertum feciſſent. Nec validior eſt altera objectio, quâ ajunt, Chriſtum per שם המפורש per nomen arcanum, quod à Salomone in templo poſitum duo leones per mille & amplius annos cuſtodierint, quodque ab JESU ſublatum ſit, miracula feciſſe, cùm de iſtis leonibus deque virtute nominis hujus arcani mirifica nec libri Regum nec Paralipomena nec Joſephus nec alii quidquam meminerint. Specioſius id videtur dici, ubi oggeritur, miracula iſta, eapropter fidem nullam mereri, quòd à lege Moſaicâ Chriſtus deſciverit, in quo caſu miracula nil probent ſed ſaltem ſint πειραστικὰ *Deut*. XIII. 1. ſqq. Aſt reſpondetur, ipſos Hebræorum Doctores normam hanc ponere, ad imperium Prophetæ id eſt, miracula facientis qualecunque præceptum intrepidè poſſe violari, EXCEPTO ILLO DE UNIUS DEI CULTU. Quin & leges cærimoniales in diebus Meſſiæ abrogatum iri vetus traditio Eccleſiæ Judaicæ fert, ut conſtat. Ut taceam, JESUM præcepta Moſis, quamdiu in his terris fuiſſet, ſervâſſe & docuiſſe. Circumciſus erat, cibis utebatur Judaicis, veſtitu ſimili, purgatos ſcabie mittebat ad Sacerdotes, Paſchata & alios dies feſtos reli-

Digitized by Google

religioſè obſervabat. Si quos ſanavit ſabbato, oſtendit non tantùm ex lege ſed & ex receptis ſententiis, talia opera ſabbato non interdicta eſſe. Tùm verò primùm cœpit promulgare legum quarundam abrogationem, cùm morte devictâ in cœlum evectus etiam Spiritûs S. donis ornâſſet ſuos iiſque rebus oſtendiſſet, adeptum ſe poteſtatem regiam, in quâ continetur legis condendæ autoritas idque ſecundum Danielis vaticinium C. III. & VII. collato etiam capite VIII. & XI. qui prædixerat fore, ut paulò poſt deſtructa regna Syriæ & Ægypti (quorum poſterius ſub Auguſto contigit) Deus regnum daturus eſſet homini, qui plebejus videretur, in omnis tractus ſermoniſque populos & quidem nunquam deſiturum. Videatur idem incomparabilis GROTIUS. §. 7. De ſacrificiorum abrogatione videndus maximè eſt locus *Dan.* IX. De ciborum diſcrimine temporibus Meſſiæ tollendo itidem habentur Judæorum dicteria. De dierum diſtinctione ceſſationeque ſabbati vide *Jeſ.* LXI. 23. ut cætera jam taceamus, ab ipſis Judæis ſatis agnita. Cæterum ad id argumentum, quo valdè Judæos premi videmus, ubi dicitur, Meſſiam juxta oracula vetera dudùm debuiſſe venire, ficulneum id eſt, quod opponunt, ob peccata populi adventum dilatum fuiſſe. Jam enim in dictis vaticiniis definitum, non ab aliquâ conditione ſuſpenſum decretum indicatur. Porrò ridiculum eſt dicere, ob peccata differri Meſſiæ

Digitized by Google

Meſſiæ adventum, cùm prædictum ſit, ob plurima & maxima populi peccata urbem exſcindendam eſſe paulò poſt Meſſiæ tempora. Adde, quòd Meſſias venturus erat hâc quoque de cauſâ, ut corruptiſſimo ſeculo medicinam faceret, ſimulque cum emendandæ vitæ ſingulis criminum veniam adferret, unde de ejus temporibus apud Zachariam dicitur *Cap.* XIII. 1. *fore tunc fontem apertum domui Davidis & Hieroſolymitis omnibus ad peccata abluenda* & apud ipſos Hebræos receptum eſſe, Meſſiam appellare איש כופר *placatorem.* Planè autem à ratione abhorret, dicere, ob morbum aliquem dilatum id, quod præciſè morbo erat deſtinatum. Ita rurſus GROTIUS §. 15. Quod reſtat, cùm certum id denique ſit, Meſſiam jam veniſſe, patet, neminem alium eum eſſe quam JESUM, utpote in quem ſolum ea quadrant, quæ de Meſſiæ prædicta fuere. Cui aſſertioni non habent, quod opponant Judæi, niſi hæc, multa de Meſſiæ temporibus prædicta fuiſſe, quæ non ſint impleta e. g. lupum cum agno, pardum cum hœdo, leonem cum pecore ambulaturum, luſurum cum anguibus infantem, montem Domini ſurrecturum ſupra montes alios, venturos eò alienigenas, ut ſacra faciant, porrò tàm humilem fuiſſe JESU Nazareni ſtatum, ut Meſſias dici non poſſit, viros item probos fuiſſe, qui eum morti tradiderint, JESUM itidem variis criminibus fuiſſe pollutum, ſpu-

ſpurium etiam, denique Chriſtianos eapropter Meſſiam habere non poſſe, quia plures Deos colant. Sed ſciendum, ea, quæ nondum impleta ſunt, adhùc impleri poſſe, cùm regnum Meſſiæ adhuc duret, nec opus eſſe, ut ad literam omnia impleantur, cùm ſenſus ſufficiat, multa & non impletum iri, quòd conditionem Judæi pertinaciâ ſuâ haud impleant, ſub quâ id, quod impleri debuerat, implendum erat, denique loca illa, quæ allegantur, ſubobſcura ſubinde eſſe, ita ut ſenſum ex iis elicere certiorem vix valeas, quin nec humilem Meſſiæ ſtatum contra ipſius dignitatem allegandum eſſe, cum & Jacobus & Moſes & David ex humili rerum ſuarum conditione in altum evecti & à DEO ſemper permiſſum fuerit, ut pii ab impiis non vexentur modo ſed & neci tradantur, cùm & de Meſſiâ id olim prædictum fuerit, id quod maximè *Pſ.* XXII. & *Jeſ.* LIII. factum, quam ob rem duplicem Judæi Meſſiam fingunt, *ben Joſeph*, qui mala multa & mortem cruentam pati, & *ben David*, cui cuncta proſperè ſuccedere debeant. At verò non eſt, quòd fictiones Judaicæ de pietate majorum ſuorum blaſphemiæque in diviniſſimum Salvatorem jactæ vel objectio iſta inſulſa de tribus Chriſtianorum diis, ubi neſcio, cur non & Philonem & Cabbaliſtas ſuos depectant, & de cultu, homini qui à nobis ſic exhibeatur, nos morentur. Vide, ſi placet, Scriptores noſtros

EISEN-

Digitized by Google

EISENMENGERUM, WAGENSEILIUM, EDZARDUM, GUSSETIUM, STORRIUM, GEBHARDI, LIMBORCHIUM, HAVEMANNUM, MULLERUM, DIFENBACHIUM, CALVOERIUM alioſque præter eos, quos jam citavimus. Addendus venit Vir doctiſſimus, JAC. BASNAGE in *Hiſtoire des Juifs L. 9. C. 93.* ubi habentur *diverſes remarques ſur la converſion des Juifs & les methodes, qu' on a ſuivis pour y parvenir.* Sed non eſt, quod hîc excurramus. Sufficerit nobis, ſumma primis ſaltem labris hîc tegiſſe. Jam enim in communibus doctrinæ ſacræ breviariis hic articulus ſemper ferè negligitur.

§. III.

Jam, qui Meſſias noſter eſt, qui & Mediator noſter, primum quidem nobis ſeſe ut Prophetam conſiderandum ſiſtit. Hinc, qui factus eſt nobis per officium ſacerdotale juſtitia, & per regium ſanctificatio & redemtio, primùm vi officii, quo fulget, Prophetici dicitur factus nobis ſapientia. 1. Cor. I. 20. Officium verò hoc Propheticum ex effatis Biblicis *Deut.* XVIII. 18. *Matth.* XXI. 11. XXIII. 8. & 10. *Joh.* VI. 14. *Luc.* XXIV. 19. *Jeſ.* LXI. 1. ſqq. 1. *Pet.* II. 25. & maxime ex *Ioh* I. 18. liquet, ubi: *Deum nemo vidit unquam, Unigenitus filius, qui eſt in ſinu Patris, nobis enarravit.* Hunc Prophetam Pater miſit *Joh.* III. 17. 34. XII. 49.

Digitized by Google

49. Filio eodem Propheta illo, conſentiente. *Pſ.* XL. 9. *Hebr.* X. 7. Adde *Jeſ.* LXI. 1. ubi ad hoc officium unctus dicitur Chriſtus (jam enim & uncti olim fuere Prophetæ 1. *Reg.* XIX. 15. & Sacerdotes *Ex.* XXVIII. 41. & Reges 1. *Sam.* X. 1. XVI. 13.) Spiritu Domini, *Pſ.* XLV. 8. *Joh.* III. 34. *Act.* X. 38. Id, quod præcipuè Chriſtus ut Propheta hominibus annunciavit, eſt Evangelium *Marc.* I. 14. *Jeſ.* LXI. 1. *Luc.* IV. 18. ſqq. *Joh* I. 17. Aſt & lex per Chriſtum data, tradita & explicata fuit. *Gal.* III. 25. *Ex.* XIX. 16. ſqq. XX. 1. ſqq. *Act.* VII. 38. *Matth.* V. ſqq. Exeruit autem Chriſtus officium ſuum Propheticum vel immediatè & αὐτοπροσώπως vel mediatè, per Apoſtolos & doctores. *Matth.* XXVIII. 19. *Marc.* XVI. 15. *Eph.* IV. 11. 12. *Pſ.* LXVIII. 12. tùm externè, ubi oculos & aures verbum prædicatum lectumve tangit, tùm internè, ubi gratia Chriſti nos caſtigat *Tit.* II. 14. & cor noſtrum expergefacit, menti lucem quandam novam divinamque immittendo, quâ homo tùm, quid Dominus ab ipſo deſideret, tùm quàm corruptus ipſe ſit, & quanta perditionis labes ipſum invaſerit, quàm & neceſſarium id quoque ſit, ut reſipiſcat, ut abnegatâ mundi voluptate ad Deum redeat, ut ſanctiores ſibi mores induat, ut præcepta Domini virtute iſtâ novâ, quæ per converſionem donatur, indutus ſervet, quanta quoque Chriſtianiſmi præſtantia, quanta ſuavitas, quanta merces, quàm & miſera peccantium

ſors

ſors ſit, æternis lachrymis haud immutanda, ſenſim ſenſimque capit & deinde ad rerum tàm pulchrarum, quas cognoſcere incipit, πρᾶξιν perduci ſe patitur. Qui itaque hunc de officio Chriſti Prophetico articulum ritè noſſe avet, ille huic diſciplinæ Propheticæ, quà Chriſtus ſuos per ſpiritum initiat, tradat neceſſe eſt. Si enim rebus Chriſtianis dignoſcendis naturales ſaltem vires & naturalem illam ingenii perſpicaciam aſfundamus, nulla divina virtus, nulla divina convictio, vita nulla rebus noſtris adſpergetur, ſed tenebris, ſed erroribus, ſed litibus, ſed aranearum telis toti obvolvemur. Et hic officii Prophetici, quo Chriſtus fulget, finis elatus exſtat *Act.* XXVI. 18. 1. *Tim.* II. 4. diciturque eſſe agnitio veritatis, quà impii ſemet ipſos privant. *Joh.* XII. 39. 40. Quod reſtat, Chriſtus ſub muneris ſui Prophetici auſpicia tempore jejunii quadrageſimalis in cœlum haud raptus fuit, (uti Sociniani ex *Joh.* III. 13. ſqq. & *Ebr.* I. 6. colligunt,) utpote qui in cœlum ἐφάπαξ intravit *Ebr.* IX. 12. 24. Porrò & id adverſus eoſdem, Pontificios item & Arminianos itemque Anabaptiſtas notandum eſt, Chriſtum novum Legiſlatorem haud eſſe, etſi rationes apud HEIDEGGERUM in *corpore Theol. L. XIX. §. 34.* exſtantes rem haud conficiant, cùm ex inductione legum, à Chriſto quæ noviter datæ perperam exiſtimantur, locoque *Matth.* V. 17. hîc arguendum ſit. Denique velim & iſtud obſervari, miracula Chriſti tùm ad

 offi-

Digitized by Google

officium Chriſti propheticum, tùm ad ſacerdotale, tùm ad regium pro diverſo, quem nobis fingimus, reſpectu pertinere.

§. IV.

Ad officium Chriſti ſacerdotale jam enarrandum pergimus, ſecundùm quod nempe Chriſtus oblatione corporis ſui in cruce peccata noſtra expiavit h. e. legem, quam nos perfectè implere debeamus, loco noſtri perfectiſſimè adimplevit, juſtitiâ ſuâ tàm activâ quàm paſſivâ, ubi & agendo paſſus eſt & patiendo egit, ſibi quidem NIL ſed nobis remiſſionem peccatorum juſtificationemque, virtutem porrò divinam, quâ converteremur, ſanctificaremur, glorificaremur, hoc eſt, denique vitam æternam, ſoluto pro nobis λύτρῳ & exantlatis loco noſtri mortis paſſionibus, nobis meruit juſtitiæque adeò divinæ ex aſſe ſatisfecit & tùm reatum tùm pœnam peccati idque etiam, quod in morte pœnale eſt, maledictionemque à nobis omnem avertit, atque ſemper pro nobis coram Patre ſuo intercedit. Scilicet Chriſtus in ſacra Scripturâ dicitur Sacerdos *Pſ.* CX. 4. *Ebr.* IV. 14. 15. IX. 11. III. 1. Palmaria ſedes articuli hujus de Sacerdotio Chriſti eſt Epiſtola ad Ebræos C. IV. ſqq. quam heic lectoribus noſtris ſolicitè commendatam volumus. Eſt autem hoc ſingulare in Chriſto, quod ipſius Sacerdotium non eſt ſucceſſivum, non temporale, non ſocium, ſed ſingulare, ſed æternum, quòd ipſe & eſt & Sacerdos & victima

Digitized by Google

ma *Eph.* V. 2. & altare. Objectum non ſunt Angeli ſed homines iique omnes, eorum ut peccata tolleret. *Hebr.* II. 9. 14. IX. 28. Finis eſt hominum reconciliatio cum Deo *Rom.* V. 10. 2. *Cor.* V. 18. 19. 1. *Joh.* II. 2. *Rom.* III. 24. 25. *Ebr.* IX. 26. liberatio è faucibus diaboli *Luc.* I. 71. *Ebr.* II. 14. 15. 1. *Joh.* III. 8. à peccati reatu *Col.* I. 14. *Eph.* I. 7. *Ebr.* IX. 26. & ſervitute *Tit.* II. 14. 1. *Pet.* I. 18. *Gal.* I. 4. & inhærentiâ, quæ in morte fiet, *Rom.* VIII. 23. Nec eſt, quòd de neceſſitate hujus expiationis quæras. Sumus enim naturâ filii iræ *Eph.* II. 3. *Eph.* IV. 18. *Col.* I. 21. & inimici Dei *Rom.* V. 10. *Jeſ.* LIX. 2. unde expiatione utique opus habuimus, *& peccatores noſtrâ ex virtute inemendabiles Rom. III. 20.* quam Chriſtus in ſuo ſanguine perfecit *Rom.* III. 25. *Col.* I. 20. 22. *Hebr.* IX. 26. *Eph.* V. 2. Abſolvi autem Sacerdotium Chriſti, (perfectiſſimum quippe illud eſt,) duabus partibus *ſacrificio*, quo *ſatisfactum* DEO fuit, quo & nos *redemti* ſumus, & *interceſſione*, conſtat. Agedum de ſatisfactione ſeparatim agamus.

§. V.

Satisfactionis voces Biblicæ hæ ſunt. *Solutio Pſ.* LXIX. 6. portatio & ablatio peccatorum noſtrorum *Eſai.* LIII. 5. λύτρον *Matth.* XX. 28. ἀντίλυτρον 1. *Tim.* II. 6. ἱλασμὸς 1. *Joh.* II. 2. IV. 10. ἱλαστήριον *Rom.* III. 24. 25. καταλλαγὴ *Rom.* V. 10. 11. 2. *Cor.* V. 18. ſqq.

Digitized by Google

ἀπολύτρωσις *Eph.* I. 7. *Col.* I. 14. λύτρωσις 1. *Pet.* I. 18. 19. ἀγορασμὸς 1. *Cor.* VI. 20. *Gal.* III. 13. & quæ alia ſunt, quibus ſatisfactio hæc innuitur, nomina. Satisfactio igitur jam quid ſit, vel ex hiſce nomenclationibus ſatis conſtat, queis id unum addimus, ſatisfactionem & meritum differre 1 quia illud hujus fundamentum eſt reatumque & pœnam tollit, hoc præmii collationem nobis acquirente 2 quia DEO ſatisfactio facta eſt, Chriſtus autem nobis meruit, 3 quia omnes quidem actus Chriſti ſunt meritorii, at non omnes ſatisfactorii, hoc magis ad ſtatum exinanitionis, illo ad ſtatum exaltationis pertinente. Satisfecit autem Chriſtus θεάνθρωπος, utrâque naturâ cum communicatione alterius agente hîc, quod ſuum erat, ad unum redemtionis ἀποτέλεσμα efficiendum, humanâ naturâ quidem patiente, ſanguinem fundente & moriente, divinâ verò naturâ pretium infinitum adſpergente. Atque ita unicus ſaltem eſt Mediator, unicus ſatisfactor 1. *Tim.* II. 5. 6. Deus, cui heic ſatisfactum fuit, habuit ſe ut Judex, hinc & redemtio facta eſt εἰς ἔνδειξιν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ *Rom.* III. 25. Eſt verò ſatisfactio tàm univerſalis, ut & facta ſit pro omnibus hominibus & loco omnium hominum & pro omnibus eorum peccatis, tàm præſtans etiam, ut à maledictione legis, ab irâ Dei, à poteſtate Diaboli, ab inferno, à reatu peccati heic fuerimus liberati virtuſque planè diviniſſima atque excellentiſſima

Digitized by Google

ma nobis *acquiſita*, quâ macti Satanam, mundum, carnem, hoc eſt, voluptates noſtras quasvis vincere adeòque & merita tanti Salvatoris *applicare* nobis poſſimus, ſi ſaltem converti nos ad ipſum patiamur. Vide *Jeſ.* LIII. 4. ſqq. *Tit.* II. 14. *Joh.* I. 7. II. 12. 1. *Tim.* IV. 10. *Rom.* V. 8. 9. *Gal.* III. 13. *Hebr.* II. 14. 15. *Hoſ.* XIII. 14. 1. *Cor.* XV. 54. *Jeſ.* XLIII. 24. 25. *Rom.* V. 6. 8. 1. *Pet.* III. 18. 1. *Joh.* III. 16. *Rom.* VIII. 32. *Matth.* XX. 28. 2. *Cor.* V. 14. 15. *Hebr.* II 9. *Joh.* I. 29. Scilicet Chriſtus pro omnibus mortuus eſt *Rom.* XIV. 15. 1. *Cor.* VIII. 11. 1. *Tim.* II. 6. IV. 10. *Hebr.* VI. 4. 2. *Pet.* II. 1. 1. *Joh.* II. 1. 2. Obedientia, quâ Chriſtus ſatisfecit Deo, eſt & *activa*, quæ conſiſtit in impletione legis & *paſſiva*, quæ conſtitit in perpeſſione pœnarum vicariarum *Pſ.* XL. 7. ſqq. *Matth.* V. 17. *Gal.* IV. 4. 5. uno verbo, ſatisfactio Chriſti eſt ſolutio eorum, quæ ipſe non rapuerat *Pſ.* LXIX. 6. quæ ex intrinſecâ virtute ſuâ perfectiſſimè juſtitiæ divinæ, nullâ mediante acceptilatione, quâ *quid* pro *quo* accipitur, ſatis quod erat, fecit, id quod fieri haud potuit, niſi in Chriſto utraque natura in perfectiſſimam eamque perſonalem unionem coiiſſent, niſi & hæc unio perſonalis communicationem naturarum, idiomatum & apoteleſmatum poſt ſe traxiſſet. Finis ſatisfactionis ex parte Dei eſt miſericordiæ & juſtitiæ divinæ, mirabili quodam connubio heic inter ſe

junctarum, manifeſtatio in ſalutem hominum evaleſcens. Quod ipſum cùm ſcribimus, cùm contemplamur, non poſſumus non gratias agere Domino, tàm clementi, tàm bono Redemtori, qui miſeris nobis egregiam iſtam lucem affulgere juſſit. Vide & in ſuccum ſanguinemque verte loca *Rom.* III. 24. ſqq. V. 8. *Joh.* III. 16. XV. 13. *Eph.* V. 25. 1. *Ioh.* III. 16. At ex parte noſtri finis ſatisfactionis eſt noſtra juſtificatio, redemtio & ſalvatio *Dan.* IX. 24. 2. *Cor.* V. 21. *Hebr.* IX 12. V. 8. 9. *Ioh* III. 14. 15. Jam verò ſatisfactionis diſtinguenda venit tùm neceſſitas, tùm juſtitia, tùm veritas. Neceſſariam & juſtam fuiſſe ſatisfactionem ex eo probant, quoniam Deus peccata impunita dimittere non potuerit, vi juſtitiæ ſuæ, cui exſolvendum fuerit compenſationis pretium & quam abnegare DEUS non valeat, & quoniam concipi haud poſſit, qui DEUS Filium ſuum dilectiſſimum in mortem traditurus fuiſſet, ſi ejuſmodi ſatisfactio expiatoria haud fuiſſet neceſſaria. Veritas autem ex omnibus locis, quæ de ſatisfactione agunt, patet, ubi ſanè pœna iſta vicaria, quam Chriſtus pro nobis tulit, quàm clariſſimis verbis effertur. Nec tamen diffitendum eſt, in hoc articulo difficultates occurrere rationi humanæ inextricabiles. Quid tùm? Si evidentiam revelationis, cujus certitudo aliunde jam nobis conſtat, habeamus, evidentia objecti haudquaquàm nobis erit neceſſaria. Tota difficultas in his ferè capitibus ſita eſt, quòd dicitur,

Digitized by Google

citur, DEUM peccata impunita dimittere non poſſe, cùm tamen vi libertatis, vi & miſericordiæ ſuæ id is facere, certè pœnam moderari poſſe videatur, quòd & ad juſtitiam DEI heic tantoperè provocatur, cùm tamen longè injuſtiſſimum ſit, ad abſolvendum reum crimen eidem auferre & perſonæ innocenti licet volenti illud & quoad reatum & quoad pœnam imponere neque etiam peccata aliorum ita in ſe transferre quis poſſit, quòd denique additur, Chriſtum loco noſtri paſſum eſſe, loco noſtri mortem ſubiiſſe & nobis illam paſſionem & mortem vicariam ita à DEO imputari, ac ſi noſmet ipſi eam ſubiiſſemus, quæ omnia contra primas juſtitiæ leges peccare videntur, ubi dicitur: ANIMA, QUÆ PECCAVIT, MORIETUR. Fateor, duros hos cuneos eſſe, quibus ratio noſtra valdè obtunditur. Videamus tamen, quid hîc regeri poſſit. Non verò exſcribemus jam ea, quæ ex ſcriptis GROTII, CRELLI & TURRETTINI hùc pertinentibus dari poſſent, ad rem plurimùm facientia, ſed dabimus ſaltem ea, quæ ex iiſdem collecta nobis exhibet egregieque diducit HERM. WITSIUS, Theologus olim Belga præſtantiſſimus. Hic verò in *œcon. fœd. DEI L. I. C. 5. §. 23. ſqq.* ita rationes ſuas componit, ut ajat, in ipſâ naturâ & immutabili jure DEI fundari, ne peccatum dimittat impunitum. Probat autem id primò ex infinitâ DEI majeſtate, ὑπεροχῇ & ſuimet ipſius tenerrimo amore. Jam cùm, ut rectè Thomas dicat, *peccans, quantum*

quantum in ſe eſt, DEUM & attributa ejus deſtruat, DEUM, qui majeſtatem ſuam & attributa tenerrimè amet, non poſſe non ſeſe vindicare. Hinc vocari illum אל קנא DEUM Zeloten *Exod.* XXXIV. 14. *Ezech.* XXXIX. 25. Adde 2. *Tim.* II. 13. Secundò id deducit ex ſanctitate divina & quærit: *quænam ſit communio juſtitiæ cum illegalitate?* 2. *Cor.* VI. 14. Miror verò hîc, Virum doctiſſimum objectionem ſibi formare, quæ profectò haud parvi momenti eſt, & quam haud adeò dextrè reſolvit. Ea hæc eſt: *indignum quidem ſanctitate DEI eſſe, communionem amicitiæ cum peccatore colere, quamdiu talis manet: ſed nihil obſtare, quò minùs bonitate ſuâ peccatum tollat, & hoc modo eum, qui antea peccator fuit, ad communionem ſui admittat.* Scilicet, quicquid ex ſanctioribus literis pro neceſſitate juſtitiæ vindicativæ deducitur, quæ utique DEO longè eſſentialiſſima, ut ita dicam, eſt, id ſaltem ponit, peccatorem, quamdiu talis manet nec reſipiſcit, à DEO neceſſariò puniendum eſſe, nullatenus verò inſinuat, DEUM ex infinita miſericordia, quâ utique fulget, peccatori virtutem ſuam & ſpiritum, quo mactus reſipiſcat & ſanctificetur, (ubi ſanè deinde remiſſio anteactorum ſponte ſequitur,) infundere haud poſſe. Et heic reſpondet ille quidem, ſepoſita ſatisfactione non convenire cum ſanctitate DEI, ut illo maximi amoris effectu, quo ſanctificetur peccator, cum

Digitized by Google

eum præveniat. SI ENIM INITIUM EJUSMODI COMMUNIONIS DEI CUM PECCATORE SANCTITATE IPSIUS INDIGNUM NON SIT, CUR DE PROGRESSU ILLIUS OMNES ID FATENTUR? Imò eousque vadit, ut ajat, diſtinctionem illam inter amorem *benevolentiæ*, quo DEUS peccatorem transformet, ut objectum amoris complacentiæ evadat, id quod ſine ſatisfactione fieri poſſit debeatque, & amorem *complacentiæ*, cujus objectum ſit peccator jam converſus, & qui ſine ſatisfactione homini contingere haud poſſit, temerariam eſſe, quia amor benevolentiæ, quo regeneremur, in ſacris literis nobis proponatur ut ſequela ſponſionis & ſatisfactionis Chriſti *Tit.* III. 4. 5. 1. *Cor.* VI. 11. 1. *Pet.* I. 3. 2. *Pet.* I. 1. Jam verò dum hæc ſcripſit WITSIUS, haud ponderavit, ut arbitror, ita proceſſum in infinitum inſtitui, qua re mirabilius nil fingi poteſt. Quæritur enim jam, quid moverit DEUM, ut ſatisfactionem generi humano lapſo deſtinaret, per quam illud redimeretur? Ubi ſanè ad hanc quæſtionem nihil aliud reponi poteſt, quàm hoc, DEUM ex imperſcrutabili ac immenſâ miſericordia ſuâ hoc benevolentiæ amore genus humanum ſine præviâ ſatisfactione fuiſſe complexum. Nec dicere quis poteſt, ſatisfactionem illam, quæ per amorem benevolentiæ generi humano fuit deſtinata, cauſam impulſivam ipſius illius amoris exſtitiſſe, cùm quivis hoc in termi-

nis implicare videat. Unde jam patet, cum micâ ſalis adſumenda eſſe VVITSIANA antecedentia: *Si initium communionis DEI cum peccatore ſanctitate ipſius indignum non eſt*, nec de progreſſu illius id dici poterit, h. e. ſi amor complacentiæ pro fundamento ſatisfactionem habet, ergò & amor benevolentiæ. Connexio eſt nulla. Nec valent dicta allegata, cùm pateat, illa non de decreto ſalvandi, ſed de executione ſalvationis agere, inter quæ duo immane diſcrimen eſt. Sed pergamus in rationibus VVITSIANIS proponendis. Ait VVITSIUS porrò, tàm puram eſſe ſanctitatem divinam, ut peccatum & peccatorem intueri non poſſit *Hab.* I. 13. *Pſalm.* V. 6. ut & peccatum odio habeat *Pſalm.* XLV. 8. *Prov.* VI. 16. *Devt.* XXV. 16. *Prov.* XVI. 5. *Pſalm.* V. 5. ſqq. denique repugnare ſanctitati divinæ, DEUS ut ſimilis fiat peccatori, quod fieret, ſi peccatum punire nollet *Pſalm.* L. 21. DEUM item ſanctificari, cùm pœnas poſcat *Lev.* X. 3. *Ezech.* XXXVIII. 16. *Ieſ.* V. 16. *Ioſ.* XXIV. 19. Addit dein δικαιοκρισίαν θεοῦ *Rom.* II. 5. ſive δικαίωμα illud vel principium ſummum juſtitiæ, eos, qui mala faciunt, dignos eſſe morte *Rom.* I. 32. unde & Chriſtus pro nobis mori debuerit, ut ſuo ſanguine nos placaret, πρὸς ἔνδειξιν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ *Rom.* III. 25. 26. unde & DEUS neceſſariò puniat *Ier.* V. 9. 29. imò conſolationem percipiat ex ultione impiorum *Hoſ.* X. 10. *Amos* V. 9. *Devt.* XXVIII.

Digitized by Google

XXVIII. 63. *Ieſ.* l. 24. Quæ omnia quidem hoc vel maximè probant, DEUM peccatorem, quamdiu peccet, cùm præſente gratiæ adjutorio peccare non poſſet, neceſſariò punire, juſtitiamque DEI vindicativam hac ratione DEO eſſentialem eſſe, id quod ſi hac cum explicatione etiam diſſentientibus oggeſſeris, ne ipſi quidem illi negaverint. Quibus ſic enodatis VVITSIUS poſtea ad aliam quæſtionem pergit, quam eruditè ſanè evolvit. Heic diſquirit, num juſtitiæ DEI vindicativæ, eſſentiali illi, nonniſi æternâ peccantium pœnâ ſatisfieri poſſit, ita ut DEUS hîc ſalva juſtitia ſua pœnam æternam in temporalem convertere nequeat. En verba Viri judicioſiſſimi, digna, quæ hùc adponamus: *Præſuppono nunc, in peccato, quod committitur adverſus infinitam DEI majeſtatem, malitiam eſſe* ſuo modo infinitam *ac proinde etiam meritum pœnæ* ſuo modo infinitæ. *Dico, peccato ineſſe malitiam ſuo modo duntaxat infinitam.* Abſolutè *enim infinita dici nequit. Si reſpicias entitatem actûs ſubſtrati, à finitâ creaturâ non poteſt elici actus infinitè extenſus. Si reſpicias* ἀταξίαν *& privationem bonitatis moralis actui adhærentem, illa eſt privatio finita rectitudinis, qualis creaturæ competere poteſt. Si denique reſpicias totum complexum, peccatum ſcilicet in concreto, ut ajunt, conſideratum, nec ita illius malitia abſolutè infinita eſt. Neque enim pares ſunt omnes actus vitioſi ſed admodùm*

dùm diſpares, qui diſpares eſſe non poſſent, ſi infiniti eſſent. Infinita tamen peccati malitia ſuo modo *eſt. I.* Objectivè, *quia committitur contra infinitum bonum. II.* Extenſivè *ratione durationis, quia macula ſive labes peccati durat in æternum, niſi expurgetur ſanguine Chriſti. Ideóque in peccato eſt meritum pœnæ, non abſolute infinitæ, quoad intenſionem cruciatuum. I. Quia talis pœna eſt abſolutè impoſſibilis. Neque enim finita creatura capax eſt infinitorum cruciatuum. II. Quia ſequeretur, DEUM nunquàm poſſe juſtitiæ ſuæ ſatisfacere impios condignè puniendo, quùm capaces hujus pœnæ non ſint. Abſurdum autem eſt, pœnam aliquam de jure peccatis deberi, quam DEUS nunquam poſſet infligere. III. Quia ſequeretur, peccatis omnibus æqualem pœnam deberi aut omnia de facto æqualiter puniri. Quod abſurdum eſt & contra Matth. XI. 22. 24. Ratio ſequelæ, quia inter infinita nulla eſt vel eſſe poteſt diſparitas. Eſt tamen in peccato meritum pœnæ* ſuo modo *infinitæ & eodem quidem modo, quo modo peccati malitia infinita eſt. Id eſt I.* objectivè, *ita ut privet hominem communione infiniti boni, DEI, ſcilicet. I.* extenſivè, *adeò ut pœna in æternum duret. Sed an æternitas illa neceſſario debeat eſſe in pœnâ* ſenſus, *an verò ſatisfieri poſſit juſtitiæ divinæ per æternam pœnam damni, in annihilatione creaturæ peccatricis, neſcio an determinari queat. Hoc*

mihi

Digitized by Google

mihi videtur probabiliter ſatis & ſobriè dici poſſe: Si DEO lubeat, creaturam peccatricem æternùm in exiſtentiâ conſervare, neceſſum eſt (nullâ ſatisfactione intercedente,) ut eam puniat, pœnâ non damni duntaxat ſed & ſenſûs. Ratio eſt, quia non modò peccati reatus ſemper remanet ſed & macula, quâ peccatum ſemel commiſſum animam inficit, quæque in æternum expurgari nonpoteſt niſi ſanguine Chriſti. Impoſſibile autem eſt, ut DEUS hominem peccato inquinatum ad ſui communionem admittat. Porrò fieri nequit, ut creatura rationalis a communione favoris divini excluſa, hanc indignationem DEI cum dolore maximo non ſentiat. Conſcientia dilapidati ſummi boni acerrimus flagellis miſeros lancinat. Et hæc quidem ex VVITSIO non ſine ratione tàm luculenta hùc poſuimus, quòd, quæ de neceſſitate ſatisfactionis pretiique infiniti ad reconciliandum cum DEO peccatorem dici poſſunt, egregia hîc in unum conflumnt & venuſtè proponuntur. Jam & de juſtitia ſatisfactionis ipſum, ſi placet, tantiſper audiamus. Hanc verò idem L. 2. C. 5. §. 4 ſqq. effert. *Potuit*, inquit, *Chriſtus ſine ullâ injuriâ ſponſionem talem in ſe ſuſcipere. I. Quia ipſe vitæ ſuæ Dominus eſt, quam pro ſuo in illam jure pro aliis oppignorare poteſt. Joh. X. 18. II. Quia id, quod ſpondet, præſtare poteſt: ferendò pœnam condignam, implendo omnem juſtitiam, in utroque præſtando obedientiam tanta*

tæ dignitatis, eò quòd perſona θεάνθρωπος eſt, ut obedientia omnium ſalvandorum plus quàm æquivalens ſit. III. Quia eo pacto eximiam planè & incomprehenſibilem caritatem tàm erga DEI gloriam quàm erga hominum ſalutem oſtendit. IV. Nec habet humana ipſius natura, de quo conqueratur, quùm major gloria creaturæ contingere non poſſit, quàm ut hypoſtaticè uniatur cum perſonâ divinâ eique inſerviat ad perfectionem operis maximi, quod cum ſtupore univerſus electorum Angelorum Chorus æternùm laudet; præſertim cùm certa ſit, ſe, poſt maximos quidem ſed brevis temporis dolores βραχύ τι *Angelis minorem factam nomen aſſecuturam ſupra omne nomen. Dignum quoque DEO Patre fuit ſponſionem hanc Filii ſui tùm procurare, tùm acceptare: quia in illius exſecutione eſt declaratio* veritatis *DEI illud omne exactè complentis, quod in lege ſuâ juſtitiæ pollicitus, peccato minatus eſt, &* bonitatis *DEI, hominem peccatorem & miſerum dato & admiſſo idoneo ſequeſtro ſecum reconciliantis, &* juſtitiæ *DEI, ſontem citra ſufficientem ſatisfactionem pro inſonte non habentis, imò potiorem longè ſatisfactionem accipientis quàm ab ipſo unquam homine præſtari poſſit, propter excellentiorem Chriſti obedientiam & digniorem pœnam Rom. III. 25. &* ſanctitatis *DEI, non admittentis hominem ad beatam ſui communionem niſi juſtificatum ſanguine, ſanctificatum ſpiritu Chriſti; denique* omni-

Digitized by Google

omniſufficientiæ *DEI*, *qui quod incredibile propemodum videbatur*, *ſine ullà ullius virtutum ſuarum imminutione DEUS & ſalus peccatoris hoc pacto factus eſt*. *Hinc eſt*, *quòd Dominus JESUS in executione ſponſionis ſuæ* nomen *hoc eſt perfectiones DEI ſe manifeſtâſſe Ioh. XVII. 6. & has nominatim*, *quas recenſuimus*, *virtutes declarâſſe profiteatur Pſalm. XL. 11.* Juſtitiam tuam non occultavi in medio cordis mei, fidelitatem tuam & ſalutem tuam elocutus ſum, non abſcondidi benignitatem tuam & veritatem tuam Eccleſiæ magnæ. *Quùm ergò DEO nihil dignius excogitari poſſit*, *quàm gloriam divinarum perfectionum ſuarum glorioſiſſimo modo patefacere*, *& hæ perfectiones nuſquam illuſtriùs ſplendeant quàm in ſatisfactione Chriſti*, *dignum planè DEO fuit*, *ſponſionem talis ſatisfactionis procurare & permittere*. Id quod deinde non per abrogationem legis ſed explicationem ſaltem ejus, quæ **κατ' ἐπιείκειαν** non **κατ' ἀκριβοδίκαιον** fit, factum eſſe VVITSIUS dicit. Addit idem poſt: *Nec injuſtum erat*, *Chriſtum pro nobis puniri*: *quùm ipſe Socinus & Crellius fateantur*, *non fuiſſe injuſtum*, *ut Chriſtus innocentiſſimus à DEO graviſſimis cruciatibus ipſâque morte afficeretur*, *quod & ex eventu patet*. *Potuit enim DEUS jure dominii omnes illas afflictiones Chriſto imponere*, *præſertim accedente Domini JESU*, *qui vitæ ſuæ poteſtatem habebat*, *valido conſenſu*. *Tota difficultas eſt in τῷ formali pœna*. *Sed cùm Chriſtus*

Chriſtus delicta noſtra & injurias à nobis divinæ majeſtati illatas in ſe liberrimo voluntatis ſuæ arbitrio ſuſceperit proque iis ſe vadem obtulerit, DEUS ut ſupremus Rector juſtè pœnas à Chriſto noſtri loco exigere potuit & re ipſâ exegit. Denique ait VVITSIUS, Chriſtum perfectam obedientiam præſtitiſſe 1. *noſtro bono* & 2. *noſtro loco* Rom. V. 19. unde imputatio juſtitiæ Chriſti oritur. Et heic ſanè vel maximè Socinianos nobis & Remonſtrantes quoque adverſos habemus, qui ſatisfactionem Chriſti VICARIAM haud admittunt ſemperque cauſantur, DEUM nec punire Chriſtum ob peccata aliena nec alienum Chriſti meritum nobis imputare potuiſſe. Nec diſſitendum, ejuſmodi difficultatibus hæc ipſa circumfundi, queis enodandis, queis extricandis, queis difflandis ratio noſtra haud ſufficit. In tenebris profectò vadit, quicunque ex naturalis perſpicaciæ ſcrinio lucem heic rebus adferre tentaverit. Sufficiat hoc tibi, lector, qui veritatem quæris, ſub hoc ſchemate vicariæ pœnæ, quæ & olim in Vet. Teſt. in ſacrificiis quibuſvis piacularibus repræſentata fuit, nobis Chriſti paſſiones ad ſummum, quo DEUS peccatum proſequitur, odium innuendum in ſacrâ ſcripturâ repræſentari. Jam, cùm verbum iſtud revelatum, quod hanc ſententiam effert, inſitam quandam divinam lucem habeat, quâ animus meus tangitur, cùm idem ille Salvator, in cujus notitiam mediante verbo iſto pertrahor, ampliſſimâ gratiâ ſuâ pectus meum imbuat atque perfundat,

Digitized by Google

fundat, quid eſt, quòd veritatem verbi hujus hîc in dubium vocem atque rationi meæ, in divinis profectò, quicquid tandem illa agat, quoſcunque nervos illa intendat, cæcutienti victas manus tradam imiterque temerarium illud & nefandum *Socini* effatum: EGO QUIDEM, ETIAMSI NON SEMEL SED SÆPE ID IN SACRIS MONUMENTIS SCRIPTUM EXSTARET, NON IDCIRCO TAMEN ITA REM PRORSUS SE HABERE CREDEREM. *Noſtra* potius, ita egregiè VVITSIUS l. c. §. 8. *modeſtiæ eſt, hoc modo inſtituere:* Ego quidem, etiamſi millies ratio mea, quam cæcam & fatuam & DEO obſtreperam eſſe novi, reclamaret, non idcircò tamen, quod vel ſemel in ſacris monumentis ſcriptum reperio, in dubium revocare auderem vel quæſitâ aliquâ interpretatione alium ſenſum rationi meæ magis convenientem ſcripturæ verbis inferre.„ Hactenùs WITSIUS. Nec tamen eapropter, contradictoria ea quæ ſunt, crediderim. Juſtitia enim DEI cum malo temporali creaturæ innocenti & volenti ad odium, quo peccatum is proſequitur, repræſentandum immiſſo & beneficio intuitu pœnæ illius vicariæ ob dignitatem perſonæ eò majus, imò infinitum heic pretium ſecum vehentis in hominem hactenùs ita collato, ut is tamen viam reſipiſcentiæ & ſanctificationis inire neceſſum habeat, ſi in gratiam cum DEO redire velit, utique conſiſtere poteſt. Conferre enim DEUM beneficia ſua ſub eâ χέσει, quâ

Digitized by Google

is tandem pro ſapientiâ ſuâ, quam nunquam nos adſequemur, voluerit, poſſe, in confeſſo apud omnes eſt. Atque hunc jam ſi calculum poſuerimus, non eſt, quòd ea, quæ à ratione nobis heic objiciuntur, ſpectra metuamus, utpote quæ judicii ſanioris lux facilè ſic diſſipat & in fugam agit. Sed vel tandem, quæ adhùc reſtant, paucis adjiciamus. Quæritur hîc, num Chriſtus & ſibi aliquid meruerit? Ita profectò ſubinde Romanenſes, Reformati, Remonſtrantes, Sociniani. Noſtri ferè omnes negant. Ratio, quia perſonæ divinæ, in quâ caro Chriſto ſubſiſtit, tanta eſt dignitas, ut Chriſtus θεάνθρωπος pro ſe mereri nihil poſſit, utpote in quo tota plenitudo Deitatis reſidet. Et ſanè, cui DEUS ἐχαρίσατο nomen ſupra omne nomen *Phil.* II. 9. ille id ſibi non meruit. Cui & confertur regnum, uti ille ipſe nobis id confert, illi non confertur regnum, ut merenti. *Luc.* XXII. 29. Nec διὸ illud & διὰ τοῦτο in loco iſto ad Philippenſes cauſam meritoriam ſed ſaltem ordinem & conſequentiam paſſionis & gloriæ indigitat. Nec tamen diffitendum eſt, ſi ratio fœderis & pacti, quod inter DEUM Patrem Deumque Filium initum eſſe ſtatuitur, prematur & œconomia ſaltem quædam hîc urgeatur, ſine crimine ullo dici poſſe, quod ſub χίσει meriti exaltatio cum appenſis bonis omnibus Chriſto homini contigerit, de quâ & ſolâ heic, uti arbitror, diſſentientibus quibuſdam

Digitized by Google

quæſtio eſt. Quæritur porrò: num Chriſtus legem DEI noſtro loco impleverit & num obedientia illius activa etiam ad ſatiſfactionem illam vicariam pertineat? Et hîc conſtat, quid Reformati, quid Sociniani, quid Arminiani ſtatuant, Chriſtum nempe per ſe legi fuiſſe obnoxium, conſtat &, quid poſt KARGIUM ſive PARSIMONIUM à BRENTIO depexum ſtatuerit JO. PISCATOR, cui & alii Reformati aſſurrexere, etſi in ſynodis ſubinde iſte damnaretur, qui exiſtimavit, obedientiam Chriſti activam haud fuiſſe vicariam, haud fuiſſe ſatiſfactoriam, ſed ſaltem paſſivam illam. Vide poſt alios JAC. BENIGNUM BOSSUETUM in hiſtorie des variations des Egl. Prot. *T.* 2. *L.* 12. §. 27. *ſqq. p.* 268. *ſqq.* Theſis orthodoxa deciditur ex *Matth.* V. 17. *Gal.* IV. 4. 5. *Rom.* V. 19. VIII. 3. 4. X. 4. Et profectò Chriſtus, qui eſt Dominus legis *Matth.* XII. 8. pro ſe legem haud implevit. Controvertitur &: num omnes paſſiones Chriſti ſatiſfactoriæ ſint, vel ſaltem illæ, quas per trihorium obſcurationis ſolaris ſuſtinuit, quæ ſententia eſt JACOBI ALTINGII, aſt ſufficienter refutata à HERM. WITSIO in *œcon. fœd. DEI L.* 2. *C.* 6. *p.* 177. *ſqq.* qui præprimis generalitatem phraſium, quòd Chriſtus in genere paſſionibus ſuis peccata noſtra deleverit *Jeſ.* LIII. 4. ſqq. *Hebr.* II. 10. 1. *Pet.* II. 21. III. 18. urget, nihilque alienius eſſe dicit, quàm à ſatiſfactione Chri-

ſti paſſiones in Getſemane excludere. Sed hæc quidem de ſatiſfactione jam ſufficiant, de quâ aliâs plura dicere forſan nobis continget. Quod reſtat, quæ de ſatiſfactionis neceſſitate dicuntur, legi poterunt, ut alios, ut maximè TURRETTINUM jam taceamus, apud eundem præſtantiſſimum WITSIUM l. c. L. 2. C. 8.

§. V.

Ad officium Chriſti ſacerdotale etiam interceſſionem pertinere dicimus. Eſt verò hæc actus mediatorius, quo Chriſtus ſecundùm utramque naturam pro omnibus hominibus, maximè verò pro fidelibus vi meriti ſui apud DEUM Patrem intercedit nobiſque bona quævis, cœleſtia maximè impetrat. Vide 1. *Joh.* II. 1. *Rom.* VIII. 34. *Hebr.* VII. 25. IX. 24. XII. 24. *Joh.* XVII. 9. Durabit autem hæc interceſſio in æternum *Pſ.* CX. 14. *Ebr.* V. 6. VI. 20. VII. 17. id quod tamen ex noſtris ſunt, qui negent, dicentes, in vitâ æternâ nullam fore interceſſionis Chriſti cauſam, fidelibus utpote & beatis in bono confirmatis. At reſponderi poteſt, Chriſtum vel pro confirmatione ipſorum gaudiorumque cœleſtium augmentatione DEUM exoraturum vel pro tantis bonis ſaltem ipſum laudaturum. Jam enim & laudes precibus accenſendæ ſunt. Vide & *Syſtema Theol. Calovianum* T. 7. p. 539. ſqq. ubi & pag. 574. ſqq. oſtenditur diſcrimen illud, inter interceſſio-

Digitized by Google

terceſſionem Chriſti & Spiritûs S. quod intercedit. Vide *Rom.* VIII. 27. *Gal.* IV. 6. Hæc ſcilicet eſt cauſalis, illa meritoria, hæc θεϊκὴ, illa θεανδρικὴ, ut alias differentias ſicco jam pede prætereamus. Quin & id monendum, peccare Socinianos aliarumque communionum ſocios, qui negant, interceſſionem Chriſti propriè ſic dictam dari. Jam ad enarrandum officium Chriſti regium progrediamur, ſi ſaltem pauciſſimis moneamus, eſſe, qui duplex ſaltem Chriſti officium eſſe ajant, ſacerdotale, cui & Propheticum admiſcendum ſit, & regium, nec communem tractationis methodum ſemper ſequantur. Aſt τρόπος παιδείας cuivis liber eſto.

§. VI.

Chriſtum eſſe Regem dicta clariſſima loquuntur *Pſ.* II 6. XX. 10. XLV. 2. 4. 6. XLVII. 8. omniaque ipſi ſubjecta eſſe alia aſſerunt. *Pſalm.* VIII. 7. *Hebr.* II. 7. 8. 1. *Tim.* VI 15. *Apoc.* XVII. 14. XIX. 16. Adde *Luc.* II. 11. *Phil.* II. 10. 11. *Eph.* I. 20. ſqq. *Act.* X. 38. 1. *Cor.* XV. 47. Poſſidet itaque Chriſtus θεάνθρωπος poteſtatem regiam, πρώτως ut DEUS & δευτέρως ut homo, eandem tamen ſecundùm utramque naturam in regno triplici, potentiæ, gratiæ, gloriæ. Primum eſt potentiæ *Matth.* XVIII. 18. *Eph.* I. 22. *Mal.* III. 1. *Hebr.* I. 3. *Jeſ.* IX. 6. 7. *Mich.* V. 1. *Act.* X. 36. *Pſalm.* VIII. 7. 8. 9. CX. 1. *Cor.* XV. 27. 28. quod eſt omnipotens cœli terræque gubernatio

& conſervatio, omnium creaturarum ſubjectio & in medio inimicorum dominatio. Regnum verò hoc planè eſt ampliſſimum *Pſalm.* LXXII. 8. *Zach.* IX. 10. *Eph.* I. 23. IV. 10. Succedit loco ſecundo regnum gratiæ, ubi Chriſtus per verbum & ſacramenta Eccleſiam ſibi colligit atque immiſſâ in corda hominum divinâ virtute eadem emollit, compungit, mutat, vertit, renovat. Hinc verbum dicitur Evangelium regni *Matth.* IV. 23. IX. 35. XXIV. 14. Adde *Pſalm.* CX. 2. 1. *Tim.* IV. 10. 1. *Petr.* II. 9. Atque hoc regnum iterum eſt θεανδρικὸν, cujus actus ſunt miſſio miniſtrorum Eccleſiæ *Matth.* XXVIII. 19. *Marc.* XVI. 15. *Eph.* IV. 11. plantatio & collectio Eccleſiæ *Matth.* XVI. 18. converſio, juſtificatio, ſanctificatio, effuſio donorum Spir. S. protectio & conſervatio piorum *Matth.* XXVIII. 20. & rurſus dominium in medio inimicorum *Pſ.* CX. 2. 3. 1. *Cor.* XIV. 25. *Hebr.* I. 13. Adde maximè *Matth.* XVIII. 20. Jam verò de regno potentiæ & gratiæ, quod Chriſto θεανθρώπῳ competit, notandum eſt, utrumque jam inde à primo conceptionis ſive unionis perſonalis momento, licet ſuo modo, cœpiſſe, plenius verò jam in ſtatu exaltationis à Chriſto adminiſtrari & demùm, ubi in regnum gloriæ tranſitus fiet, pleniſſimè manifeſtatum iri. Pertinet hùc dictum Pauli 1. *Cor.* XV. 24. ***Deinde finis, cùm tradiderit regnum DEO & Patri***, ubi cave credas, Chriſtum regno ſe abdica-

dicaturum idque ita traditurum Patri eſſe, ut eodem ſe privet. Oeconomicam enim regni adminiſtrationem formamque illius, juxta quam per verbum & ſacramenta, per crucem, medios inter hoſtes, id externè quoque gubernavit, tradet ac deponet, ſed ipſum regimen non deponet. En quid ajat acutiſſimus DORSCHÆUS in *Theolog. Zach. P. 2. diſp. 7 §. 7. Illa traditio non eſt actus depoſitionis ſed propoſitionis: non deponet regnum, quod uſque ad conſummationem ſeculi gratioſe gubernavit Chriſtus, in iſtâ conſummatione, ſed proponet DEO Patri ad luſtrationem quaſi & gloriam. Sicut belli dux, deſtructis omnibus hoſtibus, Regi, qui per ipſum hucuſque bellum geſſerat, victorioſum ac triumphabundum exercitum, ſervatos cives, populos liberos, præſentat & exhibet, ut judicet ac judicio ſuo comprobet præclarè & ad Regis gloriam geſta, non tamen deponit poteſtatem, quam in exercitum habuit, ita multò magis Chriſtus tanquàm filius conſummato ſeculo & ſummotis hoſtibus univerſis ſiſtet exercitum ſuum eccleſiaſticum coram DEO Patre. &* quæ ſequuntur, quibus & addi venerandi Parentis noſtri *diſſertatio inauguralis* poteſt, quam ſub ejuſdem præſidio nos A. 1705. defendimus. Regnum denique gloriæ, quod Chriſto competit, ſequentibus effatis biblicis indigitatur. *Pſalm.* XXIV. 7. 9. 1. *Cor.* II. 8. *Luc.* XXII. 29. XIII. 49. XIX. 28. XXIV. 31. 1. *Cor.* XV. 28. Scilicet heic

DEUS erit omnia in omnibus transferendaque hùc, ſi plenè ſententiam noſtram enarrare vellemus, eſſet de vitâ æternâ tractatio. Vide dictum palmarium de regno gloriæ *Matth.* XXV. 34. & adde *Apoc.* I. 5. III. 21. V, 10. XX. 6.

§. VII.

At verò omnes iſtæ ideæ, quas jam de officio Chriſti prophetico, ſacerdotali & regio, quas jam de ſatisfactione & interceſſione Chriſti animis noſtris ingeſſimus, in meram vappam, nullâ utpote diviniore luce tinctæ abibunt, niſi πράξει, niſi experientiâ ſpirituali eædem in pectoribus noſtris diluantur. Age jam, qui theologiæ verioris cognitioni ſolidæ inhias, age, inquam, & firmiter hoc tibi perſuade, omnem, quam rebus fidei inſpiciendis ponimus, induſtriam, omnem eruditionem noſtram nullam & purum putum eruditionis ſpectrum fore, niſi, ſequeſtrato omni terreno lumine, ſequeſtratis & ſepoſitis, quæ ex Patrum doctorumque terrenorum autoritate hactenùs apud nos utramque paginam fecere, præjudiciis ſoli illi divino Prophetæ falli neſcio, qui, ubi officium ſuum propheticum in nos exercet, divinam lucem, divinam virtutem, potentem illam & longè ſuaviſſimam nobis infundit, niſi inquam ſoli illi Prophetæ divino, JESU CHRISTO informandos nos in ſimplicitate cordium noſtrum tradamus, Et nullum ſanè eſt ſapientius conſilium,

um, quod nobis ad ſacraria Theologiæ præſtantioris viam affectantibus dari queat. Scilicet, qui tuæ rationis viribus literas ſacras tractas, nec divinam de rebus ſanctioribus convictionem unquam nanciſcéris ſed tenebris, ſed dubiis, ſed rixis ſemper te involves neque adeò ſcientiæ divinioris medullam unquam aſſequéris corticemque externum relicto & ſepoſito per nefandam ſtultitiam nucleo ſemper maſticabis. Jam verò, ſi Chriſto Prophetæ tuo, fuſis ad ipſum precibus, tenebras haſce tuas diſpellendas corque tuum illuminandum tradideris, ubi primùm in compunctione animi (gratia enim DEI ſalutaris, quæ nobis apparet, primùm nos in intimis pectoris viſceribus caſtigat & compungit) diluculum, ubi modica quædam lux tibi affulſerit, mox, phoſphoro hoc JESU Chriſto, qui ſolus vera lux noſtra eſt, in nobis oriente, plena ſuccedet dies veramque & habitualem illam, quæ tantoperè nobis & ad propriam ædificationem & ad ædificationem aliorum promovendam neceſſaria eſt, notitiam theologicam apud nos efformabit, quo facto ſanè, qui ſcimus, qui experti ſumus, Chriſtum Doctorem eſſe, qui à DEO venerit, non amplius ad rationis noſtræ, ad tenebrarum noſtrarum decempedam divinas res amplius examinabimus, ſed tanto Prophetæ, qui via, veritas & vita eſt, fidei noſtræ collum illicò ſubmittemus, id acturi, ut, quicquid & de ſalutis acquirendæ methodo aliis di-

cturi ſumus, ex eodem illo limpido fonte, qui in vitam æternam manat, à ſummo iſto, quem veneramur, Prophetâ nobis ſubminiſtrato bibamus. Jam &, quod officium Chriſti ſacerdotale attinet, quis non videt, quanta ſolatii ſpiritualis ſeges, quanta optimorum monitorum copia ex fundamentali illâ Chriſtianiſmi doctrinâ effluat. Habemus hìc Sacerdotem, noſtris peccatis onuſtum, qui in altari corporis ſui ſeipſum tanquàm ſacrificium expiatorium mactat, crimina noſtra morte ſuâ expiat, virtutem divinam, ad converſionem ſanctificationemque noſtram quæ neceſſaria eſt, nobis acquirit & denique jugiter pro nobis, ut gloriæ olim divinæ participes evadamus, intercedit. Hinc eſt, quòd meritum ipſius fidei manu eâque promtâ ſatis adprehendimus, hinc eſt, quòd in tentationibus ſolatii omnis fontem poſcimus, hinc eſt, quòd firmâ, quam in DEI miſericordiâ & gratiâ reponimus, fiduciâ animamur. Sed eò proh dolor! proceſſit Chriſtianorum malè ſanorum ineptia & torpor, ut, quod excitamenti cujuſdam ſpiritualis loco ipſis eſſe debebat, horrendo abuſui apud ipſos locum dederit. Ajunt enim vel ſaltem cogitant & ſupponunt miſeri homines & terque quaterque imò infinitis gradibus miſeri: *Si Chriſtus peccata noſtra expiavit, ſi pro nobis omnem juſtitiam iſte implevit, ſi pro peccatis noſtris, ſatis quod eſt, fecit, non opus eſt, ut ſanctitati morum tantoperè ſtudeamus,*

queis

Digitized by Google

queis ſufficit, meritum Salvatoris ſibi appropriàſ-ſe atque adplicàſſe. Vix exprimi poteſt, quantà præjudicium hoc carnale, hæreſis hæc, quâ certè major, quâ pernicioſior cogitari vix poteſt, devaſtatione animos mactet. Ita quippe credo is, qui peccati tibi dominantis domitor, per ſpiritum, quem tibi largiturus erat, fieri debebat, jam peccati miniſter miram per cataſtrophen tuo vitio evadit. Vide, quid ajat Paulus, cujus velim hæc ipſa, mi lector, probè conſideres & menti imprimas: *Si verò, qui juſtificari anhelamus in Chriſto, inveniamur & ipſi peccatores* adhùc, queis ſcilicet peccatum dominetur, *ergò Chriſtus erit peccati miniſter? Abſit, hoc ut fiat! Gal.* II. 7. Quin potius argumenta iſta omnia, quæ vetus homo, hæreticus ille præcipuus, nobis oggannit, ita invertimus: *Si Chriſtus propter peccata noſtra mortuus, ſi tàm dira perpeſſus eſt, abſit, ut nos ampliùs peccemus.* Certè enim, quanto DEUS odio peccatum proſequatur, qui ob alienum tantoperè Filium puniit, hinc patet. Itane ergò credis, peccator, te in DEI gratiam redire poſſe, qui peccatis adhuc inhias atque iiſdem undique obvolveris. Jam enim, qui in Chriſto alienum tantoperè puniit, in te proprium magis puniet. Itaque, ſi Chriſti merita, ſi Chriſti beneficia tibi applicare anhelas, cave tibi, ne peccatis tuis tantum Salvatorem denuò crucifigas, operamque totus age, ut virtutem ſatisfactione

Chriſti

Digitized by Google

Chriſti partam in ſuccum animæ tuæ convertas eâque mactus & totus perfuſus peccatis tuis, malis affectibus tuis, mundo, Satanæ omnibuſque pompis ejus bellum declares, temet ipſum vincas & virtutes Redemtoris tui imitere, ut, qui externo merito ſuo te redemit, jam & internâ vi affuſâ ſpirituque ſuo adſperſo te redimat, &, qui à reatu peccati te liberavit, & à dominio ejuſdem te liberet, atque ita, qui coram Patre pro te intercedit, ampliſſimis quoque interceſſionis ſuæ fructibus te beet. Jam &, qui pro te ſacrificium DEO Patri in odorem ſuavitatis ſeſe obtulit, id à te poſcit, ut & tu ſacrificium te ipſi offeras, vivum & ſanctum, id utpote, quod aliâs ipſi placere haud poſſit, eumque ipſi cultum præſtes, qui non corporis ſed mentis adeoque rationalis ſit. Quæ omnia ſi in te fiant & luculenter peragantur, quiſquis es, qui Salvatori vera fide adhærere ejuſdemque meriti particeps fieri cupis, tunc demùm tu revera Chriſtum Regem tuum venerabere. Illi certè Regem eum non habent, cui haud obediunt. *Vos eſtis*, inquit Chriſtus, *amici mei*, *ſi faciatis*, *quod ego vos jubeo*. Itaque, ſi & officium Chriſti regium in nobis manifeſtandum glorificandumque ſit, quid quæſo nobis agendum erit? Id ſanè, ut CHRISTUS REX PER SPIRITUM SUUM IN CORDIBUS NOSTRIS DOMINETUR, UT IPSE OMNIUM MENTIS NOSTRÆ ACTUUM, OMNIUM COGITATIO-

TIONUM, OMNIUM VOLITIONUM, OMNIUM OPERUM NOSTRORUM FONS, PRINCIPIUM ET TERMINUS SIT. Et quis eſt, qui Regis hujus potentiſſimi, gratioſiſſimi & ſuaviſſimi ejuſdemque beatiſſimi ſceptrum haud pronus mecum exoſculetur? quis eſt, qui collum jugo huic, jucundiſſimo ſanè, (ſervire enim Regi huic ſumma libertas eſt) haud ſubdat & per reſipiſcentiam homagio ipſi præſtito ſubditum tanti Regis ſeſe minus gerat, quàm par eſt? quis eſt, qui ruptis carnis, ruptis voluptatum vinculis, ſpiritui divino ſe fingendum formandumque aliter totum haud tradat? Ecce enim, quicunque tanto Regi paret, is demùm in libertatem aſſeritur, is demùm à ſervitute liberatur, is etiam & IPSE REX EVADIT ET MUNDI VOLUPTATUMQUE SUARUM IPSIUSQUE SATANÆ, REGIS TENEBRARUM TRIUMPHATOR. *Et fecit nos*, ita eſt in Apocal. C. I. comm. 6. *Reges & Sacerdotes DEO & Patri ſuo*, mundum quippe olim judicaturos 1. *Cor.* VI. 2. & ſuavi REGIS GRATIÆ voce olim ita compellandos: *Venite, benedicti Patris mei, in hereditatem veſtram accipite regnum à fundato mundo vobis præparatum. Matth.* XXV. 34. Cui dignitati olim accipiendæ ut pares reddamur, rogamus te, Domine, ut *tuum* jam certantibus nobis *regnum*, ſpirituale illud, protinus *adveniat*, futuri illius, quod nobis deſtinas, certum & neceſſarium plane præludium. AMEN.

L. II. C. VI.

P. II. Cap. VI.

DE

STATU EXINANITIONIS ET EXALTATIONIS.

§. I.

SUpereſt, ut ordinem rerum naturalem ſervaturi jam & de duobus Chriſti ſtatibus paucis agamus. Duplex eſt, ut novimus, ſtatus Chriſti vel exinanitionis vel exaltationis. Vide, ſi placet, & inſpice loca palmaria *Luc.* XXIV. 26. *Phil.* II. 6. ſqq. Conſtiſtitit autem exinanitio א in vera & reali κενώσει ſive evacuatione uſus, non poſſeſſionis, idiomatum divinorum carni communicatorum quoad actum reflexum, qui opus redemtionis impediviſſet, e. g. gloriæ relativæ ergà propriam carnem *Ioh.* XVII. 5. 2. opulentiæ erga propriam carnem *Matth.* VIII. 20. 2. *Cor.* VIII. 9. 3. omnipotentiæ erga propriam carnem. *Luc.* XXII. 42. 43. ב in nondum-aſſumtione (alii dicunt abdicatione, quod minùs curatum eſt,) donorum

habitua-

habitualium, immortalitatis, ſpiritualitatis, impaſſibilitatis, ſubtilitatis, agilitatis & claritatis, in formæ ſervilis, (quæ τῇ μορφῇ θεοῦ, non naturæ divinæ, quæ certè in ſtatu exinanitionis haud depoſita fuit, ſed majeſtaticæ idiomatum divinorum uſurpationi opponitur, quam ut prædam Chriſtus exinanitus, ut, quis ipſe eſſet, hominibus manifeſtaret, haud oſtentavit, ſed vel abdicavit vel texit & formam ſervilem rebus induxit,) imbecillitatumque humanarum aſſumtione, quæ eſt ταπείνωσις in κρύψει ſive occultatione uſus idiomatum divinorum quoad actum directum & quidem in occultatione ſub formâ ſervili, quod eapropter dicimus, quoniam & nunc quoque in ſtatu exaltationis majeſtatem ſuam occultat Chriſtus, exſpectamus enim ejus ἐπιφάνειαν, ſed non occultat NB. *ſub formâ ſervili.* in obedientiâ uſque ad mortem crucis. Itaque jam clarum eſt, I. peccare eos, qui Theologis Tubingenſibus imputant, quòd ſtatuant, exinanitionem Chriſti conſiſtere in nudâ κρύψει. Rogamus hîc viros præſtantiſſimos, ne ejuſmodi ſententiam, quam planè deteſtamur, nobis invitis amplius attribuant. II. exinanitionem Chriſti non conſiſtere in communicationis idiomatum ſuſpenſione vel evacuatione. Jam enim humanam naturam *poſſediſſe* in ſtatu exinanitionis idiomata divina ajunt omnes, qui in caſtris Auguſtanæ confeſſionis militant. Sed *uſurpâſſe* eandem quoque Tubin-

Tubingenſes addunt & ex vero addunt. Quî itaque applicari hîc diſtinctio inter *κτῆσιν* & *χρῆσιν* ſoleat debeatque, jam ſatis patet. III. eſſe idiomata quædam, ubi inter hæc duo diſtinguere ipſa rei natura vetet, quæ ſanè ſunt omnipræſentia & omniſcientia. IV. Evacuationem uſûs majeſtatis divinæ quoad actum reflexum non fuiſſe plenariam & univerſalem, id quod ex transformatione Chriſti *Matth.* XVII. & proſtratione adverſariorum *Joh.* XVIII. 6. &c. itemque ex adoratione ejuſdem in ſtatu exinanitionis *Ebr.* I. 6. *Matth.* II. 11. IV. 11. VIII. 2. 5. 6. enituit. V. Si clarè res enarranda ſit, Chriſtum in ſtatu exinanitionis, etſi cum Patre & Filio etiam quoad humanam naturam mediante perſonâ Eccleſiam totumque mundum gubernaverit, omnia ſciverit & ubique præſens adfuerit, eâ omnipotentiâ, eâ omniſcientiâ, eâ omnipotentia, quæ ipſa divina natura eſt, cum quâ humana natura intimè & *περιχωρίστως* unita fuit, tamen hâc omnipotentiâ hactenus eouſque non uſum eſſe, ut opus redemtionis impediret, neque etiam gubernationem Eccleſiæ & mundi ad oculos hominum *manifeſtè* exercuiſſe, ſed, licet eſſet re verâ ſummus, ditiſſimus totiusque mundi Rex, tamen ſub formâ ſervili formam DEI, quam ſemper retinuit, id quod ex participio *ὑπάρχων* *Phil.* II. 6. conſtat, occultâſſe, acſi eſſet ſervus, pauperrimus, qualis & civili æſtimio fuit, mortalis, qualis & *οἰκονομικῶς* exſtitit,

quin

quin & demùm poſt ſtatum exinanitionis ſummam ſcientiam, immortalitatem, ſpiritualitatem, impaſſibilitatem, ſubtilitatem, agilitatem & claritatem, quæ ſunt dona habitualia & finita, accepiſſe. VI. *κένωσιν* officium ſacerdotale, *ταπείνωσιν* regium reſpicere. VII. Chriſtum omnipotentiam ſuam quoad actum directum non ſemper occultâſſe, id quod ex miraculis ab ipſo patratis, quæ radii divinitatis ſunt, patet. VIII. Chriſtum exinanitum fuiſſe omnipræſentem *Joh.* III. 13. IV. 50. *Marc.* XIV. 13. ſqq. omniſcientem *Jeſ.* XI. 1. ſqq. *Joh.* II. 24. 25. XVI. 30. id quod ignorantiam diei extremæ non ſuſtulit, utpote quam Chriſtus quatenus in claſſe creaturarum poſitus i. e. actu humanæ naturæ, quæ tùm quoad prærogativam unionis perſonalis tùm quoad dona habitualia Angelis præſtantior exſtitit, ſaltem neſcivit *Marc.* XIII. 32. cum quo loco omninò opus eſt ut conferas ignorationem ſterilis ficus *Matth.* XXI. 19. *Marc.* XI. 13. & loci ſepulchralis Lazari *Joh.* XI. 34. addaſque & *Jeſ.* VII. 15. 16. ubi tamen poſterior verſus non de Immanuele ſed de Schear-Jaſchubh Jeſaiæ filio agit, omnipotentem *Joh.* V. 17. III. 35. XIII. 3. *Matth.* XI. 27. gloriâ divinâ ornatum *Phil.* II. 6. *Matth.* XVII. 2. ſqq. & omniopulentum *Joh.* VI. 10. ſqq. *Marc.* VI. 41. ſqq. IX. Subjectum *quod* exinanitionis eſſe perſonam τοῦ λόγου ὑπόστασιν, ſubjectum *quo* naturam humanam, exinanitionemque ab in-

carnatione probe eſſe diſtinguendam. X. Terminum à quo ſtatus exinanitionis eſſe conceptionem in utero Mariæ, terminum ad quem eſſe vivificationem in ſepulchro.

§. II.

Et hæc quidem de ſtatu exinanitionis in genere poſita ſufficiunt. Ad ſpeciem jam, ſi placet, progrediamur. Ad exinanitionem Chriſti referuntur conceptio, nativitas, adoleſcentia, miniſterium, paſſiones, mors, ſepultura. Conceptio deſcribitur *Luc.* I. 35. *Jeſ.* VII. 14. *Jerem.* XXXI. 22. *Hebr.* II. 14. Recurrunt hîc quæſtiones illæ egregiæ, quas jam tetigimus, num Chriſtus vi primæ an ſecundæ benedictionis fuerit conceptus & num maſſa, ex quâ Chriſtus fuit conceptus, purgata, præſervata an creata fuerit, ubi non eſt, quòd dicta repetamus, niſi quòd id denuò ponendum nobis ſit, *creationem* illam, quam Autores à SCHROEERO citati cum ipſo tantiſper ſtatuunt, ſi maſſæ Chriſti humanæ ex nihilo productionem dicat, planè nullam eſſe. Hâc enim ratione Chriſtus ex Patribus ſecundum carnem ſanè haud fuiſſet *Rom.* IX. 5. nec fuiſſet factus particeps carnis & ſanguinis uti nos *Hebr.* II. 14. nec noſter frater, nec ſanè & Mariæ filius, ſed quod veteres hæretici dixere, per uterum Mariæ ſaltem tranſiiſſet. Unde notanter dicunt Theologi orthodoxi, ſemen illud, ex quo Chriſtus natus fuit, prodiiſſe *ex ſanguine & ſubſtantiâ Mariæ*, id

Digitized by Google

id eſt, non eſſe procreatum EX NIHILO ſed EX MATERIA PRÆEXISTENTE, uti ex chao procreatum fuit cœlum & terra. At verò hâc ratione recurrit vetus dubium, quod contra præſervationem & purificationem urgeri ſolet. Si ſubſtantia illa, ex qua procreata eſt maſſa Chriſti, peccato fuit infecta, ſequitur, quod Chriſtus pro ſua ipſius maſſa, ſatis quod eſt, DEO fecerit, quod implicat. Quæ objectio utique & Præſervatianos & Purificatianos & Creatianos poſteriore ſenſu ferit. Jam verò argumentum hoc in ipſo partu emoritur. Primò enim conſtat, amorem benevolentiæ, cujus effectus foret ejuſmodi purificatio, præſervatio vel procreatio, ſatisfactionem antecedaneam haud requirere, cùm aliâs proceſſus in infinitum emergeret, quo abſurdius quicquam haud datur, & ipſa Chriſti ſatisfactio novam rurſus ſatisfactionem, qua hæc promerita fuiſſet, & hæc rurſus novam & ita in infinitum illa rurſus novam præſupponere deberet, quæ omnia miris modis implicant. Porrò ſi Chriſtus ſatisfecit pro maſſa, ex qua ille dein natus eſt, non tamen ſatisfecit pro maſſa *ſuâ*, quod unum hîc ſtringit. Hinc ſcitè HIERON. ZANCHIUS ad JAC. BORDESII quæſtionem: *Num meritum mortis Chriſti fuerit neceſſarium ad carnis ipſius ſanctificationem?* repoſuit: EA CARO NONDUM ERAT CHRISTI. Jam verò non implicat, Chriſtum pro maſſâ aliena ſatisfeciſſe, quam dein per incarnationem ſuam fecerit. Nec

 eſt

Digitized by Google

eſt, quòd ajas, ſatisfactionem ordine naturæ incarnationem ſupponere, utpote quæ ſit ἀποτέλεσμα, cùm conſtet, ſatisfactionem Chriſti non demùm virtutem ſuam exercere cœpiſſe, ubi Chriſtus actu paſſus & mortuus fuit, ſed ut à DEO deſtinatam, ut certò prævisam, ſtatim poſt lapſum hominis tanquàm jam factam à DEO ſuppoſitam fuiſſe vimque ſuam exeruiſſe. At nec velim, illud ſpectrum ut jam & in ſcenam producas, ubi dicitur, ſi purificatio ſtatuatur, dici debere, quòd maſſa Chriſti aliquando peccato ſubjecta & ſerva diaboli fuerit. Benè enim notandum, maſſam illam tùm nondum Chriſti maſſam ſed alienam adhuc fuiſſe. Id quod neſcio cur gratis ſemper ſupponant Viri præſtantiſſimi, qui facilè capiunt, ita omnia ſua argumenta uno hoc halitu difflari. Et verò Φράσεις iſtas ad maſſas ἀνυποστάτους jam extendere nimiam profectò ſubtilitatem, nimiam & arcûs ſcholaſtici intenſionem arguit. Quid quod Chriſti membra & de carne & de oſſibus ipſius ſumus, etſi peccatores actu adhùc ſimus? *Eph.* V. 30. Sed non opus eſt, arbitror, ut reſponſiones cumulemus. Quin nec hoc admittendum, Chriſtum, ſi ex maſſa olim corrupta fuiſſet genitus, legi pro ſe ſubjectum futurum fuiſſe, cùm nemo legi ſubjici poſſit, ἀνυπόστατος qui nondum eſt ὑπόστασιν que nec habet nec habuit. Nec ſequitur quoque, Chriſtum, in Adamo imputativè peccaturum fuiſſe, ſi in Adamo maſſa quædam fuerit, quam

quam inde dein puram ſibi perſonaliter is junxerit. Jam enim (1) perſonæ determinatæ ſaltem peccant, (2) Chriſtus in Adamo *fœderaliter* haud exſtitit, licit *ſeminaliter*, hoc eſt, Adamus peccans Chriſtum haud repræſentavit, (3) aliud eſt maſſa indeterminata, ex qua dein purâ Chriſtus naſcitur, aliud maſſa Chriſti. Denique *τὸ γεννώμενον ἐκ Μαρίας ἅγιον Luc.* I. 35. id ſaltem infert, maſſam Chriſti concepti ſanctam exſtitiſſe, ubi probè notandum, *materiam* Chriſti *remotam*, quæ ſubinde urgetur, nondum, quod ſemper repetendum eſt, pro materia Chriſti tenendam eſſe. Nemo melius, nemo judicioſius totam rem enarravit, Reverendiſſimo D. JÆGERO noſtro, qui in *compendio Theologiæ per fœdera*, in loco de conceptione & nativitate Chriſti p. 401. ita infit: *Si de MODO quæratur, tutius eſt ἐπέχειν, non enim eſſet incarnatio myſterium magnum, ſi etiam modus pateret.* Quæ ſi ita ſe habent, quæſtionem hanc fundamentalem haud eſſe patet, id quod & ex eo vel maximè liquet, quoniam Scholaſticis ea, uti jam omnibus conſtat, originem debet, & inpuras putas logomachias tandem reſolvitur, ubi, ſi à diſſentientibus quæras, quid ſit illa purificatio, illa præſervatio, illa procreatio, quam ſtatuant, vel tandem videre tibi continget, eos in conceptibus generalibus ſatis ſecum invicem convenire. De conceptione Chriſti & id notandum, quod jam ſupra monuimus ſed hîc non ſine ratione repetimus,

timus, Spiritum S. in hoc opere ſe habuiſſe non materialiter & σπερματικῶς, quâ ratione is Pater Chriſti ſecundùm humanam naturam eſſet, id quod implicat, ſed δημιουργικῶς, uti Jo. Damaſcenus de *fide orthodoxâ* L. 3. C. 2. loquitur. Addendum & hoc, ἐπισκιασμὸν illum *Luc.* I. 35. ex Ebræorum חופף explicandum, & per δύναμιν θεοῦ, quæ 1. *Cor.* I. 24. Chriſtus dicitur, Theologos noſtros mox Chriſtum, mox Spiritum S. intelligere. Additur adhuc de conceptione quæſtio otioſa: An in ea ſimul ac in inſtanti effigiatio & expreſſio omnium membrorum corporis Chriſti facta ſit, an verò, ut in aliis hominibus lineamenta membrorum & conformatio ſeſe ſenſim ſenſimque prodiderint, ubi vide ἀκριβείας QUENSTEDII in *ſyſt. theol. P. 3. f. 399. ſqq.* ut taceam quæſtionem illam: an in conceptione Chriſti DEUS vicem Patris ſuſtinuerit & an Chriſtus ideo Filius DEI vocetur, quod miraculoſo modo à Spiritu S. conceptus ſit, ubi orthodoxi contra Socinianos & Remonſtrantes negativam tenent, quam in rem eundem QUENSTEDIUM velim conferas l. c. f. 397. ſqq. ubi & CURCELLÆUS, vir doctiſſimus refutatur, quòd ſtatuit, naturam Chriſti humanam per Spiritum S. in utero Mariæ CREATAM eſſe. Sed hæc de conceptione ſufficiant. Quoad nativitatem quæri ſolet, an beata θεοτόκος utero clauſo vel aperto Chriſtum progenuerit, ubi quidam noſtratium

tium cum Pontificiis & Patribus permultis id affirmant, quidam negant, quidam ἐπέχουσι. Quæſtio itidem otioſa eſt & ad ædificationem nihil confert. De paſſionibus Chriſti jam quæſivimus, num eæ ſolæ ſint ſatisfactoriæ, id quod negavimus, item an ſudor Chriſti in monte olivarum profuſus verè ſanguineus fuerit & an excretio vel effluxus ejus naturaliter vel miraculoſè contigerit. Verè ſanguineum & miraculoſum extitiſſe communis ſententia effert. Textus exſtat *Luc.* XXII. 44. quod comma in codice Alexandrino duobuſque Bodleianis haud exſtare memorat JO. MILLIUS *ad h. l.* imò in pleriſque codicibus Græcis & latinis haud exſtitiſſe ſuo tempore obſervarunt HIERON. *contra Pelag.* L. 2. & HILARIUS de *Trinitate* L. 10. Verùm *id eraſum videtur*, inquit *Eraſmus*, *ab his*, *qui verebantur Chriſto tribuere tàm inſignia humanæ infirmitatis argumenta*, *cùm* Hilarius *etiam doloris ſenſum illi conetur adimere.* Aſt manente textu, alia & difficultas exoritur ex eo petita, quod ſaltem exſtet: *ὡσεὶ θρόμβοι αἵματος*, qua de re STEPH. CLOZIUS in tr. de *ſudore Chriſti ſanguineo* videri poteſt. Jam & Chriſtum in paſſione ſua verè ſenſiſſe dolores infernales orthodoxi ajunt, etſi ab illis ſuperatus & ad deſperationem actus haud fuerit. Ubi hanc quæſo ſalis micam adſperge, mi lector, & credas cave, Chriſtum omnes eos dolores ſenſiſſe, quos damnati in inferno ſentiunt, e. g. deſpe-

Digitized by Google

rationem, vermem conſcientiæ ex blaſphemia maximè oriundum, &c. ſenſit enim Chriſtus ſaltem dolores extrinſecus advenientes propter peccata hominum in ſe ſuſcepta. Valeant ergò Romanenſes, qui ajunt, Chriſtum in parte ſui ſuperiore, h. e. in intellectu & voluntate manſiſſe ἀπαθῆ à ſenſu iræ divinæ, valeant Sociniani, qui ſatisfactionem negant, valeant Remonſtrantes aliique ſive ex noſtris ſive ex Reformatis, queis eadem mens adſcribitur, niſi ii quidem omnes ita ſe explicent, ut dicant, in eo ſaltem Chriſtum ex doloribus infernalibus aliquid ſenſiſſe, quòd gravisſimam DEI iram peccatis incubantem in intimis animæ ſuæ penetralibus ſenſerit. Solent & Viri præſtantiſſimi quærere: an ſanguis Chriſti in circumciſione, crucifixione & alibi effuſus & in terram decidens computruerit vel reaſſumtus ſit? Poſterior Dominicanorum, prior Minoritarum olim ſententia: ſed hæc quidem falſa fuit. Res ita ſe habet, prout HENR. SPONDANUS in *continuatione annal. Baronii ad A. 1462.* refert: *Hoc eodem anno magna quæſtio mota eſt inter fratres minores & Prædicatores de ſanguine Chriſti in triduo paſſionis à corpore ſeparato, utrum divinitati unitus perſeveraverit? Cùm enim apud Brixiam* Jacobus Marchianus, Ordinis Minorum, *die Paſchæ ſermonem ad populum habens inter cætera aſſeruiſſet, pretioſum Chriſti ſanguinem, dum triduo illo jacuit in terrà ſparſus, indignum fuiſ-*

ſe

ſe latria cultu; quoniam fuſus & à corpore Dominico ſeparatus hyp'ſtaticam verbi unionem protinùs amiſiſſet: hoc audiens inquiſitor hæreticæ pravitatis ordinis Prædicatorum illicò Jacobo *præcepit revocare tanquam erronea, quæ dixerat, & interim contrariam ſententiam per unum è ſuis prædicari fecit. Creſcente contentione & ſchiſmate in populo facto nec valente Epiſcopo loci tumultum ſedare, res ad Apoſtolicam ſedem remiſſa eſt. Quâ de re* PIUS II. *eo tempore ſummus* Pontifex *Præfectis ordinum mandavit, doctiſſimos eorum* Theologos *ad curiam mittere, quos in feſto natalis* Domini *audivit diſputantes tribus diebus in palatio Apoſtolico, præſentibus Cardinalibus, Epiſcopis ac divini & humani juris Doctoribus, qui in curiâ erant. Denique poſt triduum, cùm partes, quæcunque voluiſſent, in medium produxiſſent, diſſoluto auditorio, PIUM cum Cardinalibus pleriſque diebus rem tractâſſe: majorem partem ſententiam Prædicatorum approbâſſe, paucos cum Minoribus ſenſiſſe: PIUM quoque cum majori parte fuiſſe ſed non eſſe viſum eo tempore, decretum fieri declarationis, ne multitudo Minorum, cujus erat contra Turcas prædicatio neceſſaria, offenderetur, ac propterea in aliud tempus deciſionem differri placuit. Quam tamen numquam placuit decidere: ſed biennio poſt Anconæ, dum eſſet navigaturus in Turcas Calendis Auguſti* 1464. *die ante obitum decimâ quintâ conſtitu-*

tionem edidit, quâ ad pacem inter illos ordines & in univerſâ Eccleſiâ ſuper hâc quæſtione conſervandam ſtatuit, nulli licere opinionem negantem, ſanguinem Chriſti in triduo paſſionis à corpore ſeparatum divinitati unitum permanſiſſe ut hæreticam proſcribere, donec per ſedem Apoſtolicam, quid in hujuſmodi quæſtione ſentiendum eſſet, definiretur. Hactenus SPONDANUS. Ad deciſionem litis hæc ponderanda ſunt. I. ſanguinem Chriſti, qui tàm pretioſus ſit, corrumpi non poſſe. 1. *Petr.* I. 18. 19. II. maximè, quia aſſumtus fuit in hypoſtaſin Filii DEI quod verò λόγος ſemel aſſumſit, nunquàm depoſuit, III. & quia incorruptibilitatem æternam in nobis operatur, IV. quia porrò & nobis hîc adhinnit *Concilium Ephesinum Can.* XI. ubi incorruptibilitas carnis Chriſti adſtruitur, V. quia ſanguis ille effuſus, qui in ſacra cœnâ nobis præbetur, non eſt corruptus & quæ aliæ ſunt in quæſtione hâc itidem otioſâ determinandâ rationes. Vide Reverendiſſ. D. JÆGERI noſtri tr. de *adventu ſponſoris æterni in carnem* pag. 292. ſqq. Cæterum ubi de paſſionibus Chriſti agitur, non eæ ſaltem jam à nobis urgentur, quæ quippe obedientiam unius ſaltem generis hoc eſt paſſivam efficiunt ſed vel maximè quoq; hîc ut reſpiciatur obedientia activa neceſſum eſt, ſecundùm quam Chriſtus non ſaltem fuit impeccabilis ſed & legem exactè pro nobis, non pro ſe, (erat enim perſona divina & dominus legis, qui legi *pro ſe* ſubjici non potuit,

tuit, uti vel ex terminis patet) quoad omnes perfectiones ſervavit. Nec eſt, quòd anxiè quæras, cur DEUS & illas paſſiones Chriſto influxerit, id quod factum omninò eſt, ut ex unâ parte ſummam ſuam infinitamque erga nos miſericordiam, ex altera ſummum, quo peccatum proſequitur, odium ſummamque, quâ iſtud punit, juſtitiam indigitaret, nosque, qui rei eramus, reatûs pœnæque vinculo, affuſâ Chriſti juſtitiâ, ſolveret virtutemque divinam, ad ſanctificationem noſtram quæ neceſſaria eſt, divino merito partam donare nobis poſſet & denique, ut luculentiſſimum obedientiæ, humilitatis, patientiæ, conſtantiæ atque aliarum virtutum, quæ in paſſione Chriſti tanquàm in ſpeculo luculentiſſimo effulſere, exemplar nobis ſiſteret. De derelictione illâ Chriſti in cruce notandum, eam non in unionis hypoſtaticæ diſſolutione vel ſuſpenſione, ſed in gratioſi Deitatis in humanitatem influxûs vel potius ſenſûs illius ſubtractione & maledictionis iræque divinæ peccatum perſequentis ſenſu exquiſitiſſimo conſtitiſſe. Jam & de morte Chriſti dicamus pauca. Hujus non opus eſt, ut neceſſitatem multis probemus. Vide *Hebr.* IX. 15. 16. Si verò mors Chriſti fuit neceſſaria, una certe gutta ſanguinis Chriſti, œconomiâ hâc divinâ ſemel ſtatutâ, quòd per mortem conſummanda eſſet redemtio, redimendo generi humano ſufficere haud potuit. Conſtitit autem mors Chriſti, ſi Tubingenſium, à quibus hîc tantiſper

WOELF-

WOELFLINUS abit, ἀκρίβειαν ſequi velimus, non in locali διαςάσει, (ubi dici poſſet, animam Chriſti tempore mortis localiter in Paradiſo, ubi certè cum latrone non actu ſaltem perſonæ ſed & naturæ verſata fuiſſe videtur, antequam poſt vivificationem cum corpore localiter in locum damnatorum deſcenderet *Luc.* XXIII. 43. non in ſepulchro fuiſſe, cùm & conſtet, Chriſtum *exſpiráſſe Marc.* XV. 37. *Luc.* XXIII. 46. ſpiritum *emiſiſſe Joh.* XIX. 30. animamque *depoſuiſſe Joh.* X. 17. 18.) ſed ſaltem in λύσει, hoc eſt in libera ſolutione vinculi inter animam Chriſti & corpus, niſi per ſpiritum, quem Chriſtus emiſit, vitalem ſaltem illum, non animam *Jac.* II. 26. & per paradiſum ſtatum magis quàm locum ſpirituum beatorum, vel adeſſentiam animæ Chriſti in paradiſo *actu perſonæ* ſaltem intelligas. Vide THUMMII ταπεινώς. p. 470. ſqq. & WOELFLINI exercit. de *triduo mortis Chriſti*. p. 17. 18. Neque enim omnis mors διάςασιν infert *Phil.* I. 23. aliàs Eutychus *Act.* XX. 9. mortuus non fuiſſet, quia anima ejus in ipſo adhuc, licet jam mortuo, erat, à corpore tamen ſoluta. Unde & eò melius concipi jam poteſt, quî Chriſtus in triduo mortis ſive tribus νυχθημέροις, quorum ſubinde partes ſaltem in morte exegit Salvator, verus homo non quidem æſtimatione communi ſed divina permanſerit. Id quod contra Scholaſticos, Socinianos & ex noſtris, quos tamen abſit ut Socinianiſmi eapropter accuſemus, maximè LUTKEMANNUM & MEISNERUM notan-

Digitized by Google

notandum eſt, qui poſterior tamen ſententiam hanc revocavit. Scilicet & ipſa divinior ſcriptura Chriſtum in triduo mortis hominem dicit *Matth.* XII. 40. *Marc.* XV. 39. *Luc.* XXIII. 47. *Pſalm.* XVI. 9. 10. *Act.* II. 31. *Luc.* XXIII. 52. quia Chriſtus in triduo mortis nihilominus Sacerdos fuit, quia in triduo eodem anima Chriſti atque etiam corpus cum λόγῳ perſonaliter unita fuere, juxta canonem, *quod λόγος ſemel aſſumſit, nunquam depoſuit*, unde & vinculum quidem naturale inter animam & corpus Chriſti, non perſonale inter divinam & humanam naturam ruptum fuit corpuſque Chriſti mortuum ipſum DEI corpus permanſit atque in ὑποστάσει divinâ ſubſiſtere perrexit nullamque corruptionem vidit *Pſ.* XVI. 10. *Act.* II 31. quia denique Chriſtus bis homo factus haud fuit. Jam & *ſubjectum quod* mortis eſt Chriſtus θεάνθρωπος *Act.* III. 15. 1. *Cor.* II. 8. *ſubjectum* verò *quo* eſt humana natura 1. *Petr.* II. 24. IV. 1. Finis mortis Chriſti eſt noſtra à morte liberatio atque ad mortificandas pravas concupiſcentias noſtras excitatio virtutiſque, quâ ad tantum opus idonei eſſe poſſimus, acquiſitio. 2. *Cor.* V. 14. 15. *Hebr.* II. 14. De ἑπομένοις mortis Chriſti ſeu conſequentibus non eſt, quòd multa dicamus, cùm ſcrinia exegetica expilatum jam haud eamus. Denique & ſepultura ad exinanitionem Chriſti pertinuit, cujus notandum vel maximè eſt myſterium, quod eſt peccatorum noſtrorum ſubmerſio *Mich.* VII. 19. & obſignatio

tio *Dan.* IX. 24. noſtri ſpiritualis conſepelitio & mortificatio *Rom.* VI. 4. *Col.* II. 12. ſepulchrorum noſtrorum conſecratio *Jeſ.* LVII. 2. & noſtri vivificatio *Hoſ.* VI. 2. Aſt hæc de exinanitione Chriſti ſufficiant.

§. III.

De exaltatione hæc monenda veniunt. Exaltatio Chriſti (quam Chriſtus exinanitione SIBI haud promeruit *Phil.* II. 9. ubi ἐχαρίσατο exſtat, quæ vox oſtendit, præcedens διὸ non cauſam meritoriam ſed ſaltem conſequentiam inſinuare,) eſt idiomatum divinorum carni communicatorum uſus plenarius, majeſtaticus, manifeſtus tùm quoad actum directum tùm quoad actum reflexum & denique cum donis habitualibus, quibus humana Chriſti natura ornata fuit, & depoſitione formæ ſervilis conjunctus. Vide *Pſ.* VIII. 6. ſqq. *Ebr.* II. 7. *Pſ.* CX. 7. *Act.* V. 31. *Phil.* II. 9. 10. 11. Pertinet hùc vivificatio, deſcenſus ad inferos, reſurrectio, aſcenſio, ſeſſio ad dextram, adventus ad judicium & adminiſtratio regni gloriæ. Vide loca 1. *Pet.* III. 18. 19. *Col.* II. 15. *Eph.* IV. 9. quæ quidem primùm ζωοποίησιν, poſtea verò deſcenſum Chriſti ad inferos deſignare videntur. Et verò per hunc Theologi noſtri nihil aliud intelligunt quàm veram Chriſti in locum damnatorum deſcenſionem, quâ is θεάνθρωπος, jam vivificatus IN LOCUM damnatorum *Matth.* V. 25. *Apoc.* XVIII. 2. XX. 7. 2. *Pet.* II. 4. deſcendit, non ut novos ibi cruciatus pateretur,

Digitized by Google

teretur, vel ut animas ex orco liberaret, ſed ut triumphatorem totius regni infernalis ſeſe ſiſteret. Valeant itaque illi, qui per deſcenſum Chriſti ad inferos vel paſſiones Chriſti & dolores vel ſepulturam vel triumphum ab inferno reportatum ſine deſcenſu intelligunt. Notantur hîc & veteres illi bus, qui ſtatuerunt, Chriſtum impios ab inferis liberâſſe, uti Marcion, Origenes, Clemens Alex. ii rurſus, qui arbitrantur, Chriſtum ſecundùm animam tantùm non ſecundum corpus deſcendiſſe ad inferos, quæ Scholaſticorum & Romanenſium doctrina eſt, denique Reformati, qui per deſcenſum Chriſti ad inferos vel mortem vel ſepulturam. vel effectum & fructum paſſionis & mortis Chriſti deſtructionem ſcilicet regni Satanici, vel cruciatus animæ Chriſti tempore paſſionis, vel in genere exinanitionem Chriſti intelligunt, vel ubi deſcenſum quendam realiorem ſtatuunt, animam ſaltem deſcendiſſe ſtatuunt. Communis, quæ apud nos obtinet, ſententia à LUTHERO in *concione Torgenſi* elata & exinde *Formulæ Concordiæ* invecta fuit. Notandum & hîc eſt, in *Symbolo Apoſtolico*, ubi articulus hic de deſcenſu Chriſti ad inferos exſtat, voce hâc nec paſſionem nec mortem nec ſepulturam ſed aliud quid ſignificari, etſi & id notandum veniat, eundem ſymbolo ſeriùs invectum fuiſſe. Sequitur reſurrectio è mortuis, tertiâ poſt mortem die facta, ubi id vel maximè notandum

venit.

venit, Chriſtum *θεάνθρωπον* ſecundùm humanam quoque naturam ſeipſum ſuſcitâſſe beneficio virtutis vivificatricis, carni ſuæ communicatæ adeoque actu perſonæ. Quod ipſum, qui ex Reformatis inficiantur, ita ſaltem, uti arbitror, res ſuas componunt, ut negent, virtutem hanc carni *πρώτως* & *ἀμέσως* & *καθ' αὑτὸ* competere. Quis enim eſt, qui per *συνδύασιν* illam carni competere negaverit, niſi qui unionem perſonalem ſolverit? Vide *Joh.* II. 19. V. 26. X. 17. 18. *Rom.* I. 3. Sed non eſt & hîc, quòd multum litigemus atque abſtractionibus, queis opus non eſt, indulgeamus. Corpus Chriſti, quod reſurrexit, eſt *Corpus gloriæ* ſpiritualibus qualitatibus hoc eſt, donis habitualibus veſtitum. *Phil.* III. 21 Conſtat &, Chriſtum ex ſepulchro clauſo prodiiſſe *Matth.* XXVIII. 2. niſi Chriſtum ex eodem prodiiſſe tùm demùm dixeris, ubi Angelus lapidem ſepulchro devolvit, quæ Reformata mens eſt, qui & negant, Chriſtum per januas clauſas ad diſcipulos introiiſſe. Denique notandum, reſurrectionem ad ſatisfactionem haud pertinere, quæ in morte conſummata fuit, nec vicariam fuiſſe. Hinc Chriſtus ob juſtificationem noſtram reſurrexiſſe dicitur non tàm ratione acquiſitionis quàm potius confirmationis, manifeſtationis & applicationis, etſi per reſurrectionem ſuam nobis fidelibus & noſtram, non in abſtracto, ſed glorioſam omninò meruerit.

Vide

Digitized by Google

Vide 1. *Cor.* XV. 20. ſqq. Vide hîc objectiones ſolutas à ven. Parente noſtro ad *Synopſin Thummianam.* p. 388. Poſt vivificationem, deſcenſum in τῷ inferorum localem, reſurrectionemque & ejuſdem ἑπόμενα memoranda jam venit aſcenſio, ubi Chriſtus è monte oliveti virtute propriâ & divinâ carni itidem communicatâ elevatus in cœlum adſpectabile primum οἰκονομικῶς, dein in ſedem beatorum, poſtea in cœlum gloriæ divinæ illocale & ἀχειροποίητον *Hebr.* IX. 24. glorioſè ingreſſus & ſupra omnes cœlos evectus eſt. *Joh.* XIV. 2. *Epheſ.* IV. 8. 9. 10. *Act.* I. 9. *Ebr.* IX. 24. *Marc.* XVI. 19. *Hebr.* VII. 26. Notandum verò eſt, aſcenſionem Chriſti abſentiam naturæ humanæ in terris quidem ſed nonniſi localem, nonniſi naturalem, nonniſi viſibilem inferre, cùm conſtet, eam jam in UBI DEFINITIVO, quale ſedi beatorum convenit, eſſe, & in UBI LOCALE, quando in nubibus Chriſtus ad judicium veniet, reverſuram, at & eidem omnipræſentiam divinam, quæ eſt heic λόγος ipſe, per communicationem eamque ςυνδυαςικὴν prorſus competere. Hinc ajunt Viri præſtantiſſimi, exſtare *Eph.* IV. 10. Chriſtum *aſcendiſſe ſupra omnes cœlos*, *UT OMNIA*, non, quæ de illo prædicta erant, quæ tamen interpretatio utique non abſurda eſt, ſed ut OMNIA ΠΟΤ *impleret* repleretque, ut locum

 nobis

nobis pararet *Joh.* XIV. 2. ſqq. paradiſum *Apoc.* II. 7. III. 7. viamque aperiret adeundi ſancta *Hebr.* X 19. 20. advocatus pro nobis compareret *Hebr.* IX. 24. Spiritum S. effunderet *Eph.* IV. 8. *Pſalm.* LXVIII. 19. & dona Eccleſiæ conferret *Eph.* IV. 8. *Pſalm.* LXVIII. 19. Quæ ipſa dum ponimus, paucis contra Socinianos & GUIL. WHISTONUM notamus, Chriſtum nec bis nec ſæpius in cœlos aſcendiſſe. Jam & memoranda venit ad dextram ſeſſio, non ſanè ea, quæ in genere dicit omnipotentiæ divinæ idioma carni Chriſti ad poſſeſſionem, USURPATIONEM & denominationem inde à primo conceptionis momento communicatum, vi cujus communicationis Chriſtus homo inde à primo conceptionis momento Eccleſiam omneſque creaturas cum Patre *Joh.* V. 17. licet latenter, tamen omnipotenter gubernavit, ſed illa ad dextram ſeſſio, juxta quam Chriſtus exaltatus ſecundum naturam quoque humanam virtute eâdem infinitâ, quam in primo incarnationis momento ea accepit, ſuper omnes creaturas in regno potentiæ, gratiæ & gloriæ MAJESTATICE & GLORIOSE regnat *Marc.* XVI. 19. *Rom.* VIII. 34. *Eph.* I. 21. ſqq. *Ebr.* I. 13. II. 8. VIII. 1. X. 12. 1. *Petr.* III. 21. 22. Scilicet ſedere ad dextram DEI, quæ ejus omnipotentia adeoque ubique & illocalis eſt *Hebr.* I. 3. *Luc.* XXII. 69. *Hebr.* VIII. 1. *Eph.* 21. eſt regnare, interprete Paulo Apoſtolo 1. *Cor.*

XV.

Digitized by Google

XV. 25. Adde *Pſalm.* CX. 1. Hinc errant, qui ex Pontificiis per dextram DEI beatitudinem æternam vel proximum à DEO honorem, vel adminiſtrationem Eccleſiæ Chriſto traditam, & ex Reformatis certam loci in cœlo occupationem, quâ ratione Chriſtus ad judicium extremum abiens dextram DEI relicturus eſſet, vel itidem proximum à DEO honorem, cujus ἐπώμενον fuerit dignitas & ſupereminentia ſuper omnes creaturas, intelligunt. Jam autem ad hanc dextram Patris, non ſuam, ſed characteriſatam illam, cui nulla reſpondet ſiniſtra, (at verò Filio hominis dextra & ſiniſtra tribuitur *Matth.* XXV. 33. ubi per dextram Chriſti potentia ejus ſalvans, per ſiniſtram condemnans intelligitur) conſedit humana Chriſti natura, *Marc.* XIV. 62. XVI. 19. *Matth.* XXVI. 63. ſqq. *Act.* V. 30. 31. II. 36. ſed χάριτι θεοῦ *Phil.* II. 9. vel latenter & ſub forma ſervi, quod ad ſtatum exinanitionis pertinet, vel glorioſè & majeſtaticè, id quod exaltationis κριτήριον eſt. Scilicet Chriſtus jam ad dextram DEI Patris in ſtatu exinanitionis licet latenter ſedit, *Matth.* XXVI. 64. *Luc.* XXII. 69. Sedit enim, antequam inimici poſiti eſſent, quod in morte factum, ubi clamavit: CONSUMMATUM EST. Sedit porrò, ubi de torrente in via bibit, i. e. ubi paſſus eſt. *Pſalm.* CX. 1. 7. Vide omninò *Form. Conc.* p. 608. 764. De adventu glorioſo ad judicium, qui tàm non abſentem jam terris Chriſtum hominem deſignat, quàm non abſen-

ſentiam DEI id infert, quando de ipſo dicitur, QUOD VENIAT, id quod præſentiæ divinæ per opus quoddam ſingulare manifeſtationem ſaltem innuit, itemque de regimine gloriæ in vita beata olim exercendo infra dicendi occurret locus. At verò JO. SCHROEDERI *thronum & ſceptrum regale* hîc omnino conferri velim.

§. IV.

Quod reſtat, id jam operæ agas, lector, oportet, ut, qui exinanitum Salvatorem, qui humiliatum illum & humilem, qui paſſionibus diriſſimis cruciatum, qui morti traditum illum conſpicis, DEO gratias reddas, quòd vicaria morte iſta juſtitiæ ſuæ, quæ te peccatorem puniturie bat, ſatis quod eſt, fieri paſſus fuerit, ut peccatum, quòd tantos Chriſto dolores intulit, cane pejus & angue vites & carnem tuam cruci & ipſe affigas voluptateſque tuas, quantum quidem potes, morti tradas enerveſque, ut humilitatem illam, ut paupertatem illam, ut manſuetudinem illam, ut patientiam illam, ut reſignationem illam, ut obedientiam illam, quam in JESU Salvatore conſpicis, omnibus viribus imitere & imagini Salvatoris exinaniti *σύμμορφον* te reddas, qui & ſimilis ei in exaltatione evadere cupis. En quid Paulus ajat, qui paucis verbis uſum articuli hujus practicum nobis innuit. Futuri ſumus, ait, *heredes DEI & coheredes Chriſti, ſi cum ipſo patiamur, ut & cum ipſo glorificemur. Rom.* VIII. 17. Scilicet, quicquid in Chriſto obſervaveris,

Digitized by Google

taveris, capite tuo, *in te* quoque opus eſt, ut peragatur. Chriſtum in utero Mariæ conceptum fuiſſe noſti. Jam tu age, O mi, ut & Chriſtus in te *effigietur. Gal.* IV. 19. Ejuſdem porrò nativitatem celebras. Nonne verò & tu renaſci novamque & ſanctiorem vitam ita induere debes, ut beata in cœlis regna ingrediare? Chriſtus crevit ut ætate, ita ſapientia, ita corporis habitu. Tu operam da, ut vita tua ſpiritualis, quam in regeneratione nactus es, creſcat, donec fias *vir perfectus in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti. Eph.* IV. 13. Chriſtus paſſus fuit. *Jam Chriſto pro nobis in carne paſſo eadem cogitatione, iiſdem armis & nos induamur,* oportet, hoc eſt, nobis quoque patiendum eſt, id quod per mortificationem voluptatum fit, *qui enim* ita *in carne patitur, ceſſat à peccato.* 1. *Petr.* IV. 1. 2. Chriſtus mortuus & ſepultus fuit. Morere & tu veteremque Adamum tuum crucifige, & in ſepulchrum eum reconde, ut corpus peccati deſtruatur & in pulverem abeat. *Rom.* VI. 3. ſqq. Chriſtus vivificatus fuit Spiritu & reſurrexit. Eja vive & tu, ſed DEO vive. *Rom.* VI. 11. *Eam* enim *ob rem pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, ut, qui vivunt, non ſibimetipſis vivant ſed illi, qui pro ipſis mortuus eſt & reſurrexit.* 2. *Cor.* V. 15. Atque hoc illud eſt, quòd *Phil.* III. 10. exſtat, *cognoſcere* Chriſtum & *virtutem reſurrectionis ejus & communionem paſſionum ejus.* Tanta ſanè

eſt hæc virtus, quanta ad mutationem noſtram ſpiritualem, ad corporum noſtrorum reſuſcitationem, ad beatarum olim ſedium gloriæque ſummæ, ad quam mentis noſtræ cogitatione aſſidua devicto prius & triumphato Satana mundique pompis omnibus inſuper habitis ſemper *adſcendere* debemus *Col.* III. 1. ſqq. acquiſitionem, ad dignitatem denique poteſtatemque quæ in cœlis nobis reſervatur, nanciſcendam ſufficit. Infinita enim ea eſt atque omni ex parte longè perfectiſſima. Age itaque & virtute hâc mactus ſimilis Salvatori optimo evade & deinde ſolatiis luculentis, quæ articulus hic tibi præbet, mentem tuam jugiter ſatia atque perfunde.

CAP. VII.

DE VOCATIONE ET EVANGELIO.

§. I.

QUi ſalutem per Chriſtum Redemptorem *acquiſitam* nobis vidimus, jam, quî eadem & *applicetur*, noſſe quoque debemus. Quod dum ponimus, nemo non

Digitized by Google

non ſtatim conſpicit, doctrinam de ordine, quo ſalus nobis confertur, in Theologiâ præcipuam planè eſſe, quam benè imbibere atque ſolidè intelligere conveniat. Agedum itaque, de *ordine ſalutis* mentem jam noſtram candido & practico planè ſtylo (neque enim ad nudæ theoriæ decempedam tractari hæc amant) dicenda efferamus.

§. II.

DEUS gratiam per Redemtorem partam homini lapſo pro infinitâ miſericordiâ, quâ fulget, applicaturus eum VOCAT & quidem PER EVANGELIUM VOCAT *Rom.* VIII. 30. Vides jam, lector benevole, cur de vocatione & Evangelio hîc primùm agamus. Jam vocatio hæc pro fundamento habet & miſericordiam DEI erga homines lapſos & meritum Chriſti, quo ſalus ipſis acquiſita eſt, ita, ut quemadmodum & miſericordia divina & meritum Chriſti ad univerſitatem hominum ſpectat, ita & vocatio univerſalis ſit. Eſt autem vocatio (jam enim diſtinctiones, quæ in hoc argumento obtinent, primùm nobis exponendæ veniunt) vel *naturalis* aut indirecta vel *ſupernaturalis* & directa. Illa eſt, quæ per lumen naturæ inſufficiens profectò illud nullâque luminis gratioſi ſupernaturalis præſtantiâ ordinariè tinctum, cujus ratio egregiè ab H. WITSIO in *œcon. fœd. DEI L.* 3. *C.* 5. §. 8. *ſqq.* depingitur, & *ſubinde quoque* per famam Chriſtianiſmi, quam ad gratiam DEI prævenientem ſunt qui referant, ſeſe exerit, hæc quæ per prædicationem Evangelii

externam famamve Chriſtianiſmi penitiorem fit & *ſubinde quoque* per internam Spiritûs S. illuminationem ſeſe manifeſtam reddit. Rurſus vocatio eſt vel *ordinaria* per verbum vel *extraordinaria* per verbum & miracula aut diſpenſationem gratiæ extraordinariam, vel *immediata*, ubi DEUS ſine miniſtris vocat, qualis ea fuit, quâ ii vocati fuere, qui Chriſtum ipſum audivere, vel *mediata*. Aſt hæc facilia ſunt. Quid verò jam eſt, quòd de cauſâ efficiente, quæ DEUS Unitrinus eſt, & movente ſive interna, quæ eſt DEI miſericordia 2. *Tim.* I. 9. ſive externâ, quæ hominum ſalus eſt, de cauſâ item meritoriâ, quæ eſt Chriſtus *Eph.* I. 4. de cauſâ denique miniſteriali, qui ſunt Miniſtri Eccleſiæ & ſuo modo quivis alii Chriſtiani, de cauſâ organica, quæ eſt externa verbi prædicatio, de termino à quo, qui eſt ſtatus peccati & miſeriæ *Eph.* II. 12. IV. 18. & termino ad quem, qui eſt communio cum æterna Chriſto & ſalus *Jeſ.* XLV. 22. 1. *Petr.* II. 9. *Gal.* I. 4. 1. *Joh.* I. 3. *Hebr.* XII. 22. ſqq. longam tractationem denſemus? Tàm clara enim hæc, tàm perſpicua atque tàm evidentia ſunt, ut non opus ſit, chartam haud neceſſariâ ſcriptione hic onerare. Præcipuum eſt, ut, quî hæc vocatio fiat, ad quos illa fiat & facta ſit, & quâ in re conſiſtat, ſed breviſſimis ſaltem dicamus. Scilicet vocatio hæc & objectiva & ſubjectiva, & externa & interna eſt. Qui enim per verbum ſuum nos externe vocat,

Matth.

Digitized by Google

Matth. XXVIII. 19. is ſanè & per ſpiritum ſuum, qui cum verbo intimè unitus eſt, nos illuminat, caſtigat, docet, monet, excitat, ſolatur, is voluntatem ſuam in intimis mentis ac conſcientiæ noſtræ receſſibus revelat, is cœleſti heic ſibique propriâ vi in animos noſtros ruit eoſdemque de miſeriâ ſuâ deque converſionis veræ neceſſitate convincit, is capita noſtra divinâ ſuavitate demulcet atque amoris ſui ſummi guſtu plurimùm perfundit mentemque ſuam & officia noſtra & præſtantiam Chriſtianiſmi ſummam tàm vivis coloribus intus in animis noſtris depingit, ut non poſſimus non in rerum tàm pulchrarum executionem deſcendere atque ad Dominum tàm amabilem, qui & ipſe SUMMUM BONUM eſt, relictis mundi pompis & voluptatibus nos ex toto pectore convertere. Atque hic eſt ille Patris TRACTUS, quo ad Filium ducimur *Joh.* VI. 44. Hæc eſt gratia iſta ſalutaris, παιδεύουσα illa *Tit.* II. 12. Hoc eſt divinum illud lumen, divina illa virtus, qua cor noſtrum tangitur, ubi in nobis compunctio, ubi fides, ubi motus ſpirituales, quibus vertimur toti atque mutamur, gignuntur, & ſpiritualis quædam πειθανάγκη nobis adfertur. Vide 2. *Cor.* IV. 6. *Eph.* I. 18. ſqq. V. 14. *Act.* XVI. 14. *Jerem.* XXXI. 33. Cæterùm nolim, vocationem internam hanc externæ opponi. Subordinanda hæc ſunt, quod probè notes velim, mi lector, non opponenda. Scilicet, qui-

Digitized by Google

cunque externè vocatur, ſeriò vocatur, atque adeò & internè vocabitur, niſi obicem ponat, etſi diſpenſatio graduum, queis internæ vocationis præſtantia floret, liberæ divinæ œconomiæ ſit. Cave itaque diſtinguas heic inter voluntatem *ſigni & beneplaciti*, *revelatam & arcanam*, ac ſi DEUS aliter loqueretur, aliter cogitaret. Non ea mens eſt ſinceriſſimo DEO, qui ipſa veritas, qui DEUS AMEN eſt. Melius diſtingui videas cum JO. DAMASCENO in voluntatem *antecedentem*, quæ omnem hominis lapſi metum antecedit atque gratiam univerſis offert, & *conſequentem*, quæ converſionem hominis vel reſiſtentiam conſequitur eſtque adeò particularis vel gratioſa & prædeſtinans, vel judiciaria & reprobans ſive damnans. Ita ſanè & diſtinguitur inter voluntatem DEI *abſolutam & ordinatam*. *Illa* eſt, qua DEUS ex ſeſe ſimpliciter aliquid vult & facit, ſine prærequiſita conditione aut citra reſpectum extrinſecum alterius cauſæ vel rationis intervenientis, quomodo abſolutè voluit & vult creare & conſervare mundum, imò media ſalutis ordinare, Filium ad redimendum genus humanum mittere, omnes per Evangelii prædicationem ad Eccleſiæ communionem vocare &c. hæc enim non ſuſpenduntur ab hominis fide, *hæc* verò eſt, qua non ſimpliciter ſed ſecundùm quid & ſub certa prærequiſita conditione aliquid vult, quod abſente & non adimpleta conditione non fit. Sic DEUS ab æterno non voluit nos abſo-

lutè

Digitized by Google

late ſalvare ſed in certo ordine, ut credamus in Chriſtum. Adeòque *abſolutum* non tantùm opponi conſuevit *hypothetico* vel conditionato ſed etiam ordinato & τάξει aliqua definito, quemadmodum contra Reformatos vulgò notamus, electionem haud abſolutam eſſe, quia τάξιν fidei includit. Nec tamen & id, quod abſolutum eſt, ſine ulla prorſus τάξει eſt. Quicquid enim DEUS patrat, id attributorum ſuorum virtute inductus patrat. Ita, ubi mundum creavit, εἰς ἔνδειξιν gloriæ & bonitatis & majeſtatis & ſapientiæ ſuæ illum creavit. Ita porrò, ubi lapſi humani generis miſertus eſt Filiumque miſit, qui pro eodem ſanguinem expiatorium funderet, miſericordia infinita, quam miſerrimus poſt lapſum ſtatus noſter (unde & voluntatis *abſolutæ* externæ cauſæ eſſe poſſunt) in ipſo excitavit, actus ad iſtum amorem ſummum provolavit. Hæc ſola eſt diſtinctio, quòd in voluntate abſoluta τάξις illa eſſentialis in DEO ſit, in ordinata τάξις illa in homine ut implenda & in actum deducenda requiratur. Adde JO. HULSEMANNI *vindicias Script. S. artic. XI. § 35.*

§. III.

Vocatio eſt univerſalis. Tùm ratione intentionis divinæ, DEUS enim omnes ſalvare vult 1. *Tim.* II. 4. *Tit.* II. 11. 2. *Petr.* III. 9. omneſque ſe vocaturum jam olim promiſit *Pſalm.* II. 8. LXXII. 8. *Jeſ.* II. 2. 3. XI. 9. XLII. 4. 10. 11. LIX. 19. LXVI. 18. 19. *Zeph.* III. 9. 10.

10. *Zach.* IX. 10. XIV. 9. *Mal.* I. 11. tùm ratione mandati divini & factæ executionis tempore Adami, Noachi & Apoſtolorum. *Matth.* XXIV. 14. XXVIII. 18. 19. *Marc.* XVI. 15. 20. *Act.* XVII. 30 31. *Rom.* X. 18. *Col.* I. 6. 23. ut ampliſſima Juſtini M. Irenæi, Tertulliani, Arnobii, Hieronymi, Chryſoſtomi & Theodoreti teſtimonia hiſtorica hùc facientia & à VVITSIO *Miſc. ſacr.* T. 2. Ex. 15. §. 9. coacervata taceamus, quæ tamen omnia ſalis reſtrictioniſque micam, quam mox adſpergemus, utique accipiunt. Ait quippe AMBROSIUS *in Rom.* X. *Ubique audita eſt & pervenit in omnem locum prædicatio nominis Chriſti. Ubi enim præſentia hominis prædicantis defuit, ſonus tamen & fama pervenit.* Quod verò DEUS non omni tempore omnes gentes omniaque ac ſingula individua per verbi prædicationem actu vocat & quoad vocationem iſtam ſubjectivam, quæ per Spiritum S. intus in animis noſtris fit, gratiamque itidem revocatricem tanta obſervatur diſpenſationis inæqualitas, quòd & Verbum Evangelii ſemel juſtè ablatum non ſemper reſtituitur, id arcano & impervestigabili DEI judicio committunt Theologi, maximè, cùm conſtet, DEUM neminem niſi pro menſurâ vocationis tùm naturalis tùm ſupernaturalis olim judicaturum, nec œconomiæ divinæ omnes nobis ex toto pateant. Jam verò notum eſt, Reformatis hanc mentem communiter ſtare, quòd vocatio non ſit

Digitized by Google

ſit univerſalis, ſed ſaltem eorum, qui actu ſalventur. Ubi ſanè ab iis omnibus, quicunque dixerint, voluntatem DEI omnes ſalvandi haud eſſe ſeriam atque vocationem externam ſubinde internæ opponunt, hactenus modeſtè recedimus, qui de DEO optima quæque heic cogitamus & præſtantiſſimis ſacri codicis effatis hic inhæremus. Vide *Matth.* XXIII. 37. *Act.* VII. 51. *Hebr.* VI. 4. ſqq. X. 26. 2. *Petr.* II. 20. ubi profectò non de gratiâ ſaltem objectivâ, cui reſiſti poſſe Viri inſignes ajunt, ſed & ſubjectivâ, ubi id negant, quæſtio eſt. Si verò Viri doctiſſimi nihil aliud velint, quàm Evangelium nec ubique olim prædicatum fuiſſe, licet ubique, nullo locorum populorumve diſcrimine habito, ubi ita ſors tulit, prædicatum fuerit, nec hodie ubivis prædicari, non eſt, quòd ab iis diſſentiamus. Nec ſanè difficultatem hanc tollit id, quod de *famâ Evangelii*, quæ totum ſemper pervaſerit mundum atque ad omnia individua pervenerit, dicitur. Jam enim, quî hoc probari poſſit, haud videmus, maximè, ſi, uti par eſt, fama hîc vera & incorrupta nullâque ſuperſtitione taminatâ aut alio quodam defectu haud laborans intelligenda ſit. Quam enim quæſo famam Evangelii credideris eam eſſe, quæ e. g. à Chriſtianiſmo apud Sinenſes plantato ſpargitur, quæ inadæquata eſt & cum famâ de ſuperſtitionibus ineptiſſimis vitiiſque apud Chriſtianos ubique graſſantibus combinata, num quæſo exiſtimaveris, eum, qui famæ huic haud manus

dederit,

dederit, ob incredulitatem olim damnatum iri? Nec illud quoque hîc urgendum pro univerſalitate vocationis venit, omnes ſaltem IN MAJORIBUS SUIS vocatos eſſe, quorum ob peccata Evangelii lux dein ablata poſteris fuerit atque his adeò neceſſitas incredulitatis impoſita, cùm ſine culpâ propriâ ut quis pereat, DEI juſtitia profectò haud permittat. Hinc non eſt nulla iſta, quæ oggeritur, quæſtio, quî cum univerſalitate amoris DEI erga omnes homines, quî cum univerſalitate meriti Chriſti particularitas vocationis conveniat. Ubi hi quidem, qui **ἀποκατάςασιν πάντων** ſtatuunt & poſt mortem œconomiam ſalutis continuari dicunt, nodum quidem illicò vel ſecant vel ſolvunt, ſi ſaltem claris divinarum literarum effatis ſua probare quirent. Nos, uti aliâs, ubi lucem videre haud datur, hîc IGNORANTIAM noſtram fatemur, idque & hîc repetimus, DEUM, juſtum judicem, ob incredulitatem neminem olim damnaturum niſi qui Evangelium audiverit, infinitosque olim fore ſalutis & damnationis gradus juſtiſſimè pro menſurâ luminis, quo quiſque colluſtratus, vel tenebrarum invincibilium, queis obſeptus fuit, diſpenſandos, etſi nec heic DEO voluntatis ſuæ arcana in ſcripturis ſuis latius nobis explanare placuerit, quo in caſu curioſitatem ut coërceamus noſtram, convenit, atque ad futuram vitam, quæ huic non patent, reſervemus. Vide & *primitias* noſtras *Tubingenſes* P. I. pag. 90. ſqq.

Digitized by Google

90. ſqq. ubi hiſtoriam dogmaticam articuli hujus de vocatione delineavimus, & adde diſſertationes HERM. WITSII de *Evangelio Americanis prædicato vel non prædicato Miſc. Sacr.* T. 2. Exerc. 13. 14. p. 400. ſqq. itemque, quæ ſupra p. 17. 18. poſuimus.

§. IV.

Quum verò vocatio fiat per Evangelii prædicationem, non incommodo loco hîc, de *Evangelio* quæ dicenda ſunt, inſpergemus. At nec ſilenda penitus *lex* eſt, cujus uſus in vocatione hominum, uti ſupra ſuo loco oſtendimus, *elenchticus* & *pædagogicus* eſt itemque *indicativus* atque *regulativus*, quorum prior vel maximè in reſipiſcentiâ & contritione, poſterior in ſanctificatione hominis ſeſe oſtendit. Propriè verò vocatio *per Evangelium* fit, quod ipſum eſt annunciatio gratiæ divinæ, per quam ſalus æterna nobis affertur, ſi Chriſto ſpirituique ipſius nos convertendos ſanctificandoſque verâ fide tradiderimus. Definitio habetur *Rom.* I. 16. Adde *Marc.* I. 4. 14. XVI. 16. *Luc.* II. 10. *Joh.* III. 16. *Act.* X. 43. XIII. 32. *Rom.* III. 24. 1. *Cor.* VI. 11. Hoc Evangelium in veteri jam Teſtamento hominibus fuit annunciatum, id quod contra Pelagianos, Socinianos & Remonſtrantes notare Theologi ſolent. Jam enim de Protevangelio, de promiſſionibus Patriarchis factis, de fide Davidis & Jobi & Prophetarum ampliſſima ubique loca habemus, quæ jam haud conglome-

glomerabimus vel repetemus. Ipſius Decalogi exordium eſſe Evangelicum orthodoxi monent. Taceo traditionem veteris Eccleſiæ Judäicæ, quæ doctrinam de Meſſiâ explicatius, quàm litera ſcripta tradidit, id quod tamen differentiam luminis ſummam, quæ in Vet. & N. Teſtamento hîc conſpicitur, oſtendit. Jam verò ordinata eſt iſta, quæ per Evangelium fit, vocatio certamque τάξιν infert. SINE FIDE enim nemo ſalvatur, quæ eapropter ſubinde *conditio* Evangelica quibuſdam eſt ſive conditio medii, non conditio operis aut meriti, quæ penitùs hîc & cum curâ eliminanda venit, ne ex fœdere gratiæ fœdus operum ſic emergat ſuoque merito proprio is, qui credit, ſic inhiet exiſtimetque, *operantem juſtificari* contra *Rom.* IV. 5. Et profectò id probè tenendum eſt, in Evangelio *gratiam gratuitam* annunciari, omneque meritum, omnem operum conditionem, meritoriam illam, excludi *Rom.* III. 24. *Gal.* III. 18. *Eph.* II. 8. Jam & notandum, Evangelium, uti rectè monent libri noſtri Symbolici, non eſſe concionem pœnitentiæ, arguentem peccata, id quod legis proprium officium eſt, ſed eſſe promiſſionem gratiæ divinæ. Quemadmodum autem lex *per accidens* ad Chriſtum atque ad fidem Evangeliumque ducit, ipſamque etiam incredulitatem, quâ impii Chriſtum Evangelium reſpuunt, damnat, ita & annunciatio gratiæ divinæ, quæ eſt

Digitized by Google

eſt Evangelium, *per accidens* reſipiſcentiam in animo pœnitentis operatur. Lex enim compunctionem evangelicam, quæ ſola veram reſipiſcentiam infert, operari apta non eſt, utpote quæ ſibi relicta non niſi iram operatur, deſperationem operatur, mortem operatur, unde & miniſterium mortis vocatur 2. *Cor*. III. 7. Ubi verò quis non ex metu pœnæ, quam lex annunciat, ſed ex profundo quodam dolore, quo ſtultitiam ſuam plangit atque deplorat, quâ hactenus DEUM, omnis boni & omnis ſalutis atque beatitudinis verum fontem dereliquerit, DEUM illum, qui tantis totque gratiæ ſuæ donis hactenùs ipſum beaverit, ubi inquam quis dolore iſto, & pudore, quo dein ſeipſum damnat, actus reſipiſcit, aliam mentem ſibi induit atque peccato bellum indicit illudque ſequeſtrat & in exilium agit, ibi vera, ſolida, ſeria, conſtans & beata reſipiſcentia, μετάνοια illa ſive *tranſmentatio* & mentis mutatio, quam Chriſtus, quam Apoſtoli tantoperè olim comendârunt, utramque paginam facit, ibi locum illa reſipiſcentia obtinet, quam non natura ſed gratia Spiritusque ſanctus operatur. Evangelium itaque peccata quidem non arguit *per ſe* uti lex, ſed tamen *per accidens* atque ita arguit *Tit*. II. 12. ut ſimul virtutem maximam divinamque conferat, quâ te vertere totum, quâ voluptates tuas abnegare, quâ peccata tua jugulare, quâ cœleſtem & ſanctam mentem induere, quâ converſationis alias eaſque præſtantiſſi-

cunque externè vocatur, ſeriò vocatur, atque adeò & internè vocabitur, niſi obicem ponat, etſi diſpenſatio graduum, queis internæ vocationis praſtantia floret, liberæ divinæ œconomiæ ſit. Cave itaque diſtinguas heic inter voluntatem *ſigni* & *beneplaciti*, *revelatam* & *arcanam*, ac ſi DEUS aliter loqueretur, aliter cogitaret. Non ea mens eſt ſinceriſſimo DEO, qui ipſa veritas, qui DEUS AMEN eſt. Melius diſtingui videas cum JO. DAMASCENO in voluntatem *antecedentem*, quæ omnem hominis lapſi motum antecedit atque gratiam univerſis offert, & *conſequentem*, quæ converſionem hominis vel reſiſtentiam conſequitur eſtque adeò particularis vel gratioſa & prædeſtinans, vel judiciaria & reprobans ſive damnans. Ita ſanè & diſtinguitur inter voluntatem DEI *abſolutam* & *ordinatam*. *Illa* eſt, qua DEUS ex ſeſe ſimpliciter aliquid vult & facit, ſine prærequiſita conditione aut citra reſpectum extrinſecum alterius cauſæ vel rationis intervenientis, quomodo abſolutè voluit & vult creare & conſervare mundum, imò media ſalutis ordinare, Filium ad redimendum genus humanum mittere, omnes per Evangelii prædicationem ad Eccleſiæ communionem vocare &c. hæc enim non ſuſpenduntur ab hominis fide, *hæc* verò eſt, qua non ſimpliciter ſed ſecundùm quid & ſub certa prærequiſita conditione aliquid vult, quod abſente & non adimpleta conditione non fit. Sic DEUS ab æterno non voluit nos abſolutè

Digitized by Google

latè ſalvare ſed in certo ordine, ut credamus in Chriſtum. Adeòque *abſolutum* non tantùm opponi conſuevit *hypothetico* vel conditionato ſed etiam ordinato & τάξει aliqua definito, quemadmodum contra Reformatos vulgò notamus, electionem haud abſolutam eſſe, quia τάξιν fidei includit. Nec tamen & id, quod abſolutum eſt, ſine ulla prorſus τάξει eſt. Quicquid enim DEUS patrat, id attributorum ſuorum virtute inductus patrat. Ita, ubi mundum creavit, εἰς ἔνδειξιν gloriæ & bonitatis & majeſtatis & ſapientiæ ſuæ illum creavit. Ita porrò, ubi lapſi humani generis miſertus eſt Filiumque miſit, qui pro eodem ſanguinem expiatorium funderet, miſericordia infinita, quam miſerrimus poſt lapſum ſtatus noſter (unde & voluntatis *abſolutæ* externæ cauſæ eſſe poſſunt) in ipſo excitavit, actus ad iſtum amorem ſummum provolavit. Hæc ſola eſt diſtinctio, quòd in voluntate abſoluta τάξις illa eſſentialis in DEO ſit, in ordinata τάξις illa in homine ut implenda & in actum deducenda requiratur. Adde JO. HULSEMANNI *vindicias Script. S. artic. XI. § 35.*

§. III.

Vocatio eſt univerſalis. Tùm ratione intentionis divinæ, DEUS enim omnes ſalvare vult 1. *Tim.* II. 4. *Tit.* II. 11. 2. *Petr.* III. 9. omneſque ſe vocaturum jam olim promiſit *Pſalm.* II. 8. LXXII. 8. *Jeſ.* II. 2. 3. XI. 9. XLII. 4. 10. 11. LIX. 19. LXVI. 18. 19. *Zeph.* III. 9. 10.

10. *Zach.* IX. 10. XIV. 9. *Mal.* I. 11. tùm ratione mandati divini & factæ executionis tempore Adami, Noachi & Apoſtolorum. *Matth.* XXIV. 14. XXVIII. 18. 19. *Marc.* XVI. 15. 20. *Act.* XVII. 30 31. *Rom.* X. 18. *Col.* I. 6. 23. ut ampliſſima Juſtini M. Irenæi, Tertulliani, Arnobii, Hieronymi, Chryſoſtomi & Theodoreti teſtimonia hiſtorica hùc facientia & à VVITSIO *Miſc. ſacr.* T. 2. Ex. 13. §. 9. coacervata taceamus, quæ tamen omnia ſalis reſtrictioniſque micam, quam mox adſpergemus, utique accipiunt. Ait quippe AMBROSIUS *in Rom.* X. *Ubique audita eſt & pervenit in omnem locum prædicatio nominis Chriſti. Ubi enim præſentia hominis prædicantis defuit, ſonus tamen & fama pervenit.* Quod verò DEUS non omni tempore omnes gentes omniaque ac ſingula individua per verbi prædicationem actu vocat & quoad vocationem iſtam ſubjectivam, quæ per Spiritum S. intus in animis noſtris fit, gratiamque itidem revocatricem tanta obſervatur diſpenſationis inæqualitas, quòd & Verbum Evangelii ſemel juſtè ablatum non ſemper reſtituitur, id arcano & imperveſtigabili DEI judicio committunt Theologi, maximè, cùm conſtet, DEUM neminem niſi pro menſurâ vocationis tùm naturalis tùm ſupernaturalis olim judicaturum, nec œconomiæ divinæ omnes nobis ex toto pateant. Jam verò notum eſt, Reformatis hanc mentem communiter ſtare, quòd vocatio non

ſit

Digitized by Google

ſit univerſalis, ſed ſaltem eorum, qui actu ſalventur. Ubi ſanè ab iis omnibus, quicunque dixerint, voluntatem DEI omnes ſalvandi haud eſſe ſeriam atque vocationem externam ſubinde internæ opponunt, hactenus modeſtè recedimus, qui de DEO optima quæque heic cogitamus & præſtantiſſimis ſacri codicis effatis hic inhæremus. Vide *Matth.* XXIII. 37. *Act.* VII. 51. *Hebr.* VI. 4. ſqq. X. 26. 2. *Petr.* II. 20. ubi profectò non de gratiâ ſaltem objectivâ, cui reſiſti poſſe Viri inſignes ajunt, ſed & ſubjectivâ, ubi id negant, quæſtio eſt. Si verò Viri doctiſſimi nihil aliud velint, quàm Evangelium nec ubique olim prædicatum fuiſſe, licet ubique, nullo locorum populorumve diſcrimine habito, ubi ita ſors tulit, prædicatum fuerit, nec hodie ubivis prædicari, non eſt, quòd ab iis diſſentiamus. Nec ſanè difficultatem hanc tollit id, quod de *famâ Evangelii*, quæ totum ſemper pervaſerit mundum atque ad omnia individua pervenerit, dicitur. Jam enim, quî hoc probari poſſit, haud videmus, maximè, ſi, uti par eſt, fama hîc vera & incorrupta nullâque ſuperſtitione taminata aut alio quodam defectu haud laborans intelligenda ſit. Quam enim quæſo famam Evangelii credideris eam eſſe, quæ e. g. à Chriſtianiſmo apud Sinenſes plantato ſpargitur, quæ inadæquata eſt & cum famâ de ſuperſtitionibus ineptiſſimis vitiiſque apud Chriſtianos ubique graſſantibus combinata, num quæſo exiſtimaveris, eum, qui famæ huic haud manus dederit,

Digitized by Google

dederit, ob incredulitatem olim damnatum iri? Nec illud quoque hîc urgendum pro univerſalitate vocationis venit, omnes ſaltem IN MAJORIBUS SUIS vocatos eſſe, quorum ob peccata Evangelii lux dein ablata poſteris fuerit atque his adeò neceſſitas incredulitatis impoſita, cùm ſine culpâ propriâ ut quis pereat, DEI juſtitia profectò haud permittat. Hinc non eſt nulla iſta, quæ oggeritur, quæſtio, quî cum univerſalitate amoris DEI erga omnes homines, quî cum univerſalitate meriti Chriſti particularitas vocationis conveniat. Ubi hi quidem, qui *ἀποκατάστασιν πάντων* ſtatuunt & poſt mortem œconomiam ſalutis continuari dicunt, nodum quidem illicò vel ſecant vel ſolvunt, ſi ſaltem claris divinarum literarum effatis ſua probare quirent. Nos, uti aliâs, ubi lucem videre haud datur, hîc IGNORANTIAM noſtram fatemur, idque & hîc repetimus, DEUM, juſtum judicem, ob incredulitatem neminem olim damnaturum niſi qui Evangelium audiverit, infinitosque olim fore ſalutis & damnationis gradus juſtiſſimè pro menſurâ luminis, quo quiſque colluſtratus, vel tenebrarum invincibilium, queis obſeptus fuit, diſpenſandos, etſi nec heic DEO voluntatis ſuæ arcana in ſcripturis ſuis latius nobis explanare placuerit, quo in caſu curioſitatem ut coërceamus noſtram, convenit, atque ad futuram vitam, quæ huic non patent, reſervemus. Vide & *primitias* noſtras *Tubingenſes* P. I. pag. 90. ſqq.

Digitized by Google

90. ſqq. ubi hiſtoriam dogmaticam articuli hujus de vocatione delineavimus, & adde diſſertationes HERM. WITSII de *Evangelio Americanis prædicato vel non prædicato Miſc. Sacr.* T. 2. Exerc. 13. 14. p. 400. ſqq. itemque, quæ ſupra p. 17. 18. poſuimus.

§. IV.

Quum verò vocatio fiat per Evangelii prædicationem, non incommodo loco hîc, de *Evangelio* quæ dicenda ſunt, inſpergemus. At nec ſilenda penitus *lex* eſt, cujus uſus in vocatione hominum, uti ſupra ſuo loco oſtendimus, *elenchicus* & *pædagogicus* eſt itemque *indicativus* atque *regulativus*, quorum prior vel maximè in reſipiſcentiâ & contritione, poſterior in ſanctificatione hominis ſeſe oſtendit. Propriè verò vocatio *per Evangelium* fit, quod ipſum eſt annunciatio gratiæ divinæ, per quam ſalus æterna nobis affertur, ſi Chriſto ſpirituique ipſius nos convertendos ſanctificandoſque verâ fide tradiderimus. Definitio habetur *Rom.* I. 16. Adde *Marc.* I. 4. 14. XVI. 16. *Luc.* II. 10. *Joh.* III. 16. *Act.* X. 43. XIII. 32. *Rom.* III. 24. 1. *Cor.* VI. 11. Hoc Evangelium in veteri jam Teſtamento hominibus fuit annunciatum, id quod contra Pelagianos, Socinianos & Remonſtrantes notare Theologi ſolent. Jam enim de Protevangelio, de promiſſionibus Patriarchis factis, de fide Davidis & Jobi & Prophetarum ampliſſima ubique loca habemus, quæ jam haud conglome-

eſt Evangelium, *per accidens* reſipiſcentiam in animo pœnitentis operatur. Lex enim compunctionem evangelicam, quæ ſola veram reſipiſcentiam infert, operari apta non eſt, utpote quæ ſibi relicta non niſi iram operatur, deſperationem operatur, mortem operatur, unde & miniſterium mortis vocatur 2. *Cor.* III. 7. Ubi verò quis non ex metu pœnæ, quam lex annunciat, ſed ex profundo quodam dolore, quo ſtultitiam ſuam plangit atque deplorat, quâ hactenus DEUM, omnis boni & omnis ſalutis atque beatitudinis verum fontem dereliquerit, DEUM illum, qui tantis totque gratiæ ſuæ donis hactenùs ipſum beaverit, ubi inquam quis dolore iſto, & pudore, quo dein ſeipſum damnat, actus reſipiſcit, aliam mentem ſibi induit atque peccato bellum indicit illudque ſequeſtrat & in exilium agit, ibi vera, ſolida, ſeria, conſtans & beata reſipiſcentia, *μετάνοια* illa ſive *transſmentatio* & mentis mutatio, quam Chriſtus, quam Apoſtoli tantoperè olim com̃endârunt, utramque paginam facit, ibi locum illa reſipiſcentia obtinet, quam non natura ſed gratia Spiritusque ſanctus operatur. Evangelium itaque peccata quidem non arguit *per ſe* uti lex, ſed tamen *per accidens* atque ita arguit *Tit.* II. 12. ut ſimul virtutem maximam divinamque conferat, quâ te vertere totum, quâ voluptates tuas abnegare, quâ peccata tua jugulare, quâ cœleſtem & ſanctam mentem induere, quâ converſationis alias eaſque præſtantiſſi-

mas rationes inire, quâ Chriſtum Salvatorem imitari, quâ in cœlum denique ſcandere poſſis. Quod reſtat, legis & Evangelii differentiæ ex definitionibus patent. Lex eſt voluntas divina tùm per lumen naturæ, tùm etiam in monte Sinai nobis promulgata, quâ DEUS à nobis poſcit, ut ipſum proximumque noſtrum perfectè amemus, perfectione graduum, partium & perſeverantiæ ſub promiſſione vitæ æternæ ſic obtinendæ & comminatione pœnarum æternarum iis infligendarum, qui contra legem hanc peccaverint. Aſt Evangelium eſt annunciatio gratiæ divinæ, quâ ſalus æterna nobis credentibus in Chriſtum promittitur & annunciatur. Igitur diſtinguitur lex ab Evangelio 1. origine. Lex natura nota eſt, Evangelium ſaltem per revelationem nobis innoteſcit. 2. ratione cauſæ mediatricis, quæ quoad legem fuit Chriſtus ἄσαρκος, quoad Evangelium ἔνσαρκος. 3. ratione materiæ, quæ in lege eſt doctrina operum, in Evangelio eſt doctrina fidei. 4. ratione formæ, legis quippe promiſſiones ſunt conditionatæ, ſub conditione enim perfectæ obedientiæ lex vitam æternam promittit, Evangelii verò promiſſiones ſunt gratuitæ. 5. ratione effectus, lex terret, accuſat iramque & damnationem operatur, Evangelium eſt potentia DEI ad ſalutem omni credenti, illa bonum in nobis operari haud poteſt, ſed ſaltem impotentiam noſtram nobis conſpicuam reddit, hoc virtute divinâ & vitâ ſpirituali nobis affuſâ bonum

in

Digitized by Google

in nobis operatur, ut ſponte noſtrâ id faciamus, &, ſi lex quoque data nobis haud eſſet, nihilominus id faceremus. 1. *Tim.* I. 9. 6. ratione objecti, lex pro objecto habet damnandos, Evangelium ſalvandos. Et hæc quidem in libris communibus ita ſed haud malè leguntur, unde & ex iis ea heic repetimus. Aliter calculum ponunt Romanenſes, qui per legem Teſtamentum vetus, per Evangelium novum intelligunt, Evangeliumque in vetere Teſtamento haud obtinuiſſe ſupponunt, ut quod Meſſiam jam adveniſſe ſupponat. Non verò eſt jam, quòd has in logomachias præcipites nos demus atque errores diſſentientium latiùs hîc evolvamus.

§. V.

Hæc verò ipſa dum jam ponimus & de vocatione illâ, quæ per Evangelium hominibus contingit, diſſerimus, præcipua hæc cogitatio in mentem noſtram labitur, quam Spiritus S. nobis adſpergit: *Videte vocationem veſtram, fratres!* 1. *Cor.* I. 26. Neque enim, ut arbitror, omnes ſunt, qui verbum hoc capiunt aut qui, quæ *ſpes vocationis* ipſorum, *Eph.* I. 18. quæ dignitas, quæ præſtantia, quæ majeſtas illius ſit, quænam bona, cœleſtia illa & ſumma eadem exhibeat, comprehendunt. Quanta, quæſo, hæc eſt divinæ erga nos *συγκαταβάσεως* profunditas, o lector, quòd, qui DEUS in altiſſimis eſt, qui ſibi omniſufficiens eſt, ad quem ſi

Hh 2 com-

comparemur, ne guttæ quidem inſtar ſumus, quæ ſitulæ adhæret, qui & ſanctiſſimus idem eſt ac ſummus & præſtantiſſimum omnium ens, nos homunciones, miſerrimos illos atque peccatores in ſuæ beatitudinis ſuaviſſimum conſortium gaudiorumque ſummorum divinorumque communionem vocat. Quanta porrò hæc, o homo, tua felicitas eſt, quòd, ubi tot alii ſunt, quibus prædicatio Evangelii haud contingit vel multâ ſuperſtitione taminata ſaltem contingit, tu præſtantiſſimâ, quæ mentem tuam tangit, luce circumfunderis & potentiſſimis planè ſuaviſſimiſque Spiritûs ſanctioris motibus ad DEUM traheris Et tu, peccator, hanc vocationem tuam ſubinde ſpernis nec viſitationis tuæ tempus, uti par eſt, obſervas, cui nihil iſto, quo ad DEUM, quo ad mentis tuæ verſionem ducerere, motu quem ſentis, ſpirituali pretioſius eſſe oportebat. Non ita, o mi, non inormiendum hîc rebus nec complicandæ hîc in ſinu nobis manus ſunt, ſed opera illicò mutationi noſtræ ſpirituali affundenda, ſed ad obſequium fidei, quo vocationi divinæ paremus, quo & eandem *firmamus* 2. *Pet.* I. 10. ſine morâ provolandum eſt. Ecce, DEUS EX TENEBRIS TE AD MIRABILEM LUCEM SUAM VOCAT. 1. *Petr.* II. 9. Ecce, Spiritus ſanctior in, interiore animæ tuæ ſacrario clamat: EVIGILA QUI DORMIS, ET SURGE E MORTAIS ET ILLUCESCET TIBI CHRISTUS. *Eph.* V. 14. Ecce & Spiritus & ſponſa

ſponſa, junctâ in unam voce, clamitant: VENI ET SITIENS VENIAT ET, QUI VULT, HAURIAT AQUAM VITÆ GRATIS! *Apoc.* XXII. 17. Quidni itaque oculos tuos aperias, quidni ſpiritua'e collyrium illinas oculis, ut videas? *Apoc.* III. 18. Quidni, ubi vocaris, ad Chriſtum Salvatorem tuum promtus curras? Quidni hiante ore aquam deſuper ſtillantem haurias avidus inque ſuccum & ſanguinem animæ tuæ vertas? Quidni, ut unico id verbo efferam, ad Dominum, DEUM tuum lætus & gaudio cœleſti ubique, quòd vel tandem margaritam hanc cœleſtem adinveniſti, circumfuſus convertare? Id verò ubi agere jam tibi propoſueris, prorſus & omninò velim, ut converſio tua è fonte evangelico profluat. Si enim infernalis pœnæ metus animum tuum ſaltem agitet, converſio tua nec ſolida erit nec ſincera ſed fallax ſed hypocritica, nec vertet cor ſed mores ſaltem externos vertet, quæ vera converſio non eſt, ſed cura ſaltem palliativa, hoc eſt, nulla, quam corrupto animi tui ſtatui adferes. Ubi verò virtutem hîc evangelicam menti tuæ adplicaveris, jam vita nova, jam ſpiritus largior ſuccedet, & mutatis interioribus, unde initium faciendum eſt, mutabuntur & illicò externa, idque, quod oneris loco olim tibi erat, quod difficillimum factu tibi eſſe antea videbatur, ſponte ipſemet, ſpiritu in te jam agente venasque tuas ſpirituales pervadente, & luculenter facies & lubentiſſimè facies. Jam enim alacritas illa ſpiri-

tualis, quæ tantoperè nobis neceſſaria eſt & quæ ſola ſoliditatem Chriſtianiſmo affundit, utramque apud te paginam ſic faciet omniumque actionum tuarum ſic erit prora & puppis, de omnibus tentationibus & calamitatibus quibusvis facilè triumphatura talemque te effectura, qui quotidiana vitæ ſpiritualis incrementa capias atque de virtute in virtutem eas noviſque ſemper gratiæ cœleſtis augmentis donere.

CAP. VIII.

DE JUSTIFICATIONE, ADOPTIONE ET LIBERTATE CHRISTIANA.

§. I.

QUi jam de vocatione, quæ per Evangelium fit, & *acquiſitam* nobis gratiam divinam annunciat & offert, egimus, de ipſâ gratiâ divinâ *applicatrice* mox verba facimus. Ea verò vel in actibus forenſibus & externis, vel in actibus internis &

Digitized by Google

ἐνεργητικοῖς conſiſtit. Actus forenſis applicatorius gratiæ divinæ eſt juſtificatio, cujus conſequens eſt adoptio, quá in libertatem filiorum DEI aſſerimur, qui juſtificamur, regeneramur atque convertimur. Ipſa juſtificatio eſt actus ille judicialis, quo DEUS ex merâ gratiâ, intuitu redemtionis à Chriſto factæ, quæ verâ fide jam à nobis apprehenditur, à reatu & pœná peccati nos abſolvit noſque perfectè ſic juſtos pronunciat atque declarat. Senſus quippe verbi *δικαιοῦν* in ſacro codice ferè ubique eſt *juſtum declarare*. Jam *ſoli* fidei juſtificationem ſanctiores eædem paginæ adſcribunt, uti ex epiſtolis ad Romanos & Galatas, maximè verò ex *Rom*. III. 28. patet, ita ut *opera legis* hîc excludantur, quorum ne quidem præſentiam in juſtificationis actu (in ſtatu enim res aliter ſe habet) *Formula concordiæ* requirit, ubi *Art. 3. p.* 586. 587. dicitur: *Repudiamus & damnamus ut falſum dogma, fidem non juſtificare ſine bonis operibus itemque bona opera ad juſtitiam requiri & abſque eorum* præſentia *hominem juſtificari non poſſe*. Id quod Majoriſtis oppoſitum eſſe liquet, qui bona opera juſtificationi peccatoris coram DEO immiſcere conati fuere. Scilicet *μὴ ἐργαζομένῳ non operanti* nec mercenarii ad inſtar operanti, *credenti verò in eum, qui impium juſtificat, fides imputatur ad juſtitiam. Rom.* IV. 5. Quando verò à nobis dicitur, juſtificationis primum actum non fieri ad bonorum operum præſen-

tiam, per bona opera intelligimus illas actiones, quæ à perſonâ per fidem jam juſtificatâ juxta legem divinam, inhabitante & cooperante Spiritu S. peraguntur. Jam hæc bona opera ajunt Theologi non præcedere juſtificandum ſed ſequi juſtificatum nec confundenda eſſe cum bonis motibus à Sp. S. in nobis excitatis & juſtificationem antecedentibus atque ex gratiâ DEI præveniente & operante proficiſcentibus. Quæ ſi ita ponantur, patet, totam iſtam litem de juſtificatione, num per fidem vivam, num & præſentibus bonis operibus juſtificemur, ſaltem de voce eſſe. Si enim hîc inter bonos motus à gratiâ præveniente & regenerante excitatos bonaque opera ex ſtatu juſtificati & regeniti jam fluentia, ſi inter juſtificationem impii & juſtificationem juſti, juſtificationis actum & ſtatum, juſtificationem latius & ſtrictius ſumtam hîc diſtinxeris, jurgium hoc facilè tollitur. Aliter autem paulò cum Romanenſibus ſe res habet, qui ab hoc παιδείας τρόπῳ magis abeunt atque per juſtificationem non ſaltem declarationem, quâ juſti coram DEO reputamur, ſed etiam juſtitiæ & ſanctitatis infuſionem intelligunt adeoque juſtificationem in ſenſu latiore, quo & regenerationem & ſanctificationem hæc vox comprehendit, ſumunt. Et hîc jam facile concipi poteſt, quî iidem dicere poſſint, hominem & per fidem & per opera juſtificari. Addunt iidem, opera hæc eſſe propriè loquendo meritoria ſed quæ meriti ratio-

Digitized by Google

rationem ſaltem ex æſtimatione & promiſſione DEI gratuitâ habeant. Jam enim & ex merito paſſionum Chriſti, quod nobis communicetur, juſtitiam nobis infundi id eſt converti nos & ſanctificari Tridentini Patres exiſtimant. Quin &, ubi de bonis operibus hîc loquuntur, haud ſanè externa ſaltem opera ſed opera, quæ Spiritus S. in nobis intus efficit, ſpiritualia intellecta volunt. Poſſetque profectò tota hæc inter nos & Romanenſes contentio ad λογομαχίας referri, niſi hæc quæſtio exegetica mentem hîc noſtram vexaret: Quid Paulus per juſtificationem, fidem & opera, quæ heic ſequeſtrat, intelligat. Ubi ſanè noſtri cum Reformatis ferè omnibus ajunt, illum per juſtificationem nonniſi actum forenſem, quo peccata nobis remittuntur noſque à reatu & pœnâ abſolvimur, per fidem verò fiduciam, quâ promiſſiones divinas aut meritum Chriſti apprehendimus, & denique per opera & legis Moſaicæ opera & evangelica intelligere atque utraque à negotio juſtificationis excludere, Pontificii verò, Remonſtrantes & Theologi quidam Anglicani, inter quos BULLUS, à FRICKIO is tantiſper refutatus, CAVEUS & MILLIUS eminent, cauſantur, juſtificationem eſſe ſive declarationem, quâ juſtus quis ex infuſione juſtitiæ pronuncietur, ſive infuſionem juſtitiæ, quæ per & propter merita Chriſti nobis contingat, fidem eſſe vel aſſenſum doctrinæ Chriſtianæ exhibitum vel omnem Chriſtianiſmi officiorumque ejus com-

Hh 5 plexum

plexum ſive obedientiam Evangelicam in univerſum, denique per opera hic nonniſi opera legis Moſaicæ ſive cærimonialis ſaltem ſive etiam moralis, non ſanè Evangelica intelligi. Et certum profectò hoc eſt, Paulum opera legis Moſaicæ præcipuè exeluſa velle. Excludit tamen & per conſequens (hoc enim præcipuum artis exegeticæ ad irenicum maximè uſum flectendæ artificium eſt, varias interpretationes ſibi haud contrarias in unum flare & ſibi invicem ſubordinare,) opera evangelica, SI meriti in rigore ſumti notionem, ſi gloriolam quandam ipſis adſpergamus eaque hàc ratione in opera hypocritica & falſa vertamus. Jam & quis negaverit, in fide, cui Paulus juſtificationem adſcribit, hoc eſſe præcipuum, ut Chriſtum verum Meſſiam agnoſcamus, ipſius doctrinæ, ipſius promiſſionibus fidem adjiciamus, remiſſionem peccatorum, quæ per ipſum fit, toti amplectamur, meritaque ipſius ita nobis adplicemus, ut hoc beneficio macti novam in vitam tranſeamus & mandata Chriſti dein ſolicitè obſervemus. Hæc eſt, hæc eſt fides illa, quæ ſecundùm Paulum juſtificat & gratis, nullo merito noſtro intercedente, ob ſola Chriſti merita, quæ nobis affuſa, nobis communicata ſunt, nos juſtificat. Quin patet quoque Paulum, ubi de juſtificatione agit, non de infuſione juſtitiæ ſed de declaratione, quâ juſtusquis pronunciatur, verba facere, etſi illi, qui ita juſtificatur, juſtitia non infundi

Digitized by Google

fundi non poſſit. Quo ſenſu ſanè & Jacobus, hanc vocem ſumit *C. II. comm. 17. ſqq.* qui tamen, dum per fidem ſolam DEI notitiam aſſenſumque nudum adeòque fidem mortuam, bona nulla opera gignentem vel ſecum ferentem intelligit, dum & per opera ea opera, quæ evangelica ſunt & ex fide profluunt, non ſanè ex lege cærimoniali propullulant, intelligit, dum denique non de juſtificatione impii ſeu juſtificatione per fidem ſed juſti ſive de juſtificatione per opera (dantur enim duæ) agit, non potuit non hic in terminis ſed in terminis ſaltem, non re ipſa, Paulo contradicere. Quod reſtat, qui mentem diſſentientium hìc ritè noſſe velit, is *Concilii Trid. Seſſ. 6.* is *Auguſt. Conf. Art. 4. Apol. Art. 2. 3. 8.* is *Formulam Concordiæ Art. 4. & 5.* evolvat & feliciter evolvat. Adjici poſſunt GEORGII BULLI, Epiſcopi olim Menevenſis, Angli, JO. ERN. GRABII, FR. TURRETTINI, HENRICI HOEPFNERI & JO. HULSEMANNI hanc in rem ſcripta, ut taceam egregia illa, quæ apud H. WITSIUM in *Miſcell. Sacr. T. 2. Exerc. 20. ſqq.* hìc leguntur, ubi notiones Gentilium, Judæorum & Chriſtianorum de juſtificatione evolvit egregiumque ex Clementis Rom. epiſt. 1. ad *Cor.* §. 32. locum adducit, CAVEUMque etiam, qui eandem cum Remonſtrantibus hìc tibiam ſecurus inflat, refutat, atque dein has veritates fundamentales ponit, quibus orthodoxiam in hoc articulo

ticulo abſolvi putat. I. Remiſſionem peccatorum & jus ad vitam æternam nobis gratis ſine ullius meriti cujuſdam noſtri intuitu dari. II. Solam JESU Chriſti juſtitiam cauſam reconciliationis & ſalutis meritoriam eſſe. III. Eam Chriſti juſtitiam noſtram fieri, quando verâ fide accipitur. Quæ ipſa haud difficulter ſapiens quiſque approbaverit, qui & profectò perſpiciet, controverſiam hanc de juſtificatione inde à primis reformationis temporibus, ubi Romanenſes communiter operibus externis juſtificationem ex opere operato adſcribere videbantur, uſque ad noſtra tempora aliam faciem, quod probè notandum eſt, induiſſe, ubi in Concilio Tridentino latius & melius, nec tamen ad τρόπον παιδείας Apoſtolicum, quod jam diximus, mens Romana enarrata fuit. Scilicet confuſis hîc & inadæquatis ideis æquivociſque expreſſionibus, ubi terminos quiſque aliter ſumit & andabatarum adeò more miſelli homines, qui neſcio quæ fundamentalia bella ſic ſe inire ſubinde credunt, pugnant, formulisque plurimis eccleſiaſticis, quibus & neceſſitas quædam tanquàm ὑποτυπώσει ὑγιαινόντων λόγων affunditur, Theologi ex omni parte aliquando inhiant, qui, cùm ſubinde nec ipſij fide in Chriſtum, verâ illâ & maſculâ, polleant, nec in ſtatu veræ juſtificationis, ſed ſaltem imaginariæ verſentur, nec denique, quid bonum opus ſit, nôrint, utpote qui opera, quæ ipſi perficiunt, jejuna illa, bona eſſe miro ſolœciſmo & errore fundamen-

damen-

Digitized by Google

damentali credunt, clamoribus hîc vanis, ubi erroribus ipſimet practicis adeòque fundamentaliſſimis toti circumfuſi ſunt, gratis mundum impient. Præcipuum, quod obſervandum hîc tibi fuerit, quicunque ſalutis tuæ deſiderio teneris, hoc eſt, ut ſequeſtrato & in exilium miſſo omni merito proprio, omni virtute propriâ, viribus omnibus propriis JESU CHRISTO Salvatori tuo te totũ tradas, qui infinitorum, queis pollet, quæ & tibi convertendo, ſanctificando & ſalvando adſpergit, meritorum beneficio à reatu & pœna peccati te abſolvit, hoc eſt, peccata tibi remittit, teque, qui veræ reſipiſcentiæ doloribus fractus es atque ad tui ipſius, tuæ miſeriæ inſpectionem & cognitionem veramque adeò humilitatem, quæ certè omnem propriorum meritorum præſumtionem reſpuit ſuique metipſius condemnationem ſinceriſſimam infert, deductus, noviter creat virtutemque tibi ſpiritualem induit, quâ cinctus undique & luculentiſſimam doctrinæ ſanctiori fidem adjicias & promiſſiones divinas magna fiducia tibi applices & voluptates carnis abneges & mundum cum omnibus pompis ſuis vincas & virtutes tanti, in quem credis, Salvatoris jugiter imitere, & in his omnibus inutilem te ſervum exiſtimes, qui, ubi egit, quod bonum eſt, egit, quod debuit. *Luc.* XVII. 10. Sana hæc eſt de juſtificatione, converſione & ſanctificatione doctrina, in quam facile abire, quicunque jam inter ſe diſſentiunt, poſſent, ſi linguam, ſi manum à contentionibus litibuſque abstrahere

trahere vellent, ſi zelus pro veritate, pro pace eccleſiaſtica, pro vero Chriſtianiſmo, divinusque ardor, ab ardore polemico plurimùm diſtinguendus, pectora ipſorum allaaberet, ſi veritati, ſanctæ illi & puriſſimæ & ſuaviſſimæ virgini impuram præjudiciorum cohortem poſtponere vellent. Sed non eſt, quòd motos dudùm fluctus credamus compeſci ab hominibus poſſe vel ideas nobis Platonicas heic formemus, qui arbitramur, id ſaltem ſapientibus faciendum eſſe, ut eos, qui veritatis amatores ſinceri & filii genuini ſunt, in partes ſuas pertrahant.

§. II.

Jam itaque his præmiſſis dogma de juſtificatione ſecundùm communem *παιδείας τρόπον*, qui certè accuratiſſimus eſt, tradamus. Subjectum juſtificationis eſt peccator *Rom.* I. II. III. 23. jam credens & non operans *Rom.* IV. 5. Cauſa efficiens principalis eſt DEUS Pater *Joh.* III. 16. 17. *Rom.* VIII. 31. ſqq. Filius *Jeſ.* LIII. 12. 1. *Cor.* VI. 11. *Rom.* V. 19. *Col.* III. 13. & Spiritus S. 1. *Cor.* VI. 11. Cauſa impulſiva interna eſt *merè gratuita* DEI gratia excluſis operibus quibuſcunque tùm legis Moſaicæ tùm Evangelicis, iis ſcilicet, quæ juſtificatum ſequuntur, id quod ipſa rei natura docet. Non enim idem ſimul præſens eiſe vel antecedere & ſimul conſequi poteſt, quemadmodum ſimul ſorbere & flare non poſſumus. Vide *Rom.* III. 24. XI. 6. *Eph.* I. 8. 9. 2. *Tim.* I. 9. *Tit.* III. 4. ſqq.

Cauſa

Digitized by Google

Cauſa impulſiva externa & meritoria eſt meritum Chriſti infinitum & ſatisfactio ejuſdem infinita, quam verâ fide, qui juſtificamur, amplectimur. *Rom.* III. 24. 25. VIII. 3. *Eph.* V. 2. *Col.* I. 20. 22. 23. 1. *Tim.* II. 6. 2. *Cor.* V. 21. *Gal.* III. 13. *Jeſ.* LIII. 4. ſqq. Cauſa media ſive organica ex parte DEI & δοτικὴ eſt verbum cum ſacramentis *Luc.* XXIV. 47. 2. *Cor.* III. 9. V. 18. ex parte hominis & ληπτικὴ eſt fides, quæ Chriſtum ipſiuſque merita & bona apprehendit hominique appropriat *Rom.* III. 22. 25. *Phil.* III. 9. *Col.* I. 23. II. 7. *Gal.* III. 7. ſqq. & *ſola juſtificat. Rom.* III. 28. *Gal.* II. 16. *Eph.* II. 8. 9. Scilicet opera bona, quæ fidem (ſed neceſſariò) *conſequuntur*, nondum ſunt præſentia, quî itaque juſtificare poſſent? Res clara eſt, ſi judicii ſaltem lucernam inſpiciendæ illi adhibeamus. Nota verò, quicunque hæc legis, nos fidei hîc aliam cauſalitatem haud adſcribere niſi *organicam*, quatenus ſcilicet infinitam Chriſti miſericordiam nobis adſpergit. Ratio enim cauſandi ſive vis illa juſtifica, quæ fidei competit, illi non in ſe, quatenus eſt actus ſive opus noſtrum, ſive ex acceptilatione quâdam, ubi DEUS *quid* pro *quo* ad ſatisfaciendum juſtitiæ ſuæ ſumit, competit, abſit, ut hoc dicamus, ſed fidei ſaltem ex objecto juſtifico apprehenſo competit. *Rom.* III. 25. Forma juſtificationis non conſiſtit in mutatione illâ effectivâ, quâ peccator regeneratur, convertitur, ſanctificatur juſtitiaque quædam inhærens ipſi

ipſi infunditur ſed in *impoſitione* ſaltem *novi entis moralis*, in actu extrinſeco DEI & forenſi, quo DEUS hominem peccatorem ob remiſſionem peccatorum ipſi per Chriſtum partam, quam is jam fide vera ſibi applicat, juſtum declarat. Ubi duo velim animadvertas, lector, I. injuſtitiam noſtram nobis non amplius heic imputari ſed deleri *Pſalm.* XXXII. 1. 2. *Rom.* IV. 7. 8. III. 25. 2. *Cor.* V. 19. II. obedientiam & juſtitiam Chriſti nobis hactenus ita imputari, ut ob illam juſti coram DEO reputemur & peccata nobis remittantur, ut etiam ipſa hæc imputatio nobis incitamento ſit, quo acti neceſſitatem ſanctificationis nobis incumbentem, neceſſitatem & imitationis Chriſti perſpiciamus atque nulla mora adhibita & ipſi inhæſivè *juſti evadamus. Jerem.* XXIII. 6. 1. *Cor.* I. 30. *Rom.* IV. 5. 6. V. 19. 2. *Cor.* V. 21. *Phil.* III. 9. 10. Scilicet adponendum omninò hùc venit illud Johannis: FILIOLI, NEMO VOS SEDUCAT. QUI FACIT JUSTITIAM, JUSTUS EST. 1 *Joh.* III. 7. monendumque, *φράσιν* illam, *juſtitiam Chriſti nobis imputari*, non Biblicam, etſi Biblicas æquipollentes habeat, ſed eccleſiaſticam adeòque cautè explicandam eſſe, ne pigritiæ noſtræ ſpirituali, ne ſecuritati carnali portam aperiamus. Effecta hujus juſtificationis ſunt unio noſtri myſtica cum DEO *Joh.* XV. 4. 5. 6. XIV. 2. 3. *Gal.* II. 19. 20. III. 27. *Eph.* III. 17. adoptio in filios DEI

Joh.

Digitized by Google

Joh. I. 12. *Rom.* VIII. 14. pax conſcientiæ *Rom.* V. 1. 2. exauditio precum *Rom.* VIII. 32. *Jac.* I. 5. ſqq. ſanctificatio *Rom.* VI. 1. ſqq. & ſalus æterna *Rom.* IV. 7. 8. Affectiones denique juſtificationis ſunt I. efficientia inſtantanea II. perfectio, quia perfectè remittuntur hîc peccata omnia, ut nulla opus ſit ſatisfactione propria 1. *Joh.* I. 7. *Rom.* VIII. 1. *Hebr.* X. 14. III. identitas modi juſtificationis reſpectu omnium omninò ſalvandorum *Act.* IV. 12. XV. 11. *Rom.* III. 22. ſqq. IV. certitudo in nobis non conjecturalis ſed infallibilis & divina, quam & de fide præſenti, non futura, non finali habemus, 1. *Cor.* II. 12. 2. *Cor.* I. 21. 22. *Eph.* III. 12. 1. *Joh.* III. 14. V. incrementum, non quoad actum juſtificationis, qui inſtantaneus eſt, ſed ratione fidei & ſenſus 2. *Cor.* X. 15. *Col.* I. 10. 2. *Pet.* III. 18. *Eph.* IV. 14. 15. VI. continuatio *Apoc.* XXII. 11. VII. amiſſibilitas *Ezech.* XVIII. 14. *Hebr.* VI. 5. 6. *Joh.* XV. 2. VIII. reiterabilitas *Joh.* VI. 37. *Rom.* V. 20. Quæ omnia τρόπον παιδείας KOENIGIANUM heic ſapiunt, utpote verbis KOENIGIANIS elata.

§. III.

Ut igitur in nervum omnia, quæ hûc pertinent & quæ viam ad pacem eccleſiaſticam liteſque minuendas nobis pandunt, contrahamus, paucis dicimus, diſtinguendum hîc eſſe inter juſtificationis actum & ſtatum, inter juſtificationem cauſæ & juſtificationem ſigni, inter juſtificationem fidei & juſti-

Digitized by Google

tionem operum *Pſalm.* CVI. 30. 31. 1. *Ioh.* III. 7. *Act.* X. 34. 35. *Luc.* I. 6. *Iac.* II. 21. 24. inter juſtificationem peccatoris & juſtificationem juſti, inter reconciliationem, quæ eſt univerſalis & juſtificationis acquiſitio, & inter juſtificationem, quæ eſt juſtitiæ applicatio. 2. *Cor.* V. 19. inter bona opera juſtificationem antecedentia, comitantia & ſubſequentia. Has ſi diſtinctiones probè evolverimus & obſervaverimus nimiſque & heic abſtractionibus haud indulſerimus, ſalva erit res apparebuntque logomachiæ, & videbit quoque prudens lector, qui diſſentientes ſe invicem ſubinde haud ſatis intellexerint. Id unum addimus, Romanenſes maximè hunc articulum haud, uti par erat, intelligere. Præterquam enim, quòd Concilium Tridentinum juſtificationis ambas ſpecies miris modis confundit, patet, & veram de reſipiſcentia & fide & remiſſione peccatorum & ſanctificatione doctrinam in Romana Eccleſia ubique ferè negligi atque in operibus externis iiſque ex nullo novæ vitæ fonte manantibus juſtitiam & meritum propriè ſic dictum & ſalutem perperàm vulgò quæri. Nec eſt, quòd quis dicat, eſſe hunc ſaltem *abuſum* quendam. Ubi enim ob univerſalitatem ſuam abuſus dogmatis faciem induit, ubi Eccleſiæ doctores, quamvis graviter moniti ſilent, ibi *abuſus* in *dogmatis* locum abit. Cæterùm velimus omninò cum iis, quæ de juſtificatione diximus, conferri ea, quæ in libris noſtris ſymbolicis præſtantiſſima prorſus hoc in articulo exſtant, ubi verò

Digitized by Google

rò maximè juſtificatio impii coram DEO explicatur & juſtificatio Romanenſis, prout ea tùm ex mente Scholaſticorum & præjudicio populi abuſuque communi olim ſtatuebatur, refellitur, &, quamvis ſenſu laxiore & ipſa ſubinde ſumatur, SOLI tamen fidei excluſis operibus omnibus adſcribitur. Quod reſtat, notamus, exemplum Abrahami ad utramque juſtificationem tùm eam, quæ ex fide, tùm eam, quæ ex operibus contingit, probandam & quidem præeuntibus Jacobo & Paulo utique adhiberi poſſe. Ubi enim Jacobus ex verbis: *Credidit Abraham DEO & hoc imputatum ipſi fuit in juſtitiam* juſtificationem ex operibus probat, cum fide iſtâ, quam promiſſioni divinæ Abraham adjecit, ſignum ipſius & effectum jungit, aitque, ex his omnibus Abrahamum à DEO pro juſto declaratum fuiſſe. Ubi verò Paulus ex eodem loco probat, quòd nonniſi fide Abraham coram DEO fuerit juſtificatus, innuit, uti ex *Rom.* IV. 10. patet, Abrahamum jam juſtificatum fuiſſe, antequam circumcideretur, adeoque ex operibus cærimonialibus, (ad quæ quippe immediatè hîc Paulus reſpicit,) haud juſtificatum fuiſſe. Scilicet duo hæc conſectaria ex textu iſto *Gen.* XV. 6. utique effluunt & facilè ſecum invicem conſiſtere poſſunt. Vide & *Apol. A. C. art. 3. de dilect. & implet. legis p. 207. ſqq.* Nec opus eſt, ut ad juſtificationem coram hominibus, quam in Jacobo communiter urgent, tantâ cum præcipitatione confugiamus. Jam enim & quid

impediat, quò minùs Abrahamus à DEO quoque & eatenus etiam coram DEO ex operibus juſtus fuerit declaratus, juſtificatione nempe ſigni & effectus, quæ abſolutionem à reatu & pœnâ peccati remiſſionemque peccatorum, quæ eſt juſtificatio cauſæ, jam ſupponit, haud ſanè nos perſpicimus. Procedamus diſtinctius. Declaratio illa, quâ quis juſtus à DEO declaratur, fieri poteſt tùm ſecundùm juſtitiam imputatam tùm ſecundum inhærentem. Utraque enim ex veritate manat. Quin utraque etiam ſalvando neceſſaria eſt, illa neceſſitate medii, hæc neceſſitate conſequentiæ. Illam ex exemplo Abrahami Paulus urget, hanc ex eodem Jacobus, uterque rectè, eo fine, ut exinde perſpiceremus, utramque, ſi ſalutem conſequi velimus, amiciſſimo connubio à nobis jungendam confibulandamque eſſe.

§. IV.

Inter effecta juſtificationis, quò adoptionem quoque retulimus, facilè videmus, nos, quoniam ita moris eſt, peculiarem huic argumento articulum conſecrare debere. Et ſub initium quidem rerum ſtatim hoc monemus, magnam hanc juſtificatorum eſſe dignitatem, quòd in filios DEI fuerint adoptati, quæ adoptio, etſi in regeneratione fundetur, tamen & actus forenſis eſt, quo novum ens morale nobis ſuperimponitur, uti in juſtificatione. Vide 2. *Cor.* VI. 18. 1. *Joh.* III. 1. 2. Jam verò adoptio hæc nec ex creatione *Mal.* II. 10. neque ex conſervatione *Act.* XVII. 25. 28. neque ex externâ prærogativâ

Digitized by Google

tivâ vel politicâ *Pſalm.* LXXXII. 6. vel eccleſia-ſticâ *Gen.* VI. 2. *Matth.* VIII. 12. *Exod.* IV. 22. ex fœdere nationali Iſraëlitico potiſſimùm fluente neque ex excellentiâ quâdam concreatâ, qua ratione Angeli nuncupantur filii DEI *Job.* XXXVIII. 7. & Dii *Pſalm.* VIII. 6. coll. *Hebr.* II. 6. & Adamus *Luc.* III. 38. qui verò dein ſervus diaboli 2. *Petr.* II. 19. & filius iræ *Eph.* II. 3. factus eſt, derivanda eſt. Adoptio, quâ fideles filii DEI evadunt, adhùc eminentior eſt & fundatur primùm in novâ & ſpirituali generatione. Hanc curato admodùm παιδείας τρόπῳ negativè & poſitivè κατ' ἄρσιν & κατὰ θέσιν ita deſcribit Johannes Apoſtolus: *Sed quotquot acceperunt eum, dedit iis* ἐξουσίαν τέκνα θεοῦ γενέσθαι, *credentibus in nomen ipſius, qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri ſed ex DEO nati ſunt.* Joh. I. 12. Verba hæc ita παραφράζει WITSIUS ὁ πάνυ. *Negat* Johannes, genituram hanc *eſſe* ex ſanguinibus, id eſt, *naturalem & ordinariam, qualis ea eſt, per quam pueri carnis & ſanguinis participes fiunt Hebr.* II. 14. *quaque ex ſanguine eſſe cenſetur. Non magis eſt ex* voluntate carnis, *id eſt, ex carnali quodam deſiderio liberos habendi, quo fit, ut quis corrupta carnis ſuæ ratiocinio nimium indulgendo eum in finem media adhibeat à DEO non præſcripta: quale quid in Sarâ animadvertere eſt, quùm ex deſiderio prolis Agarem Abrahamo dabat.*

Non eſt denique ex voluntate Viri, *aliquem præ cæteris ob ſuas quaſdam rationes diligentis, cui præcipuam hæreditatis partem deſtinet: quemadmodum Iſaaci hæc circa Eſavum voluntas erat. Nihil humani eſt, quod ſpirituali huic genituræ originem dare queat. Sed genitura hæc ex* DEO *eſt, ab æterno eam deſtinante & præſtituto tempore actu regenerante.* Subjungit dein WITSIUS ſolutionem difficultatis, quæ hunc textum inſpicientibus illicò ſubnaſcitur: *Iis, qui ita ex DEO nati ſunt, dedit* ἐξουσίαν τέκνα θεοῦ γενέσθαι. Ἐξουσία *hic* jus & poteſtatem *ſignificat, uti Apoc. XXII. 14. Mirum autem videri queat, quomodo illis, qui ex DEO nati ſunt, jus demùm detur, ut Filii DEI fiant: quandoquidem ipſâ nativitate ex DEO jam filii DEI facti ſunt. Ad quam difficultatem tollendam tria potiſſimùm à Viris eruditiſſimis ſunt obſervata.* I. *Quùm* γενέσθαι *ſit aoriſtus ſecundus, commodè pro præterito ſumi poteſt, hoc ſenſu, dedit eis eam poteſtatem, id jus, illam dignitatem, ut Filii DEI* facti ſint & *privilegiis illo ſtatu dignis utantur, fruantur.* II. γίνεσθαι τοιοῦτον *phraſi Scriptura notat* eſſe talem & gerere ſe, *uti talem decet. Ita uſurpatur* Matth. V. 45. ut ſitis filii Patris veſtri, *ut geratis vos, quemadmodum filiis DEI conveniens eſt, 1. Theſſ. II. 7. 10.* III. *Poſſet hoc etiam referri ad perfectum illum ſtatum filialem, qui cum* liberatione corporis noſtri *conjunctus*

junctus erit & quem nos exſpectare *Apoſtolus auctor eſt. Rom. VIII. 23. Ut ſenſus ſit, DEUM iis, qui ex ipſo nati ſunt, jus conceſſiſſe ad hæreditatem cæleſtem & eam eximiam dignitatem, quâ quoad corpus & animam ut filii familiâs in palatio Patris ſui gaudebunt: atque ita quidem, ut in nullius creaturæ poteſtate ſit eam dignitatem ipſis eripere, minuere vel intercidere. Quarum expoſitionum optionem lectori damus. Nobis ultima non minimè arridet*, quam in ſententiam & quemvis facile deſcenſurum nos arbitramur. Alterum fundamentum, cui adoptio innititur, eſt connubium cum Domino JESU, cujus quando ſponſa facti ſumus, tranſimus cum ipſo in familiam Patris ipſius & Pater nos dulciſſimo filiæ nomine compellat. *Pſalm.* XLV. 11. Et Dominus JESUS eandem, quam *ſponſam* ſuam indigitat, *ſororem* quoque vocat. *Cant.* V. 1. 2. Adde 2. *Cor.* VI. 18. Reſultat hinc tandem *adoptio*, quæ eſt actio DEI œconomica, quâ eos, qui ad imaginem ſuam regeniti & unigenito filio ſuo in fide deſponſati ſunt, in familiam ſuam recipit & jus ac privilegia filiorum ipſamque hæreditatem immutabili teſtamento ipſis addicit. Hinc ſumus *domeſtici DEI Eph.* II. 19. *ſi filii, ergo hæredes & cohæredes Chriſti Rom.* VIII. 17. qui *hæres omnium* conſtitutus eſt *Hebr.* I. 2. *nec erubeſcit, nos* heic *fratres ſuos vocare. Hebr.* II. 11. Obſervandum tamen eſt & probè obſervandum, quod

Digitized by Google

ſanè judicioſiſſimè WITSIUS obſervat, *ſpiritum DEI, ut cœleſtia hæc myſteria explicaret, metaphoris uti, quæ à rebus humanis deſumta ſunt, has autem metaphoras ita eſſe componendas, non ut una alteram perimat, ſed ut una defectus alterius ſupplere cenſeatur. Abſurdum aliàs videretur, animam, quæ ex DEO genita eſt*, adoptari *in filiam eandemque* filio *DEI primogenito* matrimonio jungi. Scilicet, *ut exprimeret originem vitæ ſpiritualis & imaginis DEI in homine, dicit* Scriptura, *eum ex DEO* genitum *eſſe. Ut ſignificaret jucundiſſimam mutuique amoris plenam noſtri cum Chriſto unionem*, conjugium *illam vocat. Ut aſſignaret fundamentum & firmitatem hæreditatis noſtræ, docet nos in Chriſto* adoptatos *eſſe. Et ſingula hæc talia ſunt, ut eo nomine filii DEI appellari queamus.* Notandum jam, I. adoptionem hanc commune veteris & novi Teſtamenti bonum eſſe. *Job.* XXXIV. 36. *Jeſ.* LXIV. 7. *Mal.* I. 6. *Hoſ.* II. 19. 20. *Rom* IX. 4. *Gal.* IV. 1. *Pſalm.* XVI. 5. XVII. 15. Magna tamen graduum hic eſt diſparitas, cùm filii Vet. Teſtamenti ſub pædagogico rigore & procul ſtare à DEO *Exod.* XXVI. 38. 42. hæreditatique typicæ inhiare coacti fuerint, filii verò novi à pædagogis ſint liberi *Joh.* VIII. 36. *Col* II. 16. 20. liberrimumque ad DEUM acceſſum habeant *Hebr.* IV. 6. X. 14. 20. 22. omneſque ſint Sacerdotes 1. *Petr.* II. 9. atque immediatè ad hæreditatem bonorum ſpiritua-

Digitized by Google

ſpiritualium vocentur. *Luc.* XXII. 29. *Hebr.* VIII. 6. Hinc & κατ' ἐξοχὴν ſunt filii DEI. *Dilecti, NUNC filii DEI ſumus* 1. *Joh.* III. 2. ſcilicet multò meliore jure quàm antea. Adde *Gal.* IV. 4. ſqq. Notandum II. bona, in quæ vi teſtamenti filii DEI immittuntur, hæc eſſe α poſſeſſionem totius mundi. 1. *Cor.* III. 21. 2. *Cor.* VIII. 9. β ſpirituale regnum. *Luc.* XXII. 29. Atque hùc pertinet victoria de peccato & inſanis cupiditatibus carnis *Rom.* VI. 14. 18. 2. conculcatio diaboli ſub pedibus *Rom.* XVI. 20. 3. triumphus de ſuperato univerſo mundo 1. *Joh.* V. 4. 4. inæſtimabiles divitiæ ſpiritualium donorum *Pſalm.* XLV. 10. etiam in mediâ paupertate, *Apoc.* II. 9. denique 5. ſancta animi pax & gaudium per Spiritum S. *Rom.* XIV. 17. Quæ omnia hîc inchoantur in gratiâ, conſummanda in gloriâ. γ ipſumDEUM. *Rom.* VIII. 17. Sumus enim *hæredes DEI.* Mutua hîc eſt hæreditas. Fideles ſunt portio DEI & DEUS eſt portio ipſorum. *Jer.* X. 16. Atque heic in poſſeſſione DEI א protectionem contra omne malum *Pſalm.* XCI. 2. ב communicationem omnis boni *Pſ.* XXXVI 8. iidem inveniunt. Notandum III. filios DEI *ſpiritu adoptionis* quoque animari. *Rom.* VIII. 9. 14. ſqq. *Gal.* IV. 6. *Ioh.* III. 5. ſqq. cujus & ſub priſco fœdere mentio eſt. *Num.* XIV. 24. *Neh.* IX. 20. *Pſalm.* CXLIII. 10. LI. 12. 13. 14. *Ieſ.* LXIII. 8. 11. Hic ſpiritus operatur 1. perſuaſionem de ſummâ charitate adoptantis 2. obe-

dientiam amoris 3. exſpectationem hæreditatis. Quarum rerum experientia & in fidelibus Vet. Teſtamenti ſubinde fuit *Pſalm.* IV. 8. XXXI. 8. LI. 14. XXXVI. 8. 9. 10. LXIII. 6. *Iob.* XXIX. 4. *Pſalm.* CXIX. 10. 14. 16. XIX. 9. 11. XVII. 15. 2. *Cor.* IV. 13. licet parcior. Hinc ſpiritus in Vet. Teſtamento ne quidem exſtitiſſe dicitur *Ioh.* VIII. 39. atque ita Novo Teſtamento promittitur, tanquàm in veteri non fuerit. *Ieſ.* XXXV. 6. 7. XLIV. 3. *Ezech.* XXXIV. 26. 27. *Ioël.* II. 28. *Zach.* XIV. 8. coll. *Ezech.* XLVII. 1. ſqq. Jam verò largiſſimus in Novo Teſtamento datur ſpiritus 1. quoad conſolationem. *Phil.* IV. 7. 1. *Petr.* I. 8. 1. *Ioh.* IV. 18. 2. quoad ſanctimoniam *Gal.* II. 20. *Phil.* III. 7. ſqq. 3 quoad ſpem & fiduciam *Rom.* VIII. 2. 2. *Cor.* V. 1. 2. 2. *Tim* IV. 8. *Phil.* I. 23. Notandum IV. duos huic ſpiritui effectus à S. Paulo adſignari. א quòd faciat clamare *Abba Pater* ב quòd unà *cum ſpiritu noſtro teſtificetur, nos eſſe filios DEI. Rom.* VIII. 15. 16. Adde *Gal.* IV. 6. *Hebr.* IV. 16. Facit itaque ſpiritus, ut loquamur, imò ut non tantùm muſſitantes aut vix audentes loquamur, uti illi, quorum tremulam vocem metus coërcet, ſed ut clamemus, ABBA PATER, ubi notanda & ejuſdem nomenclationis geminatio & vocis ABBA ſignificatio, utraque emphatica. Jam enim quoad vocem ABBA notanda venit egregia JO. LIGHTFOOTI ad *Marc.* XIV. 36. obſervatio, ubi longi

longa exemplorum farragine adducta vir eruditus probat, אבי *Abbi* patrem quidem naturalem denotare ſed & ſimul Patrem civilem, ſeniorem, Dominum, Doctorem, Magiſtratum, verùm אבא *Abba* Patrem ſolum naturalem aut adoptantem deſignare. Deniq; V. & obſervanda ſunt filiorum DEI gnoriſmata, quorum primum eſt conformitas cum DEO, quæ in hac vita incipit *Eph.* IV. 24. in futura conſummatur *Rom.* VIII. 23. 1. *Ioh.* III. 2 ſecundum nova vita & ſpiritus adoptionis, *Eph.* V. 1. *Gal.* IV. 6. *Rom.* VIII. 2. tertium verus & ſincerus DEI amor 1. *Ioh.* IV. 19. quartum reverentia & obedientia filialis, quam DEO præſtant. *Mal.* I. 6. 1. *Petr.* I. 17. quintum φιλαδελφία mutua. 1. *Ioh.* IV. 20. Quod reſtat, paucis addimus, nos in hoc de adoptione argumento *τρόπον παιδείας* WITSIANUM, verbis quoque ipſius in uſum noſtrum verſis, penitùs ſecutum eſſe. Vide *Oecon. fœd. DEI L.* 3. *C.* 10. 11. *& L. C.* 12. *§.* 44. *ſqq.*

§. V.

Conſequens adoptionis eſt omninò libertas Chriſtiana, quæ non eſt exemtio à poteſtate civili *Tit.* III. 1. nec carnalis omnis *ἀνομίας* licentia *Gal.* V. 13. 1. *Petr.* II. 16. nec libertas à legis obſervatione, quicquid 1. *Tim.* I. 9. dicatur, ubi ſaltem dicitur, quòd lex juſto non incubet tanquàm jugum, quod ipſum urat, cùm eam ſponte is faciat, ſed intelligitur hîc libertas 1. à tyrannide Satanæ *Col.* I. 23. 2. à peccati

poteſtate

Digitized by Google

poteſtate dominante *Rom.* VI. 14. & damnante *Rom.* VIII. 1. Scilicet in juſtificatione fidelis liberatur à reatu & pœna peccati, in converſione & ſanctificatione ab ejus dominio, denique in morte ab ejus fomite & inhabitatione. 3. à rigore legis, quo lex exactiſſimam obedientiam tanquàm conditionem ad vitam æternam nanciſcendam poſcit atque ad quodvis delictum maledictionem intentat. *Rom.* VI. 14. VIII. 2. 4. à morte maledicta tàm corporis quàm animæ. Nam etiamſi corpus fidelium quorumcunque moriatur propter peccatum *Rom.* VIII. 10. mors tamen illa aculeum ſuum amiſit 1. *Cor.* XV. 55. & finis peccati ac miſeriæ tranſitusque ad vitam æternam eſt *Ioh.* V. 24. Atque hactenùs immunes ſunt fideles ab ea morte, quam DEUS ut pœnam propriè dictam & horribilis excandeſcentiæ effectum homini peccanti interminatus eſt. *Ioh.* VIII. 51. 52. Neque ſolùm τò formale pœnæ à morte fidelium ſublatum eſt, ſed &, quicquid ad mortis reliquias pertinet, abolebitur tandem per glorioſam reſurrectionem 1. *Cor.* XV. 54. Accedit 5. libertas ab imperio humano in ratione cultûs divini & circa actus religioſos quà tales. In conſcientias enim ſolus DEUS imperium habet. *Luc.* IV. 22. Neque filiis DEI, qui norunt, ſe pretio emtos eſſe, fas eſt, ſervos fieri hominum 1. *Cor.* VII. 23. *Matth.* XV. 9. *Col.* II. 18. 22. 23. Denique 6. adſpergenda & eſt libertas à vinculo religionis circa res medias & indifferentes, quæ neque bonæ neque malæ ſunt, neque

Digitized by Google

neque juſſæ à DEO neque prohibitæ, cujus libertatis notitia & ſenſus ubi abeſt, ibi nulla conſcientiis queis, nullus ſuperſtitionum modus ac finis *Rom.* XIV. 5. 14. 23. Diſtinguenda interim κτῆσις à χρήσει *jus* ab *exercitio*, quorum illud integrum ſemper conſcientiis remanere debet, hoc regulis prudentiæ & charitatis circumſcriptum eſt, ne ſcandalum detur infirmis fratribus 1. *Cor.* VI. 12. & X. 23. *Rom.* XIV. 19. Eſt verò libertas, quam ſic explanatam dedimus, utrique Teſtamento communis. Eſt & alia Novo Teſtamento propria. 1. manumiſſio à ſervitute elementorum mundi ſive priſcarum cærimoniarum, quarum tanquàm neceſſariarum religione primùm ſolutæ mentes ſunt *Act.* XV. 10. licet earum uſus arbitrarius aliquantiſper manſerit & prudenter ſuaderi potuerit. *Act.* XXI. 24. Ex vivis enim primùm mortuæ, ex neceſſariis arbitrariæ factæ ſunt: poſt ex mortuis mortiferæ, ex arbitrariis illicitæ, nunquàm refodiendæ poſt plenariam Evangelii promulgationem & templi Hieroſolymitani, quæ ſedes erat cærimoniarum ſacrarum, demolitionem. 2. libertas circa plurimas res naturà ſuâ indifferentes, quarum vel uſus vel abſtinentia olim Iſraëlitis injuncta erant. *Tit.* I. 15. *Col.* II. 20. 21. 1. *Cor.* X. 25. 3. immunitas à legibus forenſibus Iſraëlitarum, non quà juris communis erant, ſed quà juris particularis, latæ Judæis quà talibus, diſtinctivæ eorum

eorum ab aliis gentibus, accommodatæ ad genium gentis ac regionis & ſubſervientes maximam partem ſacerdotio Levitico, cui tota fermè politia innexa erat. Queis vel tandem hoc addimus, clariorem & perfectiorem libertatis Chriſtianæ ſecundum omnes partes & gradus promulgationem, cognitionem & uſum in N. T. ſeſe exerere. Vide WITSII (cujus veſtigia iterum hîc prorſus terimus,) *Oecon. fœd. DEI L. 4. C. 15. §. 16. ſqq.* Adde &, ſi placet, DAN. TILENI *Syntagma Theologicum P. 2. diſp.* 32 cum quo velim conferas ea, quæ Reverendiſſ. D. JÆGERUS in *compendio Theologiæ per fœdera* hoc in articulo ponit.

§. VI.

Quid itaque jam nunc ſupereſt, quàm ut, qui juſtificati à DEO, qui in filios DEI adoptati, qui in libertatem filiis DEI dignam aſſerti ſumus, juſtitiæ omni modo ſervandæ & faciendæ ſtudeamus eamque vitam ineamus, quæ filiis DEI digna ſit, quâ & manifeſtum omnibus faciamus, nos re verâ à peccati dominio liberos & manumiſſos eſſe. Miſeri profectò mortales, qui in juſtificationis, qui in adoptionis, qui in libertatis ſpiritualis ſtatu vos verſari ſomniatis, ubi ſervi peccati & injuſtitiæ & diaboli exiſtitis. Surgite tandem è lethargo, qui vos occupat, nec ullam amplius juſtificationem vobis competere præſumite, niſi quæ compunctionem iſtam ſpiritualem cordis veſtri ſecuta ſit, quâ pecca-

toi

Digitized by Google

tor ſincerâ reſipiſcentiâ tactus peccatis ſuis jugiter ingemiſcat, quæ & converſionem ſibi conjunctiſſimam & ſanctificationem, nullo temporis intervallo poſito, pone ſequentem habeat. Noli verò & confidere ſive bonis tuis (quæ qui habet, certè nullo unquam merito ſuo inhiabit) ſive externis * ſaltem operibus, quæ & hypocritis competere poſſunt, & vel tandem hoc diſce penituſque menti tuæ imprime, CHRISTIANISMUM IN EXTERNIS CÆRIMONIIS VEL OPERIBUS HAUDQUAQUAM SED IN MUTATIONE MENTIS ET CORDIS CONSISTERE. Queis ſuppoſitis ſi ad Chriſtum ſic confugias peccator, ſi juſtitiam ejus in ſanguinem & ſuccum tuum vertas, ſi ex ipſius meritis omnem ad vitam tuam ſpiritualem inchoandam, nutriendam & firmandam virtutem extrahas, tunc demùm articulum de juſtificatione rectè intelliges atque idoneus capiendis ſolatiis iis, quæ iſte luculentiſſima planè exhibet, eris. Quin & ipſa hæc ſolatia tùm incitamento tibi ad vitam ſanctiorem, quo perduceris, erunt. Quanta enim quæſo hæc eſt animi noſtri diffuſio, quanta ſtatûs noſtri nobilitas, quanta gloria, quàm auguſta ſpes, ubi recogitamus, nos coram tribunali DEI ab omni peccati reatu & pœnâ abſolutos & juſtificatos, nos in filios DEI adoptatos atque in ſummam illam libertatem, quæ DEO nos aſſerit totos, adſcitos eſſe. Quàm verò & potens

eſt

Digitized by Google

eſt hic ſtimulus, quem talia conſiderando intus ſentimus & quo ad implenda filiorum DEI officia impellimur, imò quàm potens, quàm dulcis eſt ſpiritus ille, quo anima noſtra gaudet, qui ſine intermiſſione ad bonum agendum nos excitat, qui nos compungit, caſtigat, docet, monet, conſolatur, qui illud *Abba Pater* jugiter animis noſtris occlamat, qui denique arrhabo eſt futuræ hæreditatis, quæ ipſa ſummi boni, DEI ſcilicet ipſius, plenaria poſſeſſio erit?

P. II. Cap. IX.
DE
CONVERSIONE, POENITENTIA ET FIDE.

§. I.

EVolutis gratiæ divinæ actibus forenſibus ad actus ἐνεργητικοὺς jam via patet. Agendum verò primum eſt de converſione, quæ & alio nomine regeneratio *Joh.* III. 5. *Tit.* III. 5. & vivificatio *Eph.* II. 5. *Col.* II. 13. dicitur, etſi tantiſper à ſe invicem hæc duo differant, tùm quòd converſio de infantibus haud dicitur, quibus tamen regeneratio adſcribitur,

bitur, tùm quod regeneratio per verbum & ſacramenta, converſio per verbum ſolùm fit. Jam totam doctrinam hanc certis poſitionibus includamus. I. Converſio eſt vel activa, quæ eſt actio DEI hominem convertentis & regenerantis *Jerem.* XXXI. 18. *Act.* XV. 21. XXVI. 18. vel paſſiva, quæ eſt ſpiritualis mutatio in ipſo hominis intellectu & voluntate *Thren.* V. 21. *Ezech.* XVIII. 30. 32. XXXIII. 11. *Joël.* II. 12. *Jerem.* III. 12. 13. II. DEUS eſt, qui convertit & regenerat, id quod tamen terminativè & οἰκονομικῶς ſoli Spiritui S. adſcribitur. *Ezech.* XXXVI. 27. *Joh.* III. 5. 1. *Cor.* VI. 11. XII. 3. *Tit.* III. 5. III. DEUS hominem per verbum & ſacramenta regenerat & convertit. *Jac.* I. 18. 1. *Pet.* I. 23. *Joh.* III. 5. *Tit.* III. 5. *Rom.* I. 16. 1. *Cor.* I. 21. IV. DEUS hanc in rem miniſterio efficaciſſimo doctorum Evangelii utitur. 1. *Cor.* IV. 15. *Gal.* IV. 19. *Jac.* V. 20. Eadem autem eſt converſio, quæ à DEO, quæ & per verbum, quæ denique ex miniſterio doctorum Evangelii perficitur. V. Homo per regenerationem & converſionem è ſtatu peccati in ſtatum gratiæ, è tenebris in lucem, ex incredulitate ad fidem, ex dominio peccati & voluptatum ad ſanctimoniam tranſducitur. *Joh.* VI. 65. *Rom.* V. 12. VIII. 7. 1. *Cor.* II. 14. 1. *Joh.* IV. 9. *Eph.* II. 1. ſqq. IV. 17. ſqq. V. 8. *Act.* XXVI. 16. *Joh.* I. 5. VIII. 7. *Tit.* I. 16. VI. Regeneratio & converſio ſucceſſivè

Kk

Digitized by Google

ceſſivè in nobis peragitur, uti enim habitus animi naturales per actus naturales, ita etiam habitus animi ſupernaturales per actus ſupernaturales à Spiritu S. per verbum excitatos acquiruntur, niſi quod regeneratio infantum & primi vitalis motûs collatio in inſtanti fieri videatur. VII. Converſio habet actus ſuos præparatorios. Hinc gratia DEI, quæ hîc ſe manifeſtat, variè diſpeſcitur. Agedum diverſos παιδείας τρόπους, qui heic apud Theologos noſtros reperiuntur, paululùm evolvamus. KOENIGIUS in Theologiâ poſitivâ ait, gratiam DEI duplicem eſſe, vel *aſſiſtentem*, quæ circa hominem convertendum occupatur vel *inhabitantem*, quæ vel hominis converſionem actu perficit vel ipſam ponè ſequitur. Gratiæ *aſſiſtentis* quinque ſunt gradus, gratia *incipiens* ſeu *præveniens*, quâ Sp. S. homini irregenito objectum ſalvificum mediante verbo proponit & incapacitatem ipſius naturalem aufert, non per modum habitûs infuſi ſed actûs tranſeuntis ſeu venti ſpirantis *Joh.* III. 8. pulſus *Apoc.* III. 10. apertionis & tractionis *Act.* XVI. 14 *Joh.* VI. 44. 2. gratia *præparans* ſive *ſubſequens*, quâ repugnantia hominis naturalis tollitur, ne fiat affectata & moroſa, 1. *Tim.* I. 13. *Act.* IX. 4. II. 13. 3. gratia *excitans*; quæ hiſtoricam & literalem credendorum notitiam & aſſenſum mediante itidem verbo itemque compunctionem & contritionem ob peccata admiſſa producit. *Act.* II. 37.

Joh.

Digitized by Google

Joh. VI. 44. *Apoc.* III. 20. 4. gratia *operans*, quæ deſiderium & propoſitum converſionis efficit *Luc.* VIII. 13. XIII. 17. *Act.* XIII. 48. XVI. 14. XXIV. 25. 2. *Cor.* III. 3. 5. gratia *perficiens*, quæ compunctionem, fidem converſionemque perficit hominemque ſpiritualiter vivificat. HULSEMANNUS de *auxiliis gratiæ* p. 17. ſqq. diſtinguit inter gratiam incipientem, operantem & perficientem. *Incipiens* operatur non-repugnantiam, & hîc homo merè paſſivè ſe habet, *Act.* XXVI. 28 XXIV. 25. *operans* ſive *excitans* compunctionem, aſſenſum, conatum, deſiderium propoſitumque converſionis efficit, *perficiens* converſionem conſummat. MUSÆUS *in tr. de converſione* gratiam converſionis ait eſſe *prævenientem*, quæ liberum hominis arbitrium præveniat, excitet, præparet, *operantem*, quâ motus homo ad converſionem ſui atque ad Chriſtum jam licet motu adhùc languido tendat, & denique *cooperantem*, quæ cum voluntate hominis, viribus datis jam ornatâ converſionem perficiat. Ubi nota, MUSÆUM id ſolicitè notare, quòd homo quidem in initiis converſionis ſe merè paſſivè habeat, at verò in ejus progreſſu per acceptas jam ſpirituales vires activè concurrat & cooperetur. FECHTIUS in *aphoriſmis* de ordine modoque gratiæ divinæ, cùm aph. 5. dixiſſet, apud Auguſtinum aliosque Patres occurrere gratiam prævenientem, excitantem, moventem,

Digitized by Google

præparantem, operantem, cooperantem, concomitantem, adjuvantem, ſubſequentem, perficientem, ubi ſubinde ſynonyma concurrere quivis videt, quadruplicem gratiam ipſe facit, prævenientem, præparantem, operantem & adjuvantem. Quæ ipſa antequàm explicet, ait, naturæ inſtinctus gratiam præcedere atque quatenus ex intentione DEI pædagogiam quandam ad quærendam revelationem inferant, non ac ſi quocunque cauſali modo homini ſalutem aut ea, quæ hùc pertinent, conferre vel veri inſtar medii eundem ad converſionem diſponere poſſent, hactenus remotiore ſenſu ad gratiam referri poſſe, quæ ſententia ſit HULSEMANNI & OSIANDRI, qui duplicem gratiam prævenientem ſtatuant, unam extra Eccleſiam, quæ beneficio luminis naturæ ſe exerat, alteram in Eccleſiâ, quæ beneficio verbi fiat, quarum tamen utraque influxum DEI gratioſum merito Chriſti partum ſecum vehat. Hiſce præmiſſis ait, gratiam *prævenientem* initium converſionis facere, *præparantem* intellectum illuminare, *operantem* converſionem quoad ſe abſolvere, & hos omnes gradus ad gratiam *aſſiſtentem* referri poſſe. *Inhabitantem* gratiam diſtingui in *perficientem* & *adjuvantem*. *Perficientis* varios eſſe actus 1. gratiam conſervantem 2. gratiam confirmantem 3. gratiam roborantem 4. gratiam conſolantem & erigentem. *Adjuvantis* itidem & varios actus eſſe, quò neſcio cur referat vir doctus 1. gratiam regenerantem, cùm, quam 2. idem addit, ſanctificans

potius

potius & 3. locupletans itemque 4. conſummans hùc pertinere videatur. Ubi ſanè hoc jam addendum ἐν παρόδῳ venit, Theologos hîc (1) entia præter neceſſitatem nimis multiplicare (2) nimis terminis Theologiæ ſtudioſos ſaltem confundere, maximè cùm unus terminum ſic, alius aliter ſumat. Jam & ait FECHTIUS, hominem demùm *in ipſo momento completæ converſionis vivere incipere & vitæ ſuæ edere indicia* adeòque ante completam converſionem DEO haud cooperari. Addit & Theologus idem accuratiſſimus primos gratiæ prævenientis motus eſſe *irreſiſtibiles*, quem terminum ex MUSÆI tract. Hal. de *converſione* adfert, ubi verò alii malunt dicere *inevitabiles*. Vide *primitias* noſtras *Tubingenſes P. I. p. 112.* Scilicet heic nec proceſſus in infinitum nec ſynergiſmus, neque etiam gratiæ irreſiſtibilitas abſoluta ſtatuenda eſt. Primum emergit ex eo, ſi vitato ſynergiſmo primorum gratiæ prævenientis motuum inevitabilitatem, quæ & ex ipſâ experientiâ reique naturâ liquet, (jam enim, ſi oculos aperueris die poſitâ, objecta quævis, quæ adſunt, inevitabiliter vides,) inconſultus quis negaverit. Si enim quæratur, unde hoc ſit, quod gratiæ convertenti non reſiſtas, non potes reſpondere, hoc proficiſci ex liberâ voluntatis tuæ determinatione, id quod eſſet ſynergiſmo inhiare, ſed reſpondere debes, hoc eſſe ex gratiâ præveniente. Si deinde nova formetur quæſtio, unde hoc ſit, quòd gratiæ prævenienti repugnantiam iſtam tollenti & te idoneum

neum ad ejuſdem non-reſiſtentiam reddenti haud reſiſtas, non potes reſpondere, hoc iterum eſſe ex gratiæ prævenientis alio quodam anteriore motu, cùm de hoc itidem illa quæſtio recurreret, & ſic in infinitum. Itaque vel tandem ponendus eſt terminus ſtatuendumque, primos gratiæ prævenientis motus eſſe inevitabiles. Vitandus enim omni modo eſt ſynergiſmus, juxta quem ſtatuitur, poſſe hominem per vires naturales ſub initium converſionis ſtatim Spiritui S. cooperari, quæ tamen ſententia probè ab illâ diſtinguenda venit, quâ Theologi quidam orthodoxi dicunt, hominem in converſionis ultimo actu, ubi gratia perficiens operatur, ex viribus jam datis hoc eſt ſpiritualibus cooperari, hic enim ſynergiſmus dein ipſe ſpiritualis eſt. Denique vitanda eſt etiam hîc gratiæ irreſiſtibilitas abſoluta, ubi ſtatuitur, gratiæ convertenti in totum haud reſiſti poſſe, quæ Reformatorum, quæ Thomiſtarum mens eſt. Dicimus enim, primis ſaltem gratiæ prævenientis motibus haud reſiſti poſſe *Act.* VII. 54. uti e. g. ſi oculos jam aperiam, literas, quas heic pingo, non videre non poſſum. Aſt illicò, ſi pro pravitate voluntatis meæ velim, motibus iſtis ſanctioribus, ubi primum ipſorum momentum, id quod evitare non poſſum, prætericrit, reſiſtere poſſum, uti, ubi voluero, ſtatim oculos claudere poſſum, ut literas, quas pinxi, ampliùs non videam. Abſurdus igitur fuerit, qui iis, qui inevitabilitatem hanc

atque

Digitized by Google

atque indeclinabilitatem gratiæ prævenientis ſtatuerit, irreſiſtibilitatem gratiæ abſolutam impegerit. Eſt itaque gratia illa, quâ convertimur, quâ regeneramur, virtus illa, vis illa, potentia illa divina, non quam DEUS in naturæ ſed quam in gratiæ regno exercet, merito Chriſti luculentiſſimo & infinito parta, quâ DEUS, quâ Spiritus S. mirâ heic ſuavitate capita noſtra demulcens corda vertit, mutat, regenerat, vivificat novamque & divinam vitam, novas ad benè agendum officiaque Chriſtianiſmi implenda vires nobis confert. Et hæc gratia non eſt abſoluta ſed ordinata, non eſt particularis ſed univerſalis, id quod non de effectu ſed de deſtinatione & intentione divinâ intelligi debet, eſt porrò ſufficiens ſive mediatè ſive immediatè ſimulque & efficax, non quidem hæc ſemper ratione effectûs plenarii, (neque enim eſt irreſiſtibilis ſed reſiſtibilis) ſed ratione virtutis intrinſecæ, quæ infinita, quæ efficaciſſima, quæ longè potentiſſima eſt, & ſubinde ſaltem per motus prævenientes certiſſimè ſeſe exerit &, ubi moroſè rejicitur, odor mortis ad mortem fit, quæ odor vitæ ad vitam ſuâ naturâ erat, eſt verò ſic & eadem amiſſibilis, eſt & iterabilis, unde gratia revocatrix, de quâ diſputatum fuit, num & induratis uſque ad finem vitæ competat, & num iidem ſemper ſub œconomiâ voluntatis DEI antecedentis ſtent? Dividitur dein & gratia pro diverſitate actuum ſuorum, ita datur gratia juſtificationis, adoptio-

Digitized by Google

nis, regenerationis, converſionis, ſanctificationis. Jam alia etiam dicitur gratia gratioſa, quæ cum merito operum conſiſtere poteſt & in adjutorio *ſine quo non* conſiſtit, ad ſtatum integritatis pertinens & gratia gratuita ſive medicinalis aut adjorium *quo*, omne noſtrum meritum excludens & ſtatui lapſûs propria, alia eſt gratia gratum faciens, qualis e. g. eſt juſtificationis, alia gratia gratis data, qualis eſt gratia chariſmatum e. g. miraculorum &c. quæ à liberrima planè DEI diſpenſatione pendet nec omnibus ſanè promiſſa eſt, eſt denique alia ordinaria, alia extraordinaria. Velim autem & notari probè modum, quo Spiritus S. gratia convertens agit. Non enim, uti Remonſtrantes, uti Pajoniſtæ, uti Congruiſtæ quivis ſtatuunt, gratia ſaltem objectivè per ſuaſiones morales agit, ſed internè, ſed immediatè non immedietate medii, qua ratione verbum excluderetur, ſed immedietate virtutis & ſuppoſiti agit, id quod probè notandum eſt. Vide HULSEMANN. de *anx. gr. p. 190. 191.* Denique & hoc addendum eſt, nihil ſalutare eſſe DEOque in regno gratiæ placere, niſi quod ex gratia profluat. Non igitur eſt, quòd de fanatiſmo aliquid, quòd & de Pelagianiſmo vel ſynergiſmo, quod & de irreſiſtibiliſmo quicquam nobis hîc metuamus, ſi hoc modo gratiam convertentem explicemus. Conferri autem ex Theologis noſtris hîc poſſunt & merentur præ aliis, ſi quidem *Formulæ Concordiæ* contra ſynergiſtas

eſſata

Digitized by Google

eſſata hîc primùm deguſtaverimus, hi maximè, JOANN. GEORG. DORSCHÆUS tùm in *diſſ. theol. pentadecade Diſſ. 9. p. 300. ſqq.* tùm in tractatu noviſſimo de *gratia*, *Paulo Ferrio*, Miniſtro Metenſi Reformato oppoſita, ubi ſanè & Scholaſticorum Pontificiorumque, maximè & Janſenii (cujus ſyſtema ex noſtris DORSCHÆO nemo melius intellexit, cæteris ferè omnibus Autorem hunc minùs capientibus) & Reformatorum principia ſolidè exhibet, porrò JO. HULSEMANNUS in diatribe ſcholaſtica de *auxiliis gratiæ*, ubi & Patrum & Romanenſium & Reformatorum & Remonſtrantium ſententias idem hîc exhibet & ſub ſcholaſticæ ſubtilitatis, qua Vir iſte plurimùm etiam ad moroſitatem lectoris uſque polluit, incudem & trutinam revocat, JO. MUSÆUS in utroque de *converſione* tractatu denique JO. FECHTIUS in *aphoriſmis* jam citatis, ut ea, quæ circa hiſtoriam dogmatis de gratia nos in ſynopſi dedimus, taceamus. Vide *primitias* noſtras *Tubingenſes* P. I. p. 87. ſqq. Jam autem dum hæc agimus, variæ *gratiæ* in ſacro codice acceptiones nobis haud negligendæ ſunt. Ita enim ſumitur gratia (1) pro benevolentia & miſericordia divina, qua DEUS gratis noſtri miſeretur (2) pro merito Chriſti nobis acquiſito (3) pro mediorum ſalutis virtutiſque divinæ, ad converſionem, ſanctificationem & ſalvationem noſtram quæ neceſſaria eſt, applicatione. 1. *Cor.* III. 10. XV. 10.

Eph. I. 6. ſqq. II. 5. 1. *Petr.* V. 10. Præcipuus locus, qui de gratia habetur in literis ſacris exſtat *Joh.* I. 16. ubi: *ex plenitudine ejus gratiam pro gratiâ ſumſimus*, quem ita Cyprianus in libro *ad Donatum* f. 3. 4. παραφράζει. *Non, qui beneficiorum terreſtrium mos eſt, in capeſſendo munere cœleſti menſura ulla vel modus eſt. Profluens largiter ſpiritus nullis finibus premitur, nec coërcentibus clauſtris intra certa metarum ſpatia frenatur, manat jugiter, exuberat affluenter. Noſtrum tantùm ſitiat pectus & pateat. Quantum illuc fidei capacis afferimus, tantum gratiæ inundantis haurimus.* Quod reſtat, paucis, quid Jeſuitarum, quid Remonſtrantium, quid Socinianorum gratia *congrua* ſit, per quam converti nos putant, heic efferimus, nempe ejuſmodi perſuadendi & convertendi virtus, quæ efficaciam ſuam ſaltem ex congruentia quadam rationum, quæ nobis proponuntur, vel circumſtantiarum externarum, in quibus proponuntur, cum intellectus voluntatisque noſtræ naturali habitudine, appetitu & temperamento, non ex inſita ſibi vi & virtute divina atque vorticordia habet. Atque hæc gratia Pelagiana eſt. Vide DORSCH. in *Pentadec. Diſp.* 9. §. 24. 26. 27. HULSEM. de *aux. Grat. qu.* 5. *p.* 243. *ſqq.* & MIILLERI præfat. ad *evolut. ſacras.* Uti verò gratia congrua in exilium hic ab orthodoxis agitur, ita & gratia ſive phyſicè ſive moraliter prædeterminans. Vide HULSEM. de *aux. gr. p.*

Digitized by Google

gr. p. 296. ſqq. VIII. Converſio (a) eſt mutatio in hominis (b) intellectu (c) voluntate (d) & appetitu (e) à Spiritu S. (f) per verbum (g) excitata, qua homini vires conferuntur, quibus poteſt (h) intelligere, (i) aſſentiri, (k) credere & (l) obſequi & quibus (m) actu intelligit, aſſentitur, credit & obſequitur in iis, quæ ad ſalutem ſcitu, creditu & factu neceſſaria ſunt. Ita converſionem *Formula Concordiæ* definit ne n-que HULSEMANNUS, qui hæc dicta probantia addit. (a) *Jer.* XIII. 23. *Rom.* XII. 2. ubi continuatio includitur. Sic *Tit.* III. 5. *Col.* III. 10. *Hebr.* VI. 6. ἀνακαίνωσις vocatur. (b) *Eph.* IV. 23. ἀνανέωσις (c) *Eph.* II. 3. 1. *Petr.* IV. 3. (d) *Tit.* II. 12. *Rom.* I. 24 *Gal.* V. 24. (e) 1. *Cor.* XII. 4. 6. 2. *Cor.* III. 6 S. penult. 2. *Theſſ.* II. 13. (f) 1. *Petr.* I. 23. 1. *Cor.* I. 21. *Rom.* I. 16. (g) *Eph.* V. 14. (h) 1. *Cor.* I. 24. *Eph.* I. 17. (i) *Act.* XVI. 14. *Rom.* VIII. 9. (k) *Joh.* VI. 44. 45. (l) *Rom.* VI. 16. 17. (m) *Phil.* II. 9. ſqq. *Ioh.* VI. 29. *Hebr.* XI. *Phil.* I. 6 IX. Cauſa impulſiva interna eſt miſericordia DEI. 1. *Pet.* I. 3. *Eph.* II. 4. 5. *Tit.* III. 5. Externa & meritoria eſt Chriſtus *Joh.* I. 12. 13. 17. 2. *Tim.* I. 9. *Eph.* II. 10. X. Mutatio hæc ſpiritualis non eſt ſubſtantialis ſed accidentalis XI. Affectiones regenerationis & converſionis ſunt neceſſitas *Joh.* III 5. efficacia durabilis ex parte DEI ſuam gratiam non ſubtracturi fideli *Phil.* I. 6. *Joh.* X. 28. imperfe-

ctio,

Digitized by Google

ctio (eſt enim ſaltem inchoata in hâc vitâ, ubi profectò corpus mortis hujus adhuc durat *Rom.* VII. 24.) defectibilitas *Hebr.* III. 14. *Rom.* XI. 20. ſqq. *Gal.* IV. 19. ſive reſiſtibilitas, juxta quam eo ipſo momento, quo Spiritus S. non ſaltem externè nos vocat SED ET INTERNE, id quod jam negant Reformati, mentem tangit eamque vertere vult, homo reſiſtere poteſt *Matth.* XXIII. 37. *Luc.* VII. 30. *Joh.* V. 40. 43. XII. 37. *Act.* VII. 51. 52. XIII. 46. XXVI. 27. 29. 2. *Pet.* II. 20. *Ebr.* VI. 4. ſqq. denique iterabilitas. XII. Converſionis ſynonyma ſunt remotio cordis lapidei & donatio cordis carnei *Ezech.* XI. 19. XXXVI. 26. ſqq. circumciſio cordis *Deut.* XXX. 6. *Col.* II. 11. emollitio cordis 2. *Reg.* XXII. 19. ſqq. XIII. Infantes dicuntur regenerari *Joh.* III 6. quia gratia eſt univerſalis *Tit.* II. 11. 1. *Tim.* II. 6. quia Filii DEI ſunt *Rom.* VIII. 17. *Gal.* IV. 1. quia credunt *Marc.* IX. 42. *Luc.* I. 15. 41. 42. quia infantes Judæorum circumciſi fuere regeniti *Gen.* XVII. 12. *Rom.* IV. 9. 10. quia ſalvantur *Matth.* XVIII. 3. 4. 15. *Marc.* X. 14. Quod reſtat, probè cavendum eſt, ne in hoc articulo in extrema incidamus, quæ ſunt ex unâ parte Pelagianiſmus, Semipelagianiſmus, Moliniſmus ſive Congruiſmus & Synergiſmus, ex alterâ parte Prædeterminatiſmus & Irreſiſtibiliſmus. De Synergiſmo id unum notaverim, quod is primùm ſtatuatur à Jeſuitis, exiſtimantibus, liberum arbitrium ſtatim ab initio converſionis gratiæ divinæ viribus

bus

Digitized by Google

bus ſuis propriis cooperari, itemque à Synergiſtis noſtris, qui olim ſtatuere, in initio quidem converſionis hominem non cooperari, aſt benè in progreſſu idque viribus propriis naturalibus, in quo utique ab iis Theologis orthodoxis differunt, qui ajunt, hominem in progreſſu converſionis ex viribus datis cooperari, qui & exiſtimant, hominem in ſecundâ converſione ex viribus priore ex converſione adhùc reſiduis ſtatim cooperari, id quod cum grano ſalis deque gratiæ prævenientis majore ſaltem luce eàque ex priore converſione reſiduâ intelligi debet. Aſt & prædeterminatio ſive phyſica ſive moralis, niſi hæc magnâ ſalis item micâ condiatur, admitti nequit, uti nec irreſiſtibilitas, niſi ajas, gratiæ convertenti in ſenſu compoſito reſiſti non poſſe, aſt benè in ſenſu diviſo, quæ ſanè Thomiſtarum in argumento de gratiâ celebris eſt diſtinctio, juxta quam irreſiſtibilis gratia ea dicitur, cui actu non reſiſtitur, totam quæſtionem in logomachiam verſura. Scilicet habet ſe homo in converſione ſuâ merè paſſivè & obedientialiter, uti loquuntur Theologi & ut truncus, ita tamen, ut reſiſtere poſſit, quæ ipſa obſervatio & ipſis hiſce phraſibus itidem granum ſalis idque valdè neceſſarium addit. Vide *Form. Conc. p. 661. 662. 672. 673.* ubi mox dicitur, hominem ſe ut truncum habere in negotio converſionis, imò multò deteriorem eſſe trunco, mox negatur. Jam verò velim

heic

heic ut conferas ea omnia, quæ in libris ſymbolicis de libero arbitrio & regeneratione habentur.

§. II.

De pœnitentiâ ut jam agamus, ordo poſcit. Ea Græcè *μετάνοια*, *mutatio mentis*, latinâ voce commodè reſipiſcentia dicitur atque in effectu nihil aliud eſt, quàm converſio tranſitive accepta. Conſiſtit ex contritione & fide. *Jer.* XVIII. 8. *Marc.* I. 15. *Act.* XX. 21. XXVI. 18. Qui propoſitum emendandi vitam adiciunt, *φιλαπατιζοντες* dicuntur. Vide QVENSTEDIUM in *ſyſt. theol.* P. 3. f. 594. a. Addenda ſtatim eſt regula theologica: quando pœnitentiæ tribuitur effectus remiſſionis peccatorum, gratiæ divinæ, averſionis & mitigationis pœnarum, vitæ & ſalutis æternæ, nec tamen diſerta fit mentio fidei, in illis dictis per pœnitentiæ nomen totum converſionis opus intelligendum eſt, viciſſim, quando fides in Chriſtum pœnitentiæ diſertis verbis adjungitur, tunc pœnitentiæ nomine tantùm pars illius, videlicet contritio intelligitur. Jam verò rurſus DEUS eſt ſolus, qui pœnitentiam in nobis operatur, & terminativè quidem Sp. S. 2. *Cor.* III. 8. 1. *Cor.* VI. 11. XII. 3. 1. *Reg.* XVIII. 37. *Act.* V. 31. XI. 18. 2. Tim. II. 25. 26. Itaque homo hîc quoad receptionem virium ſpiritualium merè paſſivè ſe habet, aſt ſtatim, ubi viribus hiſce in pœnitentiâ utitur, cooperatur, ſc. per ipſas has vires datas. Cauſa inſtrumentalis

Digitized by Google

talis pœnitentiæ verbum DEI eſt, contritionis lex *Rom.* VII. 7. III. 20. imò ſanè & Evangelium *Tit.* II. 11. 2. *Cor.* VII. 8. ſqq. quis enim negaverit, conſiderationem amoris divini in Chriſto JESU paſſionumque Chriſti ſalvificarum ob peccata noſtra ipſi inflictarum gratiæque divinæ ſuavitatem illam vimque ςρεφικάρδιον corda noſtra compungere, licet terror ille, quem lex incutit, conterat & triſtitiam mundi operetur, Evangelio triſtitiam ſecundùm DEUM, quæ ſola veram reſipiſcentiam poſt ſe trahit, operante, fidei verò organon eſt Evangelium *Rom.* X. 8. 9. 17. Objectum contritionis ſunt peccata, fidei eſt meritum Chriſti, pœnitentiæ conſequens dicitur confeſſio & abſolutio, ad quam Pontificii requirunt (1) contritionem cordis, ubi ſanè maxima pars nudam *attritionem*, quæ ſaltem ex metu pœnarum infernalium oritur, abſolutè neceſſariam eſſe ait, ut nempe de peccato commiſſo doleas cum propoſito non ampliùs peccandi, abſtrahendo hactenus, unde dolor concipiatur, (2) confeſſionem oris & (3) ſatiſfactionem operis, neglectà fide, quam hiſtoricam nempe & in aſſenſu ſaltem conſiſtentem tanquàm neceſſariam præſupponunt. Jam quæſi videas, num pœnitentia ſit ſacramentum. Affirmat *Apologia Aug. Conf.* Art. 7. p. 200. ubi hæc habentur: *SI ſacramenta vocamus ritus, qui habent mandatum DEI & quibus addita eſt promiſſio gratiæ, verè ſunt ſacramenta, bapti-*

baptiſmus , Cœna Domini & abſolutio , quæ eſt ſacramentum pœnitentiæ. Et p. 201. additur : *Si ordo de miniſterio verbi intelligatur, non gravatim vocaverimus ordinem ſacramentum.* Aſt ſi elementum quoque terreſtre ad ſacramentum requiſiveris aut ſaltem ſignum externum, id quod eadem *Apologia p.* 267. requirit, nec pœnitentia nec ordo erunt ſacramentum. Tacemus pœnitentiam veteri & novo Teſt. communem eſſe nec eſſe ſigillum verbo appenſum, quæ ſacramenti in genere formalis ratio eſt. De confeſſione privatâ peccatorum coram Miniſtro Eccleſiæ faciendâ notandum eſt, eam, ut talem, præceptam haud eſſe, niſi ſub generaliori illâ diſpoſitione, quâ doctoribus noſtris obedire & commercium quoddam ſpirituale cum ipſis habere jubemur, id quod vix fieri poteſt, niſi ſpiritualem animorum noſtrorum ſtatum ipſis declaremus. Aſt peculiaris iſta confeſſionis forma præcepta haud eſt adeoque nec abſolutæ neceſſitatis, ubi tamen obtinet, rectè retinetur, maximè ſi ad ædificationem animis commodiùs ſic ingenerandam, remotâ omni tyrannide ſpirituali, remotâ & ſuperſtitione illâ, quâ miſelli homines putant, ſe reatu peccati conſtrictos eſſe, donec Miniſter Eccleſiæ abſolutionem pronunciet, & eo ipſo momento tunc à vinculis ſuis liberari, quâ & exiſtimant iidem, ſe, ſi ſaltem abſolutionem nacti fuerint, ſtatim tunc veros Chriſtianos eſſe, ſi, inquam, ad

Digitized by Google

ad ædificationem animis commodius ſic ingenerandam ea inflectatur, nec libertas Chriſtiana hic detrimenti quid capiat. Jam verò planè nolimus, ut, qui peccata confitetur, qui ſpiritualem animi ſui ſtatum miniſtro ſanctiori adaperit, ad omnia confitenda, quæ ipſi re probè penſitatâ ſe offerunt, obligetur, quæ horrenda conſcientiæ carnificina eſt, nullibi præcepta, magnaque ſecum incommoda ferens, Papatûs ſummum quoddam arcanum. Eſt enim hæc Romanenſium ſententia, qui ſanè cauſantur, peccatum mortale eſſe, ſi quis quædam reticeat, totamque abſolutionem ſic nullam reddi nec remitti peccatum poſſe, quod reticeatur. Et pertinet huc totum de confeſſione auriculari argumentum, quod inter Proteſtantes DALLÆUS egregiè, inter Pontificios BOILEAU & NAT. ALEX. excoluere. Allegant noſtri dictum *Pſ.* XIX. 13. ex quo, ajunt, & patere, enumerationem omnium peccatorum eſſe impoſſibilem. Jam & conſtat, confeſſionem auricularem (quam à confeſſione privatâ in tr. de *originibus juris eccleſiaſtici* probè diſtinximus) demùm ab Innocentio III. in Concilio Lateranenſi A. 1215. fuiſſe inſtitutam & in Conciliis Florentino & Tridentino repetitam. Nec eſt, quòd oggerant: *Non confeſſum, non remiſſum. Peccata ut à Sacerdote tanquam judice ſolvi poſſint, ſciri debere, cùm judex à nullo crimine reum poſſit abſolvere, niſi quod ſciat.*

Ll Jam

Jam enim hoc πρῶτον ipſorum ψεῦδος eſt, quòd ſupponunt, Sacerdotem hîc judicem eſſe. Ubi hoc quæſo ſcriptum exſtat? Et quî quæſo judex ille eſſe poteſt, qui arcana cordium neſcit & qui ſaltem miniſtrum DEI non DEUM hîc agit? Scilicet, cùm omnis abſolutio ſaltem hypothetica ſit, naturâ rei ipſius id aliter haud ferente, (ſupponi enim debet veritas & ſinceritas confeſſionis, de quâ apodicticam certitudinem nunquam habet Sacerdos,) cùm porrò abſolutio generalis eſſe ex inſtituto Chriſti debeat, DEO in genere omnia, QUÆCUNQUE DEMUM EA SINT, PECCATA nullâ unquam reſtrictione poſitâ remittente, ſi reſipiſcamus, ſi credamus, cùm denique & ea peccata à Pontificiis Sacerdotibus remittantur, quæ in confeſſione ex inadvertentiâ & quòd hujus rei oblivio tunc confitenti nullâ ſuâ culpâ ſubrepſerat, haud recenſita fuere, generalis quoque confeſſio ſufficit. Sed hæc quidem jam de pœnitentiâ ſufficiant, de quâ inter noſtros MUSÆUM & TREUNERUM conſuli velimus, qui poſterior & ex Evangelio eandem nec malè derivat.

§. III.

De fide jam, ſi placet, communem ſententiam percipiamus. I. DEUS eſt, qui fidem in nobis operatur, *Ioh.* VI. 29. *Phil.* I. 29. *Eph.* II. 8. *Col.* II. 12. Pater *Iac.* I. 17. Filius *Hebr.* XII. 2. & vel maximè Sp. S. *Gal.* V. 22. 1. *Cor.* XII. 3. Imò ſolus DEUS in nobis fidem opera-

operati poteſt. *Phil.* II. 13. I. 6. *Marc.* IX. 24. *Luc.* XVII. 5. 2. *Theſſ.* I. 11. 13. II. Fides ex verbo divino concipitur. *Ioh.* XVII. 20. *Rom.* X. 17. 1. *Cor.* I. 21. 2. *Cor.* IV. 6. Qui & per baptiſmum regenerantur, fide donantur. *Eph.* V. 26. *Tit.* III. 5. *Ioh.* III. 5. III. Miniſtri Evangelii itaque verbi ſui miniſterio ad fidem homines perducunt. 1. *Cor.* III. 5. IV. Fides (illa nempe quæ juſtificat, vel fides, quatenus juſtificare injuſtum dicitur,) conſtat ex tribus partibus, notitia, aſſenſu & fiducia. Prima eſt, quâ de DEO quædam, ſecunda, quâ DEO ut DEO, tertiâ, quâ in DEUM ut DEUM indubitatò credimus. Primam poſſunt habere hæretici, ſecundam tantùm orthodoxi, tertiam ſoli renati, adeoque poſterius ſemper includit prius, ſed non contra, priores duæ ad intelle-ctum, tertia ad voluntatem pertinet, priores reſpiciunt omne DEI verbum, tertia promiſſionem gratiæ & meritum Chriſti. Tres hæ fidei partes exprimuntur *Ioh.* XIV. 10. 11. 12. ubi verſ. 10. loquitur de notitiâ, verſus 11. de aſſenſu & verſus 12. de fiduciâ. De notitiâ evolve & *Ieſ.* LIII. 11. *Iob.* XIX. 25. *Ioh.* XVII. 3. de aſſenſu *Hebr.* XI. 1. *Ioh.* VIII. 24. XI. 27. 42. XVI 27. *Act.* VIII. 37. XXIV. 14. 1. *Theſſ.* II. 13. de fiduciâ *Eph.* III. 12. Eſt verò hæc fiducia apprehenſiva *Ioh.* I 5. 12. XVII. 8. *Rom.* V. 17. *Gal.* III. 14. *Luc.* VIII 13. *Act.* VIII. 14. *Iac.* I. 21. *Act.* X. 43. 1. *Tim.* I 15. & individualiter appropriativa *Iob.* XIX. 25. *Ieſ.* XLV. 24.

Ioh. XX. 28. *Gal.* II. 20. ſqq. meriti Chriſti. Unde ſacer Codex eam vocibus ἀπολαμβάνειν & ἀποδέχεσθαι exprimit, ubi Chriſtum cum juſtitiâ ſuâ apprehendimus *Rom.* IX. 30. omnique acceptione complectimur 1. *Tim.* I. 15. meritumque ipſius nobis appropriamus *Gal.* III. 26. *Phil.* I. 21. & ſuaviſſimè in eo acquieſcimus. *Rom.* IV. 21. *Hebr.* X. 22. Monent verò hic Theologi, fiduciam hanc non eſſe merè aſſenſitivam, quùm quis in intellectu ſuo pro indubitato habet, Chriſtum non tantùm pro omnibus ſed & pro ſe in individuo eſſe mortuum, ita enim & impii meritum Chriſti fiducialiter ſibi appropriare poſſunt, ſed practicam, ubi noſtræ miſeriæ profundiſſimâ inſpectione moti atque de nobiſmet ipſis deſperantes in Chriſtum Salvatorem noſtrum plenâ fide recumbimus & in ipſius meritis requiem animorum noſtrorum adinvenimus. Vide *Ioh.* I. 12. *Rom.* III. 30. *Hebr.* III. 14. XI. 1. *Eph.* III. 12. ubi voces ὑποστάσεως, πεποιθήσεως, πληροφορίας habentur, quæ plenam fiduciam denotant. V. Id quod per fidem cognoſcimus, cui & aſſenſum noſtrum adſpergimus, quod & fiducialiter apprehendimus, eſt meritum Chriſti. *Rom.* III. 24. 25. VI. Effectus fidei eſt vel mediatus immediatus. Immediatus eſt peccatorum remiſſio *Act.* X. 43. adoptio *Ioh.* I. 12. juſtificatio *Rom.* IV. 5. X. 4. pax ſpiritualis *Rom.* V. 1.

Digitized by Google

V. 1. 2. Mediatus ſunt bona opera *Rom.* V. 3. victoria mundi & Satanæ 1. *Ioh.* V. 4. *Eph.* VI. 16. amor DEI & proximi, fides enim eſt efficax per charitatem *Gal.* V. 6. VII. Cauſalitas fidei conſideratur vel in ordine ad juſtificationem vel in ordine ad ſanctificationem. In ordine ad illam fides ſe habet ut cauſa organica, neque enim juſtificat ut opus nec ut cauſa operum ſed ut organum juſtitiam Chriſti apprehendens. Hinc dicunt Theologi: fidem juſtificare non in prædicamento qualitatis, uti eſt opus aut virtus, ſed in prædicamento relationis, in ſuo correlato ſeu per ſuum correlatum, quod eſt meritum Chriſti, uti manus mendici non ditat ſed theſaurus ſive eleemoſyna donata & manu apprehenſa, uti os non ſatiat ſtomachum ſed cibus apprehenſus. In ordine verò ad ſanctificationem fides ſe habet ut cauſa emanativa neque unquàm eſt ſine bonis operibus, quæ ſigna & teſtimonia fidei ſunt, è quibus ceu fructibus ipſa cognoſcitur. VIII. Præmium fidei eſt vita æterna *Ioh.* III. 16. 1. *Petr.* I. 9. Taceo adjuncta fidei unitatem *Eph.* IV. 5. firmitatem, certitudinem, amiſſibilitatem & quæ alia forſan huc retuleris. Atque ita doctrina de fide juſtificante explicari à Theologis ſolet.

§. IV.

Enarrato jam communi παιδείας τρόπῳ, qui in argumento de converſione, pœnitentia & fide obtinet, diſquirendum jam nobis venit, quidnam

nam medullæ ſanctioris in hac doctrina lateat, & quî, poſthabito omni frigore, quod facile hîc theoreticæ rerum evolutioni ſubnaſcitur, ad praxin luculentam iſta omnia verti poſſint. Quid enim quæſo miſerius, quàm eos articulos, qui longè πρακτικότατοι ſunt, ſcholaſticâ ſaltem ratione determinare nullamque heic animis excitationem ſpiritualem adferre ſed ſaltem ideis cerebrum implere limiteſquè orthodoxiæ hîc ponere, in phraſibus eccleſiaſticis conſiſtentes, quas qui migret, hæreticus ſit. Agedum, ſi placet, lector, ἀλήθειαν, quæ eſt in Chriſto JESU, quæ & ex divina luce proficiſcitur, hîc ſectemur. Quid igitur quæſo jam eſt illa hominis ad DEUM converſio, cujus rationes iis ſolis, qui ipſimet converſi ad DEUM ſunt, cognitas eſſe dudùm diximus atque præeunte ſpiritu ſanctiore *Apoc.* II. 17. iterum iterumque affirmavimus? Scilicet hanc ut intelligamus rectèque intelligamus, primùm quidem evolvendus nobis iſte peccati ſtatus eſt, in quo, quicunque nondum converſi ſunt, miſeri verſantur. Et heic jam, ſi in noſmet ipſos deſcenderimus & quid ibi, antequam ad Dominum verſa mens noſtra eſſet, actum fuerit, inquiſiverimus, horrenda malarum cupiditatum, perverſorum deſideriorum, pravarum conſuetudinum, peccatorum dominantium ſeges vulnerumque conſcientiæ inflictorum copia magna &, ſi naturalis quædam nobis honeſtas inſit, ſi & virtutis naturalis

turalis exercitium quoddam affectuumque malè compoſitorum refrenatio apud nos inveniatur, quæ forſitan à rerum haud ſatis gnaris pro converſione ſed perperam venditari poſſit, acedia tamen & torpor quidam ſpiritualis animo inſidens, quæ inidoneum ad bonum agendum illum eſſe oſtendit, exulante præterea omni cum DEO penitiore commercio, quod ſolos nos beatos facit, exulante & verâ in DEUM fiduciâ amoriſque divini ſenſu omni, denique occultâ ambitione & voluptate & avaritiâ & mundi pomparumque ipſius amore nihilominus cor virtute omni ſpirituali & divinâ pace vacuum occupante nobis rem jam in memoriam revocantibus ſeſe oggeret. Jam verò rebus ſic ſtantibus facilè cuivis patet, conditionem hanc mentis noſtræ longè miſerrimam eſſe, utpote quæ gloriâ DEI, quæ gratiâ DEI ſic penitus deſtituitur, & ubi è corpore ſic migrat, judicium tremendum & peccatoribus dudùm prædictum incurrere neceſſum habet. Ea autem eſt ſummi DEI gratia, ut, qui benevolentiâ intenſiſſimâ homines lapſos complectitur imaginemque ſuam per peccatum in iis deletam in iiſdem reſtaurare totus anhelat, qui tamen &, quo loco peccatum ipſi ſit & quî id impunitum dimittere haud velit, declaraturus erat, Filium ſuum chariſſimum in mortem tradiderit, quà nos tanti Mediatoris juſtitiam manu fidei apprehendentes inque ſuccum & ſanguinem vertentes cum ipſo reconciliaremur & in

gratiam rediremus, quà & virtus ſpiritûs ſanctioris præſtantiſſima nobis acquireretur, quà macti prava deſideria corruptæ ex lapſu primo mentis vinceremus, virtutes actaque Salvatoris, qui nobis datus eſt, imitaremur atque in omne ſanctitatis genus alacres componeremur inque ſtatum gratiæ pleniſſimè ſic reſtituti ſalvaremur. Atque hoc jam ſalutis nobis acquiſitæ Evangelium, hunc ſalutis nobis applicandæ ordinem DEUS O. M. qui ſummus eſt ipſius nobiſque nunquam ſatis deprædicandus atque exoſculandus amor, annunciandum nobis curat & iis, qui bona hæc verba, nova hæc bona audiunt, ampliſſimam gratiæ converſionem noſtram prævenientis lucem affundit, quà tenebris ſpiritualibus ſenſim ſenſimque migrantibus novus in mente noſtrâ ſplendor, nova quædam ſtella, quæ nobis illucet, exoritur, quà & poſitâ mens, viſo primùm legis anathemate, quod peccatoribus æternam mortem intentat, in terrores angoresque ſummos agitur, inſpectis verò poſt miſericordiarum divinarum viſceribus in intimis receſſibus ſuis graviter compungitur, propriam omnem, quam hactenus præſumſerat, juſtitiam pedibus conculcat, de admiſſis peccatis plurimùm dolet, Vatinianum adverſus quaſvis tranſgreſſiones odium concipit, pudore maximo coram tribunali divino ſuffunditur, nihilque magis quam ingratitudinem ſuam, quà adverſus tàm bonum, tàm benignum Patrem hactenus inſurrexerit & bona

ab

Digitized by Google

ab ipſo data & conceſſa dilapidaverit, idque acerbiſſimis lachrymis deplorat, mortemque ſe æternam & cruciatus haud finiendos prorſus ſiê meruiſſe millies millieſque affirmat ſeſeque ipſam, repetita ſemper peccati deteſtatione, condemnare prorſus atque ream pronunciare pergit, donec ſubitò compunctioni huic ſerenior quædam aura ſuccedit, qua peccator juſtitiam JESU CHRISTI, qui paſſione ſua mundum cum DEO reconciliavit, ſibi quoque affundi & coram divino tribunali juſtum ſeſe propter Chriſtum pronunciari, inque gratiam DEI, peccatis omnibus remiſſis inque oblivionis & amneſtiæ barathrum & miſericordiæ divinæ immenſæ mare jactis, ſe ſic recipi videt. Quo facto, diſpulſo ſic ſubitò timore, ipſe quantocyus hanc juſtitiam alacri manu, quam Spiritus ſanctus largitur animatque, apprehendit eoque ipſo momento per vim illam divinam, quam præſtantiſſimam, quam ſuaviſſimam dulciſſimamque, quam denique ſpiritualem (& ſanè qui talem in ſe motum primùm experitur, ſtatim, quid inter naturam gratiamque diſcriminis interſit, capit) quam, inquam, & ſpiritualem diviniſſimamque in ſe ſentit, CONVERTITUR. Atque heic quàm diverſa veteri illi rerum ſcenæ, quam modò adumbravimus, facies ſuccedat, vix à nobis ſatis exprimi poteſt. Jam enim omnia in aliud VERSA & MUTATA inque melius ſic fuſa eſſe videas. AUGUSTISSIMA hæc rerum mutatio eſt & longè EXCELLENTISSIMA,

MA, ubi in mente pro tenebris denſiſſimis amplíſſimus lucis ſanctiſſimæ, quâ ipſe DEUS involvitur, ſplendor iſque dein habitualis, pro morte ſpirituali vita nova, per novam creationem quæ ſic infunditur, pro voluptatum dominio ſanctiſſimorum motuum, unde dein virtutes Chriſtianæ quævis proficiſcuntur, abundantiſſima ſeges, pro voluptatibus & pompis hujus mundi, quas per fidem victores jam illicò vincimus & pedibus conculcamus & cruci figimus, carnis abnegatio & luctæ contra illam fortiſſimæ initium, pro ambitione humilitas & modeſtia, pro avaritia contemtus bonorum mundi hujus divitiarumque cœleſtium amor intenſiſſimus, pro acedia ſpirituali divinus ardor, qui tanquàm flamma quædam divina pectus noſtrum allambit atque adurit, largiſſimè ſuccedit, &, qui mundum hactenus quæſiverat, qui voluptatibus hactenus ſeſe ingurgitaverat atque inebriaverat, qui honoribus mundanis hactenus inhiaverat, qui opes perituras hucuſque congeſſerat, mutatis per Spiritum ſanctum deſideriis, dum ſibi mundum crucifigit, nil curat, ſi & ipſe illi crucifigatur, eundemque ex toto corde odio habet, bellumque perpetuum ipſi, ubi nulla venia locum habeat, indicat & ſola ea, quæ Domini ſunt, animæque ſuæ ſalutem jugiter quæritat, quotidianos porrò de pravis cupiditatibus ſuis victorias reportat, in ſolo & Domino ejuſque amore gloriatur divitiiſque nunquàm intermorituris hoc eſt, cœleſtibus colligendis

Digitized by Google

ligendis omnem ſuam operam dat, in continuum etiam cum DEO commercium, internum illud & longè ſuaviſſimum juncundiſſimumque deſcendit, omnibuſque cogitationibus ſuis animique motibus, verbiſque & factis ſine intermiſſione invigilat & brabeum vocationis ſupernæ in Chriſto irretortis oculis, quos & hîc lux divina ſemper animat, reſpicit. Quæ ipſa ſanè ſatis declarant, quì cum juſtificatione converſio & cum converſione renovatio blandiſſimo quodam, neceſſario & intimo nexu cohæreant, quem nexum divellere nemo niſi *ἁμαρτικῶν ἁμαρτικώτατος*, cui utpote JESUM Chriſtum non amanti anathema quivis Chriſtianus mecum jure merito dixerit, poſſit. Jam & ſic luce clarius patet, quid ſit illa fides juſtifica, quæ ſola tantum opus in nobis efficit, non ſcilicet *otioſa quadam idea*, quam ex naturalibus viribus ſibi miſeri homines formant, ubi meritum quidem Chriſti ſibi appropriant & tamen in morte ſpirituali manent, ſed divinum opus, divina vis, divina virtus, quâ macti & DEUM voluntatemque ejus luce divina (humana enim quævis notitia nulla hîc eſt) armati cognoſcimus luculentiſſimumque & veritatibus in ſacro codice declaratis omnibus & promiſſionibus maximè Evangelicis, illi maximè veritati, quæ JESUM Meſſiam, JESUM Salvatorem noſtrum eſſe dictitat, aſſenſum adſpergimus, plena denique fiducia in tantum Salvatorem recumbimus ipſique totos nos tradimus atque conſecramus juſtitiamque ipſius,

ipſius, quam nobis donat, promta manu accipimus eique ſoli coram divino tribunali innitimur, at verò & dein pravas voluptates noſtras vincimus, imaginem Salvatoris noſtri induimus, PRÆCEPTA EVANGELII QUÆVIS OBSERVAMUS (jam enim & fides, ſi adæquatè definienda ſit, hæc omnia includit, uti ex locis 1. *Cor.* VII. 19. *Gal.* V. 6. VI. 15. ſecum invicem collatis patet,) & virtutibus Chriſtianis undiquaque circumfuſi bonis operibus noſtris coram mundo ſplendemus atque ſanctâ converſatione noſtrâ in conſortium beatitudinis noſtræ & alios vocamus. Quæ ipſa & *Apologia Aug. Conf.* toties ingeminat, ubi ſemper repetit, nos per fidem regenerari & ſanctificari, utpote quæ Spiritum juſtificari ſanctum ſecum vehat, nemoque melius extulit ſummo illo fidei Heroë, MARTINO LUTHERO noſtro, cujus verò memoriam nec tantoperè venerarer ego, niſi aureas haſce veritates modo planè excellentiſſimo ubivis extuliſſet, uti vel maximè ex præfatione germanicâ in epiſtolam Paulinam ad Romanos videre eſt. Id unicum addendum venit, ubi articulus de juſtificatione, converſione & ſanctificatione ſanè ſobrieque tractatur, non confundendas hîc, ne dein ceſpitemus vel in lites haud neceſſarias dilabamur, ideas eſſe. Alia ſcilicet eſt χρῆσις fidei in juſtificatione illâ, quæ eſt impii coram DEO, alia in juſtificatione illâ, quæ eſt juſti, regeniti & ſanctificati, atque alia in regeneratione & ſanctificatione. In prima iſta

Digitized by Google

iſta juſtificatione fides, prout mandata divina obſervat, non juſtificat. Quî enim id facere poſſet, quæ hoc ipſo momento in corde hominis primùm accenditur? Adeoque heic non juſtificat niſi quatenus amorem gratiamque DEI in Chriſto JESU ſibi applicat, nec DEUS ut Judex aliter hominem juſtificat, quàm prout juſtitiam Chriſti heic ſibi appropriat. Dicere jam, hominem ex operibus eorumque merito & heic juſtificari, res eſſet planè inſipida maximamque ſecum falſitatem veheret. Qui enim opera ſpiritualia nondum habet, eum ex operibus naturali virtute ſuâ præſtitis juſtificari oportet. Id quod quàm inſulſum, quàm falſum ſit, patet, ut taceam, nos meritum operum mox jugulaturos eſſe. Et hâc de juſtificatione, quæ ex ſolâ fide fit, jam Paulum in Epiſtolâ ad Romanos & Galatas agentem conſpicimus. Alia verò eſt fidei χάρις in regeneratione, ſanctificatione & juſtificatione illâ alterâ, ubi DEUS eum, quem novâ vitâ donavit, qui & in mandatis ipſius ex virtute Spiritûs ſancti ambulat, uno verbo, qui per fidem regenitus & ſanctificatus fuit, pro juſto & ſancto ſic & ipſe declarat atque olim in judicio extremo ita etiam coram toto mundo declarabit. *Rom.* II. 13. *Matth.* VII. 21. 1. *Joh.* III. 7. Et de hâc juſtificatione, quæ eſt juſti coram DEO, & quæ utique hâc ratione ex fide & operibus ſimul fit, fit enim ſecundùm veritatem, Apoſtolus Jacobus in epiſtolæ ſuæ capite ſecundo agit. Vide omninò

Apolo-

Digitized by Google

Apologiam Auguſt. Confeſſ. ubi hæc ipſa, quæ jam dicimus, clariſſimè efferuntur, *art. 3. p. 167. ſqq.* & in *Form. Conc. art. 3. p. 692.* dein approbantur. Accedit judicii extremi proceſſus, ubi Chriſtus Judex pios ex operibus in tribunali ſuo juſtos pronunciabit. *Matth.* XXV. 34. ſqq. Jam, ſi hæc ita diſtinxeris, &, uti par eſt, explicaveris, longa illa lis, quæ inter diſſentientes heic agitata hactenus fuit, in fumos ferè tota abibit, &, diſperſis hîc cœli polemici nebulis clarus ſolis ſerenioris radius, clara lux rebus adfulgebit. Sic enim videbimus & perſpiciemus, quàm confuſis heic ideis Patres Tridentini ſic inhient, qui juſtificationem impii & juſti ſemper in unam fundunt &, dum terminum juſtificationis pro converſione & renovatione ſenſu laxiore ſumunt, quâ iſte acceptione apud nos planè non gaudet, bruto heic & miro anathemate in nos inſurgunt, quî & iidem plurimùm in his deciſionibus ſuis, inſpectâ jam rei veritate, à veteribus Scholaſticorum ſententiis, in *Apol. A. C.* refutatis abeant, & ſemipelagianiſmo hic meritoque operum propriè ſic dicto, quod jactant, errorique exegetico, quo gratis ſupponunt, Paulum, ubi de juſtificatione agit, juſtificationis termino non actum quendam forenſem ſed converſionem & ſanctificationem intelligere, bona plurima quoque miſceant, nihilominus tamen à fundamentali errore liberandi haud ſint, cùm ex formulâ abſolutionis, quæ in Ec-

clesiâ

Digitized by Google

cleſiâ Romanâ viget, pateat, eos ſtatuere, quòd non ſolùm merita Chriſti ſed & merita Deiparæ omniumque ſanctorum & noſtra remiſſionis peccatorum, quam tamen ex gratiâ per ſolum Chriſtum fieri ſacræ literæ dictitant, cauſa meritoria ſint, id quod & ex plurimis eorundem precatiunculis ad ſanctos directis, ex theſauro Eccleſiæ, quem vocant, & ex perſuaſione communi, cui nemo contradicit & quæ eapropter in dogma quoddam Eccleſiæ abit, patet. Quæ ipſa utique ſolicitè heic notari velim, cùm, ſi ex ſolo Concilio Tridentino Eccleſiæ Romanæ de juſtificatione doctrinam capere quis aveat, is cum BOSSUETO, DEZIO aliiſque non ſine ſpecie quâdam eandem tanquàm nobis haud adeò adverſam ſed in terminis ſaltem contrariam exhibere poſſit; qui verò longè aliter rem ſe heic habere conſpiciet, ſi libros Romanenſium eccleſiaſticos inſpexerit, ſi &, quî merita ſanctorum iidem ſibi maximâ cum fiduciâ jugiter affundant, imò & magis illis, quàm ipſis Chriſti meritis inhient, viderit, & perſpexerit, ipſos de remiſſione peccatorum, de converſione, de ſanctificatione, de ordine ſalutis, in univerſum frigidiſſimos miſerrimoſque conceptus, exceptis iis, qui myſtici practici ſunt, formare. Alia verò Theologorum Anglicanorum, alia Remonſtrantium hic ſententia eſt, quæ ſi ſaltem affuſâ inter juſtificationem impii & juſti diſtinctione rectè diluatur, ita certè extricabitur, ut noſtræ menti haud tantopere adverſa ampliùs ſit, certè contra noſtram

ſtram de fide juſtificante doctrinam Viri præſtantiſſimi calamos ſuos porrò acuturi haud ſint. Quod reſtat, quæ heic de converſionis, pœnitentiæ & fidei verâ indole in chartam jecimus, eapropter ſanè haud exaravimus, ut academicam ſaltem quandam rerum tractationem exhiberemus. Non velim, mi lector, ut hoc ſaltem fine hæc noſtra legas, quem qui unicè hic reſpexerit, ideali tantùm rerum cognitioni, quæ nullum luminis ſanctioris ſenſum ſecum vehit atque & ipſa ad tenebras mortemque ſpiritualem pertinet, inhiaverit. Jam enim optàrim, ut ipſemet quoque, num & in eo, quem hic deſcriptum vides, juſtificationis converſioniſque ſtatu exiſtas, ex tuâ conſcientiâ quærites, & ſi torporem heic ſpiritualem aut peccata dominantia apud te utramque paginam facere obſervaveris, omni morâ poſthabitâ (periculum enim in eâ eſt, cùm filum divinæ gratiæ tibi longè miſerrimo mox abrumpere illa poſſit, & quidni feſtines, ad quem ſibi aſſerendum brachia ſua ſuaviſſimus JESUS dudùm extendit?) ut, inquam, omni morâ prorſus poſthabitâ illicò peccata tua defleas, & Domino, precibus largiſſimè ad eum fuſis, regenerandum te & noviter creandum & vertendum & penitus ſanctificandum tradas. Profectò enim, niſi ita vertaris & convertaris & novâ vitâ, ſpirituali illâ & divinâ donari te patiare, beata illa regna, quæ anhelas, prorſus haud introibis.

P. II

P. II. CAP. X.

DE SANCTIFICATIONE, BONIS OPERIBUS, UNIONE MYSTICA ET PERSEVERANTIA SANCTORUM.

§. I.

EA eſt juſtificationis, ea eſt pœnitentiæ veræ, ea eſt fidei, quâ ſalvamur, ratio, ut ſanctificatio, ut bona opera juſtificationem & reſipiſcentiam & fidem non ſequi non poſſint. Eamus, ſi placet, heic per poſitiones ſingulares. I. DEUS eſt, qui nos renovat, qui nos ſanctificat. *Levit.* XIX. 2. 1. *Theſſ.* V. 23. Chriſtus *Eph.* V. 25. 26. 1. *Cor.* I. 30. maximè verò & οἰκονομικῶς Sp. S. *Tit.* III. 5. *Rom.* I. 4. nobis am cooperantibus 2. *Cor.* VII. 1. 2. *Tim.* II. 21.

Digitized by Google

1. *Joh.* III. 3. ſed ex viribus datis, quas nempe in converſione accepimus, non ex connatis & naturalibus cooperantibus. II. Gratia DEI eſt Chriſtique meritum, quæ DEUM, ut nos ſanctificaret, impulere. *Joh.* XV. 5. *Eph.* II. 10. *Tit.* III. 5. 6. III. Τάξις divina hæc eſt, ut per verbum, ut per ſacramenta ſanctificemur *Jac.* I. 18. 21. 1. *Joh.* III. 9. *Tit.* III. 5. *Rom.* VI. 4. itemque per fidem *Act.* XV. 9. *Gal.* V. 6. 2. *Petr.* I. 5. IV. Sanctificatur homo converſus, quoad animam & quidem intellectum & voluntatem & quoad corpus, *Rom.* VI. 12. ſqq. XII. 1. 1. *Theſſ.* V. 23. fitque adeò ex vetere homine novus. *Eph.* V. 22. *Col.* III. 10. V. Sanctificatio eſt mentis noſtræ noſtræquè etiam converſationis mutatio præſtantiſſima, qua intellectus, pulſis carnalium præjudiciorum tenebris, novo eodemque habituali lumine donatur, in quo & ſemper creſcit, qua porrò voluntas, mutatis deſideriis, à voluptatibus mundi abſtracta unicè DEUM ejuſque regnum juſtitiamque ejus quærit, peccato & affectibus prorſus reſiſtit & officiis veri Chriſtiani obſervandis tota inhiat, qua denique & converſatio externa ad humilitatis, modeſtiæ, patientiæ, caſtitatis, miſericordiæ, amoris, abnegationis, juſtitiæ, manſuetudinis & virtutis genus omne fingitur. VI. Per ſanctificationem noſtram DEUS glorificatur. *Matth.* V. 16. 1. *Petr.* II. 12. bonaque opera à nobis peraguntur

Digitized by Google

aguntur *Rom.* VI. 1. ſqq. *Eph.* II. 10. IV. 22. ſqq. V. 8. *Gal.* V. 21. *Col.* III. 9. ſqq. VII. Characteres veræ ſanctificationis ſunt א quod ea non externa locomotiva externiſque cærimoniis abſolvitur ſed ex bono cordis fonte manat ב quòd non ex legali quodam fonte vel ex vi quadam, quam nobiſmet hîc ipſi adſerimus, ſed ex alacritate quadam ſpirituali, quam Spiritus S. in nobis operatur, effluit, ג quòd ſinceritatem animi humilitatemque ardoremque quendam evangelicum ſecum conjuncta habet, ד quòd easdem ſemper formas illa ſervat nec ὀφθαλμόδουλος eſt, non reſtricta ad certarum perſonarum præſentiam, ad certa loca, tempora, officia, ubi ſubinde exiſtimatur, quòd tranſigere cum DEO de voluptatibus noſtris & quibuſdam ſaltem abnegatis reliquas impunè nobis reſervare poſſimus, aliaſq; circumſtantias, ſed ſemper eadem. Nec minus ea quoque ה ex continuo, quo fidelis floret, cum DEO commercio, precibus continuis non quidem ore ſemper prolatis, ſed quæ præciſè ipſum illud ſanctum cum DEO commercium ſunt, ſpirituali eaque continua vigilantia, zelo pro gloria DEI & pro ſalute noſtra aliorumque intenſiore atque ex fuga & contemtu mundi cognoſci & ſecundùm gradus quoque ſuos ita diſtingui poteſt. VIII. Sanctificatio in hoc mundo eſt imperfecta ideoque ſemper magis perficibilis atque etiam, cùm perdi poſſit, iterabilis. Cùm enim ipſa regeneratio ea-

Digitized by Google

tenus imperfecta ſit, quòd peccati fomitem inhærentiamque non delet, ſed relinquit aliquid in homine, quod malum eſt, quia & homo ſemper peccatum habet 1. *Joh.* I. 5. quia lucta inter carnem & ſpiritum continua eſt *Gal.* V. 17. *Rom.* VII. 15. ſqq. quia in multis omnes labimur *Jac.* III. 2. ita ut neque apud nos ſit perfectio partium, (mala enim concupiſcentia ſemper nos vexat,) neque graduum (de quo nullum dubium) neque perſeverantiæ, cùm nemo ſit, qui non aliquando ex præcipitantiâ & infirmitate peccet, quia denique & ſanctiſſimi quique heic coram DEO ſe humiliant. Perficitur & cottidiè noſtra ſanctificatio, ubi de virtute in virtutem imus 2. *Cor.* IV. 16. *Phil.* I. 8. 9. *Eph.* I. 16. Denique & repetitur, ubi peccator denuò convertitur.

§. II.

De bonis operibus jam, quod neceſſarium eſt, dicamus. I. Bona opera ſunt effectus fidei juſtificantis atque ex eâ neceſſariò procedunt. *Gal.* V. 6. II. Bona opera non ſunt perfecta, quia ſemper imperfectio quædam ipſis adhæret. III. Sunt vel interna vel externa. IV. Sunt fructus Spiritus S. *Gal.* V. 22. nobis per vires datas cooperantibus. *Rom.* VII. 22. VIII. 14. *Eph.* II. 10. V. Verſantur circa DEUM, proximum & noſmet ipſos. *Tit.* II. 2. VI. Bonorum operum formalis ratio eſt eorum ſpiritualitas &

ἀνομία

Digitized by Google

ὑπομίᾳ cum lege DEI, licet non plenaria, tamen evangelica. *Ezech.* XX. 19. *Hebr.* XI. 6. *Rom.* VIII. 1. 2. 3. VII. Finis bonorum operum eſt DEI gloria *Matth.* V. 16. 1. *Cor.* X. 31. 1. *Petr.* II. 12. IV. 10. 11. fidei noſtræ demonſtratio *Jac.* II. 18. noſtri & proximi ædificatio 1. *Petr.* III. 15. 1. *Cor.* X. 32. & pœnarum temporalium & æternarum evitatio. 1. *Joh.* III. 10. VIII. Characteres bonorum operum iidem, qui ſanctificationis ſunt. Errant hîc vel maximè Romanæ Eccleſiæ filii, qui exiſtimant, bona opera eſſe cærimonias quaſdam externas, quibus operam damus ab Eccleſiá, præceptas & à DEO non injunctas, errant & hypocritæ noſtri, quibus Eccleſiæ ſcatent, qui putant, bona opera conſiſtere in viſitatione cœtûs publici, ſumtione Euchariſtiæ, abſolutionis ſtato tempore frequentatione, ſtatis & precibus, corde licet inconverſo. Non verò vident miſerrimi mortalium nec percipiunt, bona opera ex fonte pectoris ad DEUM converſi, ex fonte converſionis & ſanctificationis præſtantiſſimæ emanare debere, nec in externis pompis ſed & interno ſanctimoniæ flore conſiſtere. IX. Exercitium bonorum operum in militiâ, in luctâ ſpirituali, in abnegatione voluptatum carnalium, in patientiſſimâ calamitatum quarumvis toleratione, in ædificationis ſpiritualis ſtudio jugi, uno verbo, in executione omnium Chriſtaniſmi officiorum conſiſtit. Quæ omnia ad Theologiæ Moralis enarrationem ſub

 finem

finem inſtitutionum harum dandam pertinent. X. Bona opera neceſſaria prorſus ſunt SALVANDIS, ſed non AD SALUTEM, quæ φράσις Majoriſtica eſt, atque ex eâ ratione proſcripta, quoniam ad meritum operum, quod nullum eſt, coram DEO evehendum facilis ejus eſt abuſus. Certè enim, licet in bonis operibus nulla ſit neceſſitas medii ad ſalutem vel promerendam vel acquirendam vel conſequendam vel obtinendam vel conſervandam, eſt tamen neceſſitas ſummæ mandati, debiti, præſentiæ, ordinis. Scilicet bona opera prorſus nequeunt eſſe meritoria. Quod, ubi dicimus, quid meritum ſit, paucis ſignificamus. Ad meritum hæc requiruntur, 1. ut ſit opus indebitum 2. ut ſit opus noſtrum, non alienum 3. ut inter opus & mercedem ſit proportio compenſativa, 4. ut ſit commodum & utile ei, cui præſtatur, 5. ut ſit perfectum nec veniâ opus habeat. Eſt autem juxta Romanenſes, qui meritum operum NB. propriè ſic dictum ad augmentandam & ſervandam gratiam, imò & acquirendam & ad vitam æternam conſequendam incauti & errore quidem maximo ſtatuunt, illud vel de congruo vel de condigno, quam diſtinctionem & J. B. BOSSUETUS, Epiſcopus Meldenſis repetiit. Meritum condignationis eſt, cui debetur remuneratio ex rigore juſtitiæ & competit ſolis juſtificatis. Meritum ex congruo eſt, quando opus aliquod non quidem ex juſtitiâ compenſationem meretur, attamen ex quâdam con-

Digitized by Google

congruentiâ ſeu honeſtate ipſi retributio convenit, ſcilicet, quia congruum eſt & conveniens DEI bonitati, hæc opera, quantumvis imperfecta, non immunerata relinquere. Itàque patèt jam, eſſe hunc præcipuum quendam Pontificiorum errorem, quo ajunt, nos operibus noſtris vitam æternam propriè mereri, dari etiam theſaurum quendam meritorum, à ſanctis præſtitorum, quæ nobis affuſa à pœnis præſentibus & futuris nos liberare poſſint. Scilicet meritum operum jugulatur *Luc.* XVII. 10. *Rom.* III. 23. ſqq. IV. 2. VIII. 32. 33. *Eph.* II. 8. 9. *Tit.* III. 5. Neque enim bona opera facimus nulla heic obligatione obſtricti *Luc.* XVII. 10. neque ex noſtris viribus facimus *Phil.* II. 13. nec inter bona opera noſtra & vitam æternam ulla eſt proportio *Rom.* VIII. 18. 2. *Cor.* IV. 17. 18. neque etiam DEO opera noſtra quicquam utilitatis adferunt *Job.* XXII. 3. XXXV. 7. *Pſalm.* L. 12. Sit ita, mereantur iſta EX GRATIA ET VI PROMISSIONUM À DEO NOBIS DATARUM pro benevolo DEI heic longè benigniſſimi æſtimio præmia tùm temporalia tùm ſpiritualia in hac & futura vita, ita ut *gradus* futurorum gaudiorum accipiant quoque proportionem ex operum noſtrorum habitudine vel majorem vel minorem, opera tamen bona *propriè loquendo* nunquàm erunt meritoria nec gratiæ divinæ nec vitæ ipſius æternæ. Nota, vitam æternam eſſe χάρισμα *Eph.* II. 8. *Rom.* VI. 23. & hæredi-

reditatem *Rom.* VIII. 16. *Gal.* III. 26. *Col.* III. 24. omnemque gloriationem noſtram hîc excludi *Rom.* III. 27. IV. 4. *Eph.* II. 8. juſtitiamque, ſecundùm quam DEUS vitam æternam nobis daturus eſt noſque hac digni reputamur, haud præciſè in operis noſtri qualitate, ſed in ſemel datâ benevolâ Domini promiſſione, quam, ut ſervet, juſtum eſt, fundari. Quod reſtat, quî irregenitorum opera DEO vel placeant vel diſpliceant & num ſalutaria illa ſint, ſupra jam p. 239. 240. ſatis enarravimus, ubi diximus, locutionem Auguſtini virtutibus gentilium, quòd ſint ſplendida peccata, micæ ſalis adjectionem pati. Diſtinguunt quippe Theologi inter opera bona quoad operis ſubſtantiam & quoad ſtatum ſubjecti Evangelicum ſpectata, inter opera bona naturaliter & civiliter & bona theologicè, inter opera bona & ſalutaria. Aſt & hæc de bonis operibus ſufficiant.

§. III.

Ad unionem myſticam, quæ cum renovatione atque ſanctificatione hominis conjunctiſſima eſt, noſtra ſe jam vertit tractatio. Hæc unio non eſt generalis, qualis eſt inter DEUM omnesque creaturas, quæ per ipſum ſuſtentantur atque illo replentur *Act.* XVII. 28. nec eſſentialis vel naturalis, uti eſt inter animam & corpus humanum, nec hypoſtatica, qualis eſt inter λόγον & carnem Chriſti, ſed σχετικὴ & προσωπικὴ ſive ſpiritualis & myſtica, eaque non glorioſa, quæ

quæ ad vitam æternam reſervatur 1. *Cor.* XV. 28. ſed gratioſa, quæ eſt realis & arctiſſima ſubſtantiæ SS. Trinitatis & Chriſti θεανθρώπου cum ſubſtantiâ fidelium conjunctio, à DEO ipſo per verbum Evangelii, ſacramenta & fidem facta, quâ ſpeciali eſſentiæ approximatione & gratioſa operatione in iiſdem eſt, ita ut fideles in ipſo ſint, ut per mutuam & reciprocam immanentiam vivificæ facultatis & omnium beneficiorum ejus participes facti certi ſint de gratia DEI & ſalute æterna unitatemque in fide & charitate cum reliquis corporis myſtici membris ſervent. Vocatur alias manſio SS. Trinitatis apud credentem *Joh.* XIV. 23. inhabitatio Chriſti in cordibus noſtris *Eph.* III. 17. II. 22. deſponſatio credentium cum Chriſto *Oſeæ* II. 19. 20. myſticum Chriſti & Eccleſiæ conjugium *Eph.* V. 32. inſitio palmitum ſpiritualium in vite ſpirituali Chriſto *Joh.* XV 4. ſqq membrorum & capitis conjunctio *Eph.* I. 22. 23. denique unio & conjunctio cum Domino 1. *Cor.* VI. 16. 17. myſtica illa *Eph.* V. 32. Nota itaque jam I. Unionis hujus opus toti SS. Trinitati adſcribi, Patri *Eph.* I. 17. 22. 23. Filio *Joh.* XV. 5. & Spiritui S. 1. *Cor.* VI. 19. qui ſanè vel maximè hîc ſpectandus eſt, utpote cui peculiariter ſanctificationis opus attribuitur. Nota II. Chriſtum ex gratia maximâ unionem hanc nobis promeruiſſe *Eph.* II 20 21. IV. 15. 16. *Col.* II. 19. Nota III. hanc unionem fieri per verbum & ſacramenta,

quæ dicuntur eſſe ejuſdem cauſa organica *Joh.* XIV. 23. 2. *Petr.* I. 3. 4. *Eph.* V. 26. 30. *Gal.* III. 27. 1. *Cor.* X. 16. 17. Nota IV. medium unionis hujus ex parte hominis fidem eſſe *Ioh.* XIV. 23. VI. 56. *Gal.* II. 20. III. 26. 27. *Eph.* III. 17. 1. *Ioh.* IV. 15. Nota V. miniſtros hujus unionis eſſe eoſdem, qui verbi 1. *Cor.* III. 7. 9. 10. IV. 15. *Eph.* IV. 11. 12. 13. 2. *Cor.* XI. 2. Nota VI. extrema hujus unionis eſſe ex una parte totam ſacroſanctam Trinitatem 2 *Pet.* I. 4. *Ioh.* XIV. 23. & humanam Chriſti naturam *Ioh.* XV. 1. 1. *Cor.* VI. 17. *Eph.* V. 30. *Gal.* II. 20. 1. *Cor.* VI. 15. 19. ex altera parte ſubſtantiam fidelium quoad animam & corpus 1. *Cor.* VI. 15. 19. *Eph.* V. 30. Nota VII. formam unionis myſticæ conſiſtere in verâ, reali, intrinſecâ & arctiſſimâ conjunctione ſubſtantiæ hominis fidelis cum ſubſtantiâ SS. Trinitatis & carnis Chriſti ſine extenſione aut contractione eſſentiæ divinæ aut humanæ, extremis unitis eſſentialiter diſtinctis manentibus etiam in medio unionis ſtatu. *Joh.* XIV. 23. 1. *Cor.* VI. 15. ſqq. *Eph.* V. 30. 2. *Pet.* I. 4. *Gal.* III. 27. II. 19. 20. 21. Itaque non conſiſtit ſaltem hæc unio in generali quâdam adeſſentiâ unitorum vel in gratioſa tantùm operatione & donorum divinorum communicatione, quæ poſterior Helmſtadienſium & Jenenſium, MULLERI etiam, Senioris haud ita pridem Auguſtani, ſententia exſtitit, ſed in propiore ſubſtantiæ SS. Trinitatis & humanæ Chriſti naturæ cum fideli-

Digitized by Google

fidelibus conjunctione, unde & hæc unio peculiare N. T. bonum eſt. Probatur theſis hæc communis (*Ἰρόπον* enim communem hîc ex KOENIGIO datâ opera hactenus exprimimus) 1. ex Chriſti promiſſione de ſpeciali Chriſti ad nos adventu *Joh.* XIV. 23. 26. XV. 26. 2. ex inhabitatione Chriſti in cordibus fidelium *Eph.* III. 17. id quod & de Sp. S. dicitur *Rom.* VIII. 9. 11. Adde 2. *Cor.* VI. 16. 3. ex unitate fidelium cum DEO, qua unum evadunt cum ipſo non tantùm per propinquitatem virtutis ſed & ſuppoſiti *Joh.* XVII. 21. 1. *Cor.* VI. 16. 17. *Eph.* V. 30. 31. 4. ex divinæ naturæ communicatione 2. *Pet.* I. 4. 5. ex ſimilitudine inter vitem & palmites aliiſque ſimilibus. Nota VIII. Unio hæc myſtica juſtificatione & converſione poſterior eſt quidem naturâ, non tempore. Nota IX. effectum hujus unionis eſſe certiorationem fidelium de DEI gratiâ, exauditionem precum unionemque fidelium inter ſeſe *Rom.* VIII. 10. ſqq. *Joh.* VI. 53. ſqq. XVII. 20. ſqq. *Eph.* IV. 11. ſqq. Nota X. cum unione hac conjunctam eſſe intimam *περιχώρησιν*, non eſſentialem, non perſonalem, ſed *μυστικὴν*, itemque communicationem quoque idiomatum juxta duo illa genera, quæ & in loco de Chriſto adparent, *ἰδιοποίησιν*, quâ Chriſtus actiones & paſſiones ſuas nobis imputat & noſtras rurſus ſibi appropriat & *μετάδοσιν*, quâ divina ipſa *χαρίσματα* Spiritumque juxta menſuram nobis Salvator donat, denique com-

communicationem apoteleſmatum, juxta quam & quoad triplex officium & quoad duplicem ſtatum Chriſto ſimiles reddimur, & ipſo per Spiritum ſuum in nobis agente opera ſpiritualia perficimus.

§. IV.

De perſeverantiâ ſanctorum pauca jam dicenda nobis veniunt. Eſt iſta actio DEI gratioſa, quâ DEUS fideles atque ſanctificatos, in ſeſe utique debiles & labiles ita cuſtodit internè potentiſſimâ Spiritûs ſui virtute, externè, mediis ad id ſapienter ordinatis, ut, niſi quidem mundo, diabolo & propriæ carni aurem præbere atque obſecundare malint, per fidem finalem ad vitam æternam certò deducantur. Dicimus I. fideles quoque labiles eſſe. Vide *Ezech.* XVIII. 26. *Matth.* XIII. 21. *Joh.* XV. 6. *Hebr.* III. 14. *Rom.* XI. 20. ſqq. *Gal.* V. 4. 1. *Tim.* I. 18. 19. *Hebr.* VI. 4. ſqq. X. 26. ſqq. 2. *Pet.* II. 20. 21. Accedunt exempla lapſorum Davidis, Petri, Judæ &c. Et quàm optandum eſſet, ejuſmodi hominum ut numerus nullus daretur. Nec eſt, quòd dicas, haberi dicta, quæ fœderis divini cum electis perpetuitatem innuant, uti *Jeſ.* LIV. 10. *Jer.* XXXII. 38. *Hoſ.* II. 19. *Joh.* X. 28. 1. *Cor.* I. 8. *Phil.* I. 6. Ipſa enim rei natura, ipſa experientia hoc dictitat, fœdera divina eſſe conditionata vel potiùs ordinata & requirere ex parte hominis fidem & ſubſequentem pietatem, quæ ſi deſit,

ſit, fœdus DEI rumpitur, non à parte immutabilis DEI ſed à parte hominum, qui Τάξει divinæ ſe non ſubjiciunt. Dicimus II. DEUM fideles, qui Spiritui divino obſecundant, potentiſſimo gratiæ ſuæ auxilio ad vitam æternam cuſtodire 1. *Pet.* I. 5. Et quidni id faceret, qui eos ſibi in populum emit per ſanguinem Chriſti & acquiſivit 1. *Pet.* II. 9. *Tit.* II. 14. pro quorum perſeverantiâ Chriſtus validè intercedit *Joh.* XI. 42. XVII. 15. 20. quos membra ſua Chriſtus eſſe vult, in quibus Spiritus S. manet *Joh.* XIV. 16. 17. uti & unctio 1. *Joh.* II. 27. & ſemen 1. *Joh.* III. 9. qui denique Spiritu S. tanquàm ſigillo & arrhabone vitæ æternæ ſignati ſunt 2. *Cor.* I. 21. 22. 2. *Tim.* II. 19. *Eph.* I. 14. *Rom.* VIII. 15. 16. 1. *Joh.* V. 10. Hinc & de juſtificatione noſtrâ præſente certiſſimi ſumus certitudine abſolutâ & divinâ, quam quippe Spiritus S. operatur, qui & de futurâ ſalvatione nos eatenus certos reddit, quatenus ex ipſius parte ad ingenerandam nobis perſeverantiam finalem nihil unquàm intermittet. *Rom* VIII 38. ſqq. 2. *Tim.* I. 12. II. 11. ſqq. IV. 7. 8. Quod reſtat, etſi Reformati eam electorum perſeverantiam ſtatuant, juxta quam labi haud poſſint, patet tamen, hanc ipſorum poſitionem IN PRAXI nullum mentibus damnum infligere aut ſecuritatem adſpergere. Neminem enim electum ante mortem pronunciant eaque monita auditoribus ſuis in ſermonibus eccle-

Digitized by Google

eccleſiaſticis affundunt, queis fideles ad ſervandum id quod habent, ad obſequium fidei, ad induſtriam in opere ſanctificationis adhibendam &, ne quis eorum coronam auferat, admonent, ut videantur prorſus ſupponere, fideles labi & coronam ſuam amittere poſſe, id quod tamen in theoriâ negant. Cæterùm qui finaliter electus eſt, utique finaliter cadere nequit, cùm hoc contradictionem implicet.

§. V.

Et verò jam, ſepoſitâ tàm præſtantium rerum tractatione academicâ & theoreticâ opera danda nobis eſt, ut, ubi corticem ſatis fregimus, jam nucleum comedamus. Ecce verò, quid ajat hîc Johannes Apoſtolus: QUISQUIS VITÆ ÆTERNÆ SPEM HABET, SEMETIPSUM PURIFICET, QUEMADMODUM ET DEUS PURUS EST. 1. *Joh.* III. 3. Credisne o mi, qui hæc legis, fieri poſſe, ut, qui ſanctimoniâ ſpirituali nullus flores, in beatum cum DEO conſortium abire poſſis. Regna cœleſtia nonniſi piis & ſanctis patent. Foris enim ſunt impuri illi & quicunque iniquitatem & mendacium operantur. *Apoc.* XXII. 15. En legem Chriſtianiſmi fundamentalem, quæ neceſſitatem ſanctificationis tibi ſiſtit. *Quicunque*, ait Salvator optimus maximus, *diſcipulus meus eſſe anhelat, is abneget ſemet ipſum, tollat crucem ſuam & ſequatur me!* O miſeri mortales, quicunque creditis, vos cum dominantibus cupiditatibus & affectibus veſtris

beata

Digitized by Google

beata illa regna aſſecuturos eſſe. Reſipiſcite vel tandem & mentem veſtram prorſus mutate. Quid eſt, quòd jugo pravarum paſſionum veſtrarum adhucdum ſubeſtis nec liberari vos à pernicie iſtâ patimini? Quid eſt, quòd mundo, quòd diabolo, quòd carni veſtræ jugiter obſecundatis, cui in baptiſmali fœdere tàm pulchrum miſeratis nuncium? Eja ecce tempus jam eſt redeundi ad Deum, adeſt beata hora, quæ è ſomno nos expergefacit, adeſt ſalus illa, quam anhelare convenit, & propior adeſt quàm quidem credideramus. Nox præterit, & dies adpropinquat. Itaque DEPOSITIS TENEBRARUM OPERIBUS, ARMA LUCIS INDUAMUS, ET AMBULEMUS, UT DECET, IN DIE, &, qui tantâ ſanctorum nube, qui poſſibilem nobis ſanctificationem iſtam eſſe oſtendunt, obvolutos nos conſpicimus, ONERE PECCATI SEMPER NOS CIRCUMSTANTIS SEQUESTRATO PER PATIENTIAM AGONEM NOBIS PRÆSTITUTUM CURRAMUS. Digna credo cœleſtis & egregia illa corona eſt, quæ nobis præfigitur, brevi hoc agone & facilis admodùm hic eſt, ubi vires ad currendum, ubi alacritatem nobis ampliſſimam Spiritus S. affundit, ubi præit fidei noſtræ dux & conſummator JESUS CHRISTUS, ubi nos comitantur ſancti omnes, futuræ gloriæ poſſeſſores & Candidati. Nec moretur nos heic voluptatum mundanarum ſuavitas, quas vel tandem

Digitized by Google

tandem æternus àmaror ſequitur, dulces illæ Jordanis aquæ, quæ vel tandem in mare mortuum irrumpunt. Auſim quovis pignore tecum contendere, tantam nullam voluptatum ſuavitatem eſſe poſſe, quanta eſt beati ſanctificatorum cum DEO ſummo commercii ſuavitas. Quam qui vel ſemel guſtaverit, næ is hominum ſtultiſſimus ſit, ſi ad mundanas ſiliquas unquam revertatur. Nec aias velim tantam obedientiæ hujus evangelicæ difficultatem eſſe, ut ſuperari non poſſit. Eſſe ex unâ parte **ἁμαρτίαν εὐπερίστατον**, ex alterâ mundum, ad quæ pedibus conculcanda nullæ nobis vires ſint, utpote quos ſpiritualis quidam torpor fideique inopia magna occupet. Quid enim? Num brachium Domini, num vis illa divina, quam ſuis largitur DEUS, nemini manifeſtatur amplius & confertur? En ampliſſimam gratiarum divinarum plenitudinem, en fontem vivæ aquæ omnibus patentem, qui vult, veniat & hauriat gratis! Aſt noſtra eſt nefanda hæc culpa, quòd, qui voluptatibus mundi ſaginandos nos damus, ſpiritualem hunc cibum faſtidimus. Jam verò DEUS eam præſtantiſſimam & planè potentiſſimam egregiamque virtutem nobis donare vult, quâ & JEſum Chriſtum è mortuis excitavit eumque ad dextram ſuam poſuit, quâ & nos idem divinæ naturæ participes facit. Hanc virtutem qui ſemel adprehenderit, non dicet amplius: *Infirmus ſum* *Jeſ.* XXXIII. 24. ſed potius

tius

tius Apoſtolum dicentem imitabitur: *In eo conſiſtit amor DEI, quòd ut præcepta ſervamus, & ejus præcepta FACILIA SUNT.* 1. *Joh.* V. 3. Et quidni facilia ſint, ubi DEUS in nobis operatur τὸ velle & τὸ perficere? *Phil.* II. 13. Nec eſt denique, quod calamitates plurimas Chriſtianis in mundo ſuſtinendas horreamus. Ut enim taceamus, eaſdem, ubi cum cœleſti gloria, quæ nos exſpectat, ponderoſiſſimâ illâ, comparantur, leviſſimas eſſe, utpote temporales & tot ampliſſimis ſolatiis divinis dilutas & perfuſas, taleſque ſemper, ut portare eas queamus *Rom.* VIII. 18. 1. *Cor.* X. 13. 2. *Cor.* IV. 17. interioremque hominem de die in diem renovari, ubi exterior corrumpitur 2. *Cor.* IV. 16. nec calamitates & anguſtiæ impiis deſunt, ſed eâdem menſurâ ferè & majori ſanè, ut plurimùm eos vexant. Non poteſt enim non fieri, ut, ubi voluptatibus, ubi affectibus noſtris inhiamus, multa nobis mala atque incommoda attrahamus. Et profectò ſufficit, quòd conſcientia criminum & metus iræ divinæ impios malè habeat & lancinet. Ita, ut optimo jure dici poſſit, multa eos mala perpeti, multo iis hoc ſudore conſtare, infernum ut vel tandem pro laborum ſuorum præmio conſequantur. Quid igitur jam reſtat, quàm ut ſanctificationi noſtræ promtam manum admoveamus, ut totos nos & mentem noſtram cum facultatibus omnibus & corpus cum omnibus, quæ id efficiant, membris DEO tradamus & ſacrificemus, ut in viis divinis alacri ſtudio ambule-

Nn mus

mus & Salvatoris noſtri veſtigia jugiter calcantes virtutum Chriſtianarum exercitio toti inhiemus, ut amore DEI, amore erga proximum, tùm communi tùm fraterno, ut miſericordiâ, ut juſtitiâ, ut manſuetudine, ut patientiâ, ut caſtitate, ut humilitate, ut ſinceritate, ut ſobrietate, ut pietate, ut obedientiâ quæ nobis convenit, ut ardore ſpirituali, ut fortitudine iſtâ, quæ formidinem hominum in negotio ſalutis noſtræ expellit, ut humanitate, quâ in animos hominum influimus, & quibusvis virtutibus aliis induamur atque floreamus? Hæc quippe ſunt OPERA ILLA BONA, quæ, ubi à Sp. S. in nobis efficiuntur, nullam hypocriſin ſibi affundi patiuntur, ſed humilitate, ſed ſinceritate plurimùm diluuntur. Hæc ſunt opera illa, quæ ſi ſine ullâ noſtrâ murmuratione vel dubitatione fiant, reddunt nos immaculatos & puros & inculpabiles in medio generationis pravæ & corruptæ, ut luceamus tanquàm luminaria in mundo *Phil.* II. 15. Et quidni ita luceamus, qui divinæ naturæ facti participes cum DEO Patre & Filio & Spiritu S. ſuaviſſimum in conſortium ivimus, qui ſanè & in nobis tanquàm in templo ſuo habitant, qui intimè nobiſcum uniuntur, qui ampliſſimæ dulcedinis rivos in cordis noſtri latifundia ſpargunt, qui novam ſemper virtutem ſpiritualem nobis affundunt, qui nobis ceſpitantibus ubique divinum auxilium præſtant atque in ſtatu ſalutis præſtantiſſimo, in quo verſamur, nos conſervant nos-

que

Digitized by Google

que FIRMANT uſque ad finem, ut ſimus inculpabiles in die Domini noſtri JESU Chriſti 1. *Cor.* I. 8. qui denique, ut uno verbo rem dicamus & lucrum iſtud, quod ex unione hâc myſticâ in nos manat, innuamus, nos, qui breve tempus patimur, perficiunt confirmant, roborant & fundant. 1. *Petr.* V. 10. O verò beatos, qui in egregio hoc animæ ſuæ ſtatu coram DEO verſantur, o beatos inquam eos & peccato nunquàm amplius manum daturos, qui ſuavitatem Domini, qui virtutem mundi futuri, qui bona cœleſtia ſic jam præguſtant & novis ſemper triumphis adverſus Satanam, carnem, mundum actis in virtute, in fortitudine ſuâ ſpirituali indies creſcunt atque proficiunt!

CAP. XI.

DE MORTE, DE STATU ANIMARUM POST MORTEM, DE RESURRECTIONE MORTUORUM, DE CONSUMMATIONE SECULI ET EXTREMO JUDICIO.

§. I.

JAm itaque, ubi in ordine ſalutis & juſtificationem, ubi reatus peccati tollitur, & converſionem ſanctificationemque, ubi domi-

nium ejuſdem jugulatu, explicavimus, ad id demùm progredimur, quo & peccati inhærentia & fomes tollitur. Itaque ergò, ſi ordinem rerum ſervare velimus, de morte & ſtatu animarum poſt mortem jam agendum nobis eſſe conſpicimus. Mors eſt triplex vel naturalis, vel ſpiritualis, vel æterna. De hâc poſtremâ alio loco quæſtio nobis & quidem mox inſtituenda erit. De ſpirituali jam in loco de peccato egimus, ubi ſtatum hominis naturalem depinximus. De naturali jam hîc tractandum nobis venit. De ſpirituali id unicum adjicimus, eam duplicem à quibuſdam ſtatui, vel piorum vel impiorum. Quæ horum ſit, patet, nempe vitæ ſpiritualis, quæ eſt in Chriſto JESU, privatio. At piorum illa eſt, quâ moriuntur α peccato per regenerationem & renovationem *Rom.* VI. 2. ſqq. *Col.* III. 3. 1. *Petr.* II. 24. β legi per juſtificationem & ſanctificationem *Rom.* VII. 1. ſqq. *Gal.* II. 1. γ ceremoniis ver. Teſtam. per liberationem à Chriſto factam *Col.* II. 20. *Rom.* II. 4. 6. *Gal.* II. & δ mundo *Gal.* VI. 14. *Rom.* VI. 6. ſqq. Aſt hæc hùc non pertinent. Ingrediamur in rem præſentem.

§. II.

Mors naturalis eſt vinculi inter corpus & animam naturalis diſſolutio, non ſtatim animæ à corpore localis ſeparatio, licet hæc ſolutionis conſequens ſit. Certè Apoſtolus Paulus per ἀνάλυσιν eam definit *Phil.* I. 23. *Cupio diſſolvi*, inquiens.

Digitized by Google

quiens. Adde 2. *Tim.* IV. 6. 2. *Cor.* V. 1. 8. 2. *Petr.* I. 14. Et de Eutycho *Act.* XX. 9. 10. qui per feneſtram ὑπερῴου cujuſdam Epheſi, Paulo verba faciente, deciderat atque ex lapſu illicò mortuus erat, nihilominus dicebat Paulus: *anima ipſius in eo eſt.* Conſequens tamen & eſt localis ſeparatio animæ à corpore *Pſalm.* CXLI. 8. *Ion.* IV. 3. unde mors in Vet. Teſtament. per גוע exprimitur *Gen.* XXV. 17. *Num.* XX. 3. 29. *Iob.* X. 18. & reſurrectio dicitur reditus animæ in corpus. 1. *Reg.* XVII. 21. *Luc.* VIII. 51. Ita noſtri Theologi. Jam eamus per poſitiones. I. Origo mortis naturalis, ab hâc enim incipiendum eſſe ordo rerum dictitat, origo, inquam, mortis naturalis eſt peccatum, & quidem primus ille Adami lapſus. Vide loca planè clariſſima *Gen.* II. 17. *Rom.* V. 12. 15. VI. 23. Scilicet immortalitas, animalis ea & ad cibum arboriſque vitæ, quæ medium mortalitatis conſervativum fuit, uſum ordinata, non ſpiritualis, non abſoluta primo homini competit, ita, ut mors jam non tanquàm ſequela naturæ ſed ut ſtipendium peccati ſit reſpicienda. Id quod contra Pelagianos, Socinianos, Remonſtrantes, Pufendorfium aliosque Theologi monent. II. Mors impiis pœna eſt, at verò piis ad vitam tranſitus. Eſt enim ſomnus & quies *Deut.* XXXI. 16. *Ieſ.* XXVI. 20. *Dan.* XII. 2. *Ioh.* XI. 11. ſqq. ubi pii tranſeunt à morte in vitam *Ioh.* V. 24. ita ut mortem (ſub ratione nem-

Digitized by Google

pe ſuâ pœnali, quod non obſervavit ASGILLUS, Anglus, homo ridiculus,) in æternum nec guſtent nec videant *Ioh.* VIII. 51. 52. ita, ut mors piis ſit ex inſtituto DEI medium, quo ad meliorem rerum ſuarum ſtatum perducuntur, unde & contingit, ut iidem cupiant diſſolvi & eſſe cum Chriſto *Phil.* I. 23. 2. *Cor.* V. 4. Scilicet mors fidelibus non infligitur ab irato Judice ſed à reconciliato Patre, nec eſt pœna ſed caſtigatio paterna, ipſis longè utiliſſima, cùm ſic liberentur à labe inhærentis peccati, *Rom.* VI. 7. ab inſidiis Diaboli, à ſcandalis mundi, ab omnibus vitæ hujus periculis & miſeriis 1. *Tim.* IV. 18. victorumque brabæum accipiant. Apoc. II. 10. Ex his judicari jam velim, quid judicandum ſit de ſententiâ Romanenſium, quam & adoptavit Theologus apud Reformatos celeberrimus, qui Ultrajecti priore anno defunctus eſt, HERM. ALEX. ROELLIUS, qui ſtatuunt, mortem temporalem à DEO fidelibus quoque uti pœnam peccati irrogari. Quin euſque vadit ROELLIUS, ut dicat, Chriſtum pro morte haud ſatisfeciſſe, niſi eatenus, ut fideles per reſurrectionem aliquando in beatam immortalitatem aſſereret. Magnas hoc jurgium flammas in Belgio excitavit A. 1689. 1690. in pugnam hic procedentibus plurimis, inter quos maximè VITRINGA & RHENFERDIUS eminent, qui poſterior ſententiam ROELLII eandem cum ALTINGIANA eſſe oſtendit & diſtinctionem

inter

inter pœnas bellicas & judiciarias, convincentes & compenſantes ſive ſatisfactorias afferendo cum adverſarius luſit. Scilicet ad λογομαχίαν tota res abit. Interrogandum enim eſt ſtatim à limine: *Dic mihi ſodes, qui hîc diſputas, quid intelligis per terminum pœnæ?* Si quis reſponderit: *pœna eſt malum paſſionis, quod infligitur ob malum actionis*, dico, quòd mors piorum etiam rationem pœnæ habeat, uti & cæteræ piorum afflictiones, cætera piorum παθήματα, quæ ſanè ipſis &ob malum actionis, remiſſo licet reatu culpæ, infliguntur. Hinc vocantur κρῖμα 1. *Petr.* IV. 17. Ubi id unicum addendum, præter σχέσιν pœnæ & has afflictiones mortemque etiam alias σχέσεις habere. Si verò ita reſponderis, *pœna eſt malum paſſionis, quod infligitur ob malum actionis & turpe ab irato nondumque reconciliato Iudice, qui unicè hîc afflictionem ejus quærit, qui nondum cum ipſo in gratiam rediit*, tunc mors corporalis fidelium ſanè pœnæ rationem nullam habet. Jam & facile eſt, determinate, num Chriſtus pro morte fidelium temporali ſatisfecerit. Scilicet diſtinguendum eſt hîc inter id, quod in morte eſt phyſicum & quod in eâ eſt morale. Pro phyſico ut tali non ſatisfecit, hoc enim homini ſuſtinendum eſt, uti experientia docet, aſt morte tamen ſuâ & reſurrectione id meruit, ut è morte aliquando ad beatam vitam reſurgeremus. *Hebr.* II. 14. 1. *Cor.* XV. 54. At verò pro morali in poſteriore ſenſu

Chriſtus penitus, ſatis quod erat, fecit, nos DEO reconciliando virtutemque vivificam nobis merendo. III. Mors eſt univerſalis propter univerſalitatem peccati. *Iohan.* III. 6. *Rom.* XV. 12. 1. *Cor.* XV. 22. 48. *Hebr.* IX. 27. exceptis Enocho & Eliâ iisque, quos vivos dies poſtremus occupabit. 1. *Cor.* XV. 51. 52. 1. *Theſſ.* IV. 17. IV. Corpora demortuorum, maximè fidelium, ſepulturæ & cinefactioni (per quam tamen peccati fomes & inhærentia non tollitur, uti veteres quidam ex noſtris docuere, cùm peccati πρῶτον δεκτικὸν anima ſit fomesque & inhærentia in morte ſtatim tollantur) tradenda ſunt *Gen.* III. 19. XV. 15. *Eccleſ.* XII. 7. *Ioh.* XVII 14. *Dan.* XII. 2. *Pſalm.* LXXIX. 2. 1. *Reg.* XIII. 22. 2. *Reg.* IX. 10. *Ieſ.* XIV. 20. LVII. 2. *Ierem.* XIV. 16. XVI. 4. XXII. 18. ſqq. 2. *Sam.* II. 5. *Deut.* XXI. ult. XXXIV. 6. ut taceamus exempla ſanctorum ſepultorum & ipſius Chriſti. Ex quibus facile patet, num reliquiæ piorum demortuorum publico cultui & venerationi oſculiſque viventium exponendæ ſint. Rectè omninò Joſias de oſſibus Prophetæ: SINITE EUM QUIESCERE. NEMO MOVEAT OSSA IPSIUS. 2. *Reg.* XXIII. 18. Profanatio itaque potius hæc corporum mortuorum eſt, ſi transferantur, ſi exponantur, quàm cultus. Vide *tractatum* noſtrum *gallicum contra Pontificios p.* 149. *ſqq.* V. Nullum dari purgatorium

igneæ

ignem poſt mortem, ubi animæ igne corporali purgentur & crucientur, ut ſatisfaciant juſtitiæ divinæ, quæ peccata jam remiſſa ſic adhucdum in iis vindicet, & ex quo purgatorio precibus viventium & ſanctorum, maximè verò Miſſis pro defunctis animæ liberentur, ita probant noſtri. 1. Animæ piorum per mortem in vitam æternam ſtatim tranſeunt. *Gen.* XV. 15. 1. *Sam.* XXV. 29. *Ieſ.* LVII. 1. 2. *Dan.* XII. 13. *Sam.* III. 1. *Luc.* XXIII. 43. *Apoc.* XIV. 13. *Act.* VII. 59. *Phil.* I. 23. *Cor.* V. 1. *Luc.* II. 39. 1. *Theſſ.* IV. 17. Non enim ſunt niſi duo ſaltem poſt hanc vitam ſtatus, inferni & beatitudinis *Matth.* VII. 23. XIII. 30. XXV. 46. *Marc.* XVI. 16. *Ioh.* III. 15. ſqq. *Luc.* XVI. 19. 22. 26. *Rom.* VI. 23. *Gal.* VI. 8. *Ebr.* IX. 27. 2. Fomes & inhabitatio peccati per mortem temporalem tollitur *Rom.* VI. 7. nec fideles amplius ob peccata puniuntur. *Rom.* VIII. 1. 3. Purgatorium demùm in Concilio Florentino A. 1439. in articulum fidei evaſit. Jam & Romanenſium aliorumque ex modernis argumenta pro purgatorio quodam adferamus. Nemo verò ea majori cum ſolicitudine congeſſit, quàm ZEPHYRINUS DE PACE in *den alt-Chriſtlichen Gedancken p.* 730. *ſqq.* Probat is purgatorium (1) ex eo, quòd ſuper morte Saulis & filiorum ejus jejunatum fuit 1. *Sam.* XXXI. 13. 2. *Sam.* I. 12. (2) ex locis ſequentibus *Ieſ.* XLIX. 8. 9. 10. (3) *Zach.* IX. 11. (4) *Mal.* III. 2. 3. (5) 2. *Macc.*

Digitized by Google

XII. 39. ſqq. (6) *Matth.* V. 25. 26. (7) *Matth.* XII. 31. 32. 36 (8) *Matth.* XXVII. 52. 53. (9) 1. *Cor.* III. 11. ſqq. (10) *Phil.* II. 10. (11) *Apoc.* II. 13. (12) *Apoc.* V. 13. (13) *Apoc.* XXI. 27. & (14) denique teſtimoniis Hermæ, Clem. Romani, Tertull. Clem. Alex. Cypriani, Origenis, Lactantii, Euſebii, Epiphanii, Ambroſii, Hieronymi, Prudentii, Auguſtini. Alia adhùc argumenta & loca habet BELLARMINUS in *diſp. de Controv. Chriſt. fid. T. 3. Cont. 6. de purgatorio.* Succenturiatur POIRETUS in *œcon. div. L. 5. C. 5. 6. 7.* qui vel maximè id urget, neminem niſi perfectè purum & ſanctum DEUM videre poſſe *Matth.* V. 8. *Hebr.* XII. 14. *Apoc.* XXI. 27. Jam mori homines adhuc cum multis impuritatibus, quæ & per mortem non tollantur. Ergò dari purificationem animarum poſt mortem. Et pertinet ſanè hùc vel maximè autor anonymus, quem GOTH. ARNOLDUM eſſe ferunt, libelli Amſtelodami, uti titulus falſo fert, A. 1703. 8. impreſſi: *Betrachtung von dem mittlern Zuſtand der Seelen nach ihrem Abſchied auſ dem Leibe*, ubi vel maximè ex hiſtoriâ dogmatum atque antiquitate Eccleſiaſticâ teſtimonia omnia, quæ potuit, is conglomeravit, ea ſcilicet, quæ pro ſtatu intermedio atque pro purificatione animarum faciunt, cæteris hactenus ſepoſitis & omiſſis, quæ contra iſtam militant. Denique nec tacenda ea ſunt, quæ hanc in rem dedit JO. GUIL. PETERSENIUS, Vir celeberrimus, qui in

in ſcriptis de *ἀποκαταστάσει πάντων* plurimùm quoque purificationem ſtatumque intermedium animarum poſt mortem (ubi ſanè & LICHTSCHEIDIUM tantiſper conſentientem habuit,) urſit. Ex noſtris conferas velim *ſyllogen diſſertationum de ſtatu animarum ſeparatarum* & quidem *duplicem*, *Francofurti ex officinâ Henningii Groſſii Ann. 1692.*, quarum prior anonymi (qui, uti ex ore JO. FECHTII, Theologi quondam Roſtochienſis doctiſſimi accepimus, JO. CHRISTOPHORUS ARTOPÆUS fuit,) *diſſ.* de *ſtatu loco & vitâ animarum cum refutatione Bebelianâ*, poſterior G. CALIXTI tractatum de *ſtatu animarum ſeparatarum* & J. A. SCHERZERI *purgatorium exuſtum* quoque exhibet. Addere dein convenit J. G. BAJERI *diſſ.* de *purgatorio Pontificiorum, num ex Auguſtino probari poſſit?* TH. ITTIGII exerc. theol. de *novis purgatoriis* itemque aliam de *Evangelio mortuis annunciato*, quæ in *exercitationum theologicarum enneade* exſtat, maximè verò JO. DALLÆUM de *pœnis & ſatisfactionibus humanis*, qui cæteris omnibus ſcriptoribus hîc præferendus eſt atque etiam de precibus pro mortuis hìc fuſè agit hiſtoriamque errorum hîc pandit, itemque JAC. WINDETI מנחה בלולה ſive *ϛρωματεὺς ἐπιϛολιμαῖος* de vitâ functorum ſtatu ex Hebræorum & Græcorum comparatis ſententiis concinnatus, ut infinitos alios Autores, qui de purgatorio ſcripſere, eos maximè, qui in bello iſto apocataſtico

Digitized by Google

ſtico militavere, taceamus. Præcipuum id eſt, ut ante omnia loca illa, quæ pro variis animarum ſeparatarum receptaculis allegari ſolent, hùc ponamus. Ex V. T. producuntur hæ nomenclaturæ, abitus ad populos ſuos *Gen.* XXV. 8. Scheol *Gen.* XXXVII. 35. id quod ſanè hìc loci ſepulchrum deſignare non poteſt, cùm Jacobus non exiſtimaverit, Joſephum ſepultum ſed à ferâ diſcerptum fuiſſe, denotat itaque ſtatum vel locum animæ ſeparatæ ſive beatæ ſive damnatæ *Ieſ.* V. 14. XIV. 9. 15. 19. *Pſalm.* XLIX. 15. faſciculus vitarum 1. *Sam.* XXV. 29. cubile, in quo pax & quies *Ieſ.* LVII. 2. vallis cadaverum & cineris *Ier.* XXXI. 40. fovea *Ezech.* XXXI. 14. XXXII. 18. ſqq. ſors *Dan.* XII. 13. manus ſcheol, ex quâ DEUS redimit *Hoſ.* XIII. 14. fovea, in quâ nulla aqua & ex quâ vincti dimittuntur *Zach.* IX. 11. 12. portæ mortis *Pſalm.* IX. 14. Scheol, ubi nulla Domini memoria, & corruptio *Pſalm.* VI. 6. 13. XVI. 10. XXX. 4. LXXXVI. LXXXVIII. 5. ſqq. viſio DEI *Pſalm.* XVII. 15. terra vitarum *Pſalm.* XXVII. 13. CXLII. 6. tenebræ & fovea *Pſalm.* CXLIII. 4. 8. conclavia mortis *Proverb.* VII. 27. Scheol & tenebræ *Iob.* XVII. 13. ſqq. portæ mortis & umbrarum ejus *Iob.* XXXVIII. 17. manus DEI *Sap.* III. 1. ſinus Abrahæ *Luc.* XVI. 22. carcer *Matth.* V. 25. *Petr.* III. 29. quies in pace & ſpe *Act.* II. 16. 1. *Cor.* XV. 19. *Apoc.* XIV. 13. paradiſus *Luc.* XXIII. 43. mons Sion, cœleſtis

leſtis Hieroſolyma, Eccleſia primogenitorum *Hebr.* XII. 22. 23. locus recreationis *Act.* III. 21. locus ſub altari *Apoc.* VI. 9. mare, mors, infernus & lacus ignis & ſulphuris *Apoc.* XX. 13. 14. 15. cœlum tertium 2. *Cor.* XII. 2. *Apoc.* I. 20. locus intermedius, in quo fuere reſuſcitatorum tempore Chriſti animæ, Lazari illa, illa juvenis Nainitæ &c. niſi manſerint in corporibus ea licet non ampliùs informantes, τόπῳ *Act.* I. 25. qui heic Judæ adſcribitur & à Clem. R. Petro & à Polycarpo omnibus Apoſtolis, mors prima & ſecunda *Apoc.* II. 11. XX. 6. 14. XXI. 8. Quæ omnia ſi quis ſine partium ſtudio perpenderit, videbit utique, multa hîc eſſe loca, quæ nonniſi ſepulchrum indigitent, alia, quæ ſtatum miſeriæ & calamitatis ſpiritualis ſive ante mortem deſignent, alia, quæ beatum animarum fidelium ſtatum poſt mortem oſtendant, alia, quæ ſtatum mortis in genere efferant, alia denique, quæ ſtatum locumque animarum impiarum poſt mortem innuant. Scilicet eſt & πȣ̃ certum eorum, qui in fide deceſſere, & πȣ̃ certum eorum, qui in infidelitate & impietate deceſſere, ubi animæ verſantur & pro ratione eorum, quæ perpetravere ante mortem, vel recreantur vel anguntur (de purificatione quâdam animarum poſt mortem nullibi ſanctiores literæ quicquam memorant,) ibidemque verſantur & detinentur uſque ad diem judicii. Neque enim ante hunc perfectâ beatitudine fruuntur, nondum & quippe cum corporibus ſuis redunitæ, neque etiam

Digitized by Google

etiam perfecta adhuc earum pœna eſt 2. *Petr.* II. 4. ſqq. quam adhuc maximo cum tremore exſpectant *Hebr.* X. 27. Nec locus ille *Apoc.* XX. 13. 14. tantam difficultatem habet, utpote cujus hic ſenſus planè naturalis eſt: Quicunque mortui quoad corpus vel in mari, ubi perierant, fuere, vel ordinario mortis genere erant defuncti vel ex peculiari judicio divino, uti Core, Dathan & Abiram cum ſuis in infernum cum corpore & animâ detruſi, illi ex mari & ſepulchris ſuis & inferno protracti & animâ corporeque per reſuſcitationem ſic redunitis fuere judicati ſecundùm opera ſua & projecti, quicunque nempe male fecerant, in infernum illum κατ' ἐξοχὴν ſic dictum, qui eſt ignis æternus & mors ſecunda. De limbo verò Patrum Vet. Teſtamenti, in quo hi permanſerint, donec Chriſtus per deſcenſum ſuum illos 1. *Petr.* III. 19. liberaverit, de limbo itidem infantum non baptizatorum, quibus pœna damni, non pœna ſenſus heic infligatur, altum in ſacris literis ſilentium eſt. Scilicet Romanenſes hîc ita mentes ſuas informant. Dicunt, quatuor eſſe in centro terræ animarum ſeparatarum receptacula 1. infernum. 2. purgatorium. 3. limbum infantum 4. limbum Patrum, quorum illa ſint intimiora, hæc extimiora. Vide ZEPHYRINUM DE PACE in *den alt-Chriſtlichen Gedancken*, ubi figura rerum, circulis ductis, exhibetur p. 688 689. Sed ſuavia hæc ſomnia ſunt, quæ nulli

bi n

bi in ſacris literis vel in antiquioris Eccleſiæ do-
cumentis reperiuntur. Unicum id eſt, quod
crucem Theologis figit, duo nempe illa loca Pe-
trina 1. *Petr.* III. 19. 20. & 1. *Petr.* IV. 6.
ibi utique videtur innui, quòd animæ eorum,
qui tempore Noachi haud crediderе, fuerint aſ-
ervatæ in carcere quodam uſque ad deſcenſum
Chriſti, qui ipſis prædicaverit, & quòd *mortuis*,
ine dubio à Chriſto in eodem illo carcere, *præ-
dicatum fuerit Evangelium.* Itaque, ſi mor-
uis prædicatum eſt Evangelium à Chriſto, qui
om in finem poſt vivificationem ſuam in ſepul-
hro ad eos abiit, ergò ex hoc carcere eſt libe-
atio, ergò animæ incredulorum in carcere ſuo
oſſunt ſanctificari & purgari. Nec profectò
ecies huic argumento deeſt. Cætera enim, quæ
ro purgatorio proferuntur, argumenta ferè
mnia ne caſſâ quidem nuce, uti mox oſtende-
us, digna ſunt. Aſt reſpondetur à noſtris,
ntentiam Petri hanc eſſe, quòd Chriſtus de-
enderit in τῷ damnatorum ibique legalem
oncionem habuerit, id quod voce ἐκήρυξε in-
gietur, quæ tamen ſanè & aliâs de Evangelio
ſurpatur, ſeſeque ipſis oſtenderit triumphato-
em peccati, mortis & inferni *Col.* II. 15. Ad-
unt iidem noſtrates, locum 1. *Petr.* IV. 6.
tem de ſpiritualiter mortuis agere, neque enim
m de corporaliter mortuis agere poſſe, quo-
am aliâs verba ſequentia nullum ſenſum futura
ſent, ubi dicitur, *ut judicentur quidem ſe-
cundùm*

cundùm homines carne, *vivant verò ſecundùm* ***DEUM*** *ſpiritu*, id quod animabus ſeparatis haud congruat. Nec valere objectionem, ejusmodi mortuos eſſe intelligendos, quales comm. 5. intellecti fuerint, cùm hoc neceſſarium haud ſit ſed luſus rhetoricus hîc ſtatui poſſit, uti in illo loco: *ſinite mortuos mortuos ſuos ſepelire* *Matth.* VIII. 22. Confer egregiam diſſertationem TH. ITTIGII de *Evangelio mortuis annunciato.* Quid verò jam nobis heic agendum eſt lector, qui veritatem quærimus? Dicendum utique loca hæc Petrina obſcuriora eſſe nec LIQUERE, quid ſtatuendum ſit. Nihil itaque temerè hîc pronunciandum determinandumque eſt ſed dicendum, nos de ſtatu animarum poſt mortem & de eo, quod ipſis heic contingat, de τῶ illorum deque œconomiis divinis, quatenùs nempe ipſius juſtitia, ſapientia, ſanctitas & miſericordia hîc diſponat, pauciſſima noſſe, eſſe hoc nobis ænigma quoddam per mortem noſtram demùm ſolvendum & γινώσκειν nos & προφητεύειν in hoc articulo ſaltem ἐκ μέρους 1. *Cor* XIII. 9. ſqq. Id certum, pios ituros in locum ſolatii, impios in locum pœnæ, utrorumque vel ſolatia vel pœnas gradibus infinitis diſtincta fore, pro eo ac quiſque patravit, cùm viveret, ſtatumque animarum ſive beatarum ſive damnatarum complementum demùm ſuum poſt judicium ſumturum, denique purgatorium Pontificiorum, in meditullio terræ ex

iſten

ſtens, ubi animæ uſtione ignis corporei pro peccatis, quæ commiſere, venialibus purgantur atque inde per Miſſas & preces pro defunctis liberantur, eſſe mirum quoddam ſomnium, lucrativum id quidem pro Clero Romanenſi ſed vanum, ſed ſuperſtitioſum, ſed merito Chriſti injurium, ſed ordini ſalutis in ſacris literis nobis revelato atque primitivæ Eccleſiæ contrarium. Jam verò (ita quippe oggeres, quicunque ex Romanenſibus hæc noſtra leges) quid ais, *& primitivæ Eccleſiæ contrarium?* Militat pro purgatorio totus Patrum chorus. Id verò eſt, quod nego egomet & pernego. Evolvantur ſcriptores noſtri CHEMNITIUS, GERHARDUS, MORNÆUS, RIVETUS, CHAMIER, FORBESIUS, DALLÆUS, DREIERUS, BAIERUS, ITTIGIUS, KORTHOLTUS infinitique alii, qui plauſtra teſtimoniorum ex PP. hîc proferunt purgatorio contraria. Sit ita, ſtatuerint ſtatum quendam intermedium vel purgationem quandam poſt mortem, non tamen Pontificiam, Hermas, Tertullianus, Clem. Alex. Cyprianus, maximè Origenes, Ambroſius, Auguſtinus. Sunt alii, ſunt & hi ipſi, qui ſubinde contraria iis, quæ jam dixerant, ſtatuunt. Imò in ipſo Concilio Tridentino plurimi fuere, purgatorium qui negavere. Id tamen non negandum, preces pro mortuis, etſi nullum in ſacris literis fundamentum habeant, (id enim, quod ex 2. *Tim.* I. 18. ubi Paulus pro Oneſiphoro neſcio an mortuo jam

pia *vota* fundit, jejunum eſt) eas quoque, quæ cum oblationibus munerum eucharisticorum vicariis & celebratione euchariſtiæ conjunctæ fuere, antiquiſſimas eſſe. Vide & diſſertationem noſtram de *oblatione Euchariſtiæ* §. 34. *ſqq. pag.* 296. *ſqq.* & vel maximè JO. DALLÆUM de *pœnis & ſatisfactionibus humanis*, ubi maximè L. V. tres fontes precum pro mortuis apud veteres uſurpatarum adaperiuntur, (1) quòd ii fidelium animas extra cœlum ad reſurrectionem uſque quieſcere in ſtatu placido quidem illo & à pœnis immuni, cæterùm nondum ſumma adepto putaverint, (2) quòd vetuſtiſſimi plerique Patres millenarium Chriſti in terris regnum primamque & ſecundam fidelium reſurrectionem, utramque corporalem crediderint, (3) quòd igne judicii extremi luſtratum iri mortuos & purgatum exiſtimaverint. Quæ omnia, uti patet, nullum hactenùs purgatorium inferunt. Cæterùm *oratio pro mortuis*, maximè euchariſtica & laudativa eaque, quà DEUM rogamus, ut vel gaudia ipſorum adaugeat vel pœnas mitiget, uti *Apol. Aug. Conf.* p. 274. 275. habet, à nobis *haud prohibetur*, vel eam quoque ob rationem, quòd œconomiarum divinarum, poſt mortem quæ ſeſe exerunt, ratio tota ut nos hactenùs lateret, DEO O. M. placuit. Quin ſanè & iſtæ pro defunctis preces, quæ in Canone Miſſæ Romano habentur, nondum purgatorium inferunt. En verba: *Memento, Domine, famulorum famu-*

larumque

larumque tuarum N. & N. qui nos præceſſerunt cum ſigno fidei & dormiunt in ſomno pacis. Ipſis, Domine, & omnibus in Chriſto quieſcentibus locum refrigerii, lucis & pacis indulgeas, deprecamur. Ut taceamus & pro S. DEI arâ, Patriarchis, Prophetis, Apoſtolis ſanctiſque omnibus preces fundi, quos tamen in purgatorio laborare nemo Romanenſium dixerit. Quâ in re ut & Liturgiæ Græcæ conferantur, velim. Jam & ſententias Gentilium & Judæorum de ſtatu animarum ſeparatarum poſt mortem noſſe qui voluerit, adeat TOB. PFANNERUM in *Theol. gent.* & PETR. EISENMENGERUM *in dem entdeckten Judenthum* P. 2. C. 5. 6. & denique JAC. WINDETUM de *vitâ functorum ſtatu*, qui libellus tertiâ parte auctior Londini 1677. 8. prodiit, ubi vel maxime de vocibus שאול & ᾅδης agitur oſtenditurque, Scheol in paradiſum & gehennam ab Hebræis, Haden in Elyſium & Tartarum à Græcis itidem diſtingui. Gehennam ab Hebræis ſubdividi in ſuperiorem & inferiorem, tartarum pariter à Græcis ſubdividi. Ex Gehennâ ſuperiore luſtratos redire juxta Hebræos. Et pariter ita Græcos ſentire, bonos ad cœlum, malos ad Gehennam ſive tartarum inferiorem, mediocres ad ſuperiorem itare. Quin & de purgatorio Judæorum Græcorumque campis lugubribus & tartaro & purgatorio itidem Mohammedanorum idem WINDETUS agit, qui inſpici hîc omninò de-

 bet.

bet. Quod reſtat, hæc pauca ſaltem adhuc addimus, (1) nos vindicias dictorum 2. *Macc.* XII. & 1. *Cor.* III. dediſſe in libro gallico: *la verité de la religion Proteſtante C. 4. §. 12. p. 156. ſqq. §. 13. p. 142. ſqq.* (2) de particulari cujuſvis poſt mortem judicio, quod dicitur, non ita eſſe intelligendum, ac ſi ſingularis judicii actus ſolennis cujuſvis gratiâ poſt mortem illicò inſtitueretur, planè non, ſed quòd quocunque arbor cadit ſive cadat verſus meridiem ſive verſus ſeptentrionem, ibi permanſura ſit. *Cohelet* XI. 3. (3) Unionem illam in Concilio Florentino inter Græcos & Latinos in loco quoque de purgatorio inconſultis Græcis ab Imperatore factam fuiſſe. Hinc & Eccleſia Græca hodierna purgatorium rejicit, etſi arbitretur, animas per Miſſas ex inferno liberari poſſe. Vide *confeſſ. orthod. P. 1. qu. 64. ſqq. pag. 108. ſqq.* Nihilominus addi velim *collectionem ſcriptorum Græcorum de purgatorio* à LEONE ALLATIO Francofurti A. 1656. editam. (4) Id, quod de P. COTONO Jeſuitâ vulgò narratur, ipſum nempe ex obſeſſâ quæſiviſſe, *quis eſſet evidentiſſimus ſcripturæ locus ad probandum purgatorium & invocationem ſanctorum?* uti apud THUANUM Hiſtor. L. 132. f. 1053. ad A. 1604. exſtat, negari ab alio Jeſuitâ, qui vitam P. COTONI Gallicè Pariſiis A. 1688. edidit nempe P. D' ORLEANS, qui habet, *que le P. Coton n' a pas interrogé le Diable ſur*

cette

cette queſtion mais qu' on avoit trouvé un billet, qui luy avoit été envoyé & dans lequel on conjura le P. Coton *de vouloir bien faire cette demande à la poſſédée.* Quæ ipſa miror haud poſita eſſe à PETRO BÆLIO, Viro curioſiſſimo, quem ejuſmodi obſervationes aliâs haud latuere. Vide ipſius *dict. hiſtor. & crit.* voce GRANDIER *T. 2. f. 1377. b.* (M) Idem quippe, ubi CASTELLANI vitam dedit, ſolicitè memoravit dicam illam, quam Sorbona eidem ſcripſit, quòd in ſermone funebri, quem Franciſco I. Regi is habuerat, pronunciâſſet, *que l' ame du Roi étoit allée tout droit au Paradis.* Ibi enim ex BEZA & THUANO ſtatim hæc addidit: *Les deputés de Sorbonne tombérent entre les mains d' un rieur* (Mendoze, Maître d' hôtel du Roy) *qui ſe moqua d' eux. Je connois, leur dit-il, l' humeur du feu Roy, il ne s' arrêtait guére en un même lieu & s' il a paſſé par le Purgatoire, ce n' a été que pour y gouter le vin.* Vide T. I. f. 846. b. notà (N) Denique & notandum, ſatis notum eſſe dogma μετεμψυχώσεως ſive revolutionis animarum è corporibus in corpora, familiare olim Ægyptiis, Pythagoræis, Phariſæis, Cabbaliſtis, è quibus heic ISAACVS LORIA à CHRIST. KNORRIO A ROSENROTH latinè in *Kabbalâ denudatâ* datus eminet, & quos inter recentiores ſequuntur HENRIC. MORVS itemque Autor quidam anonymus ſeu potius, quod ferunt, co-

Digitized by Google

mitiſſa quædam Anglicana in libello Amſteloda-mi in 12. A. 1690. impreſſo, quem FRANCISC. MERCURIUS VAN HELMONT edidiſſe fertur, cui titulus: *De revolutione animarum humanarum, quanta ſit iſtius doctrinæ cum veritate Chriſtianæ religionis conformitas, problematum centuriæ duæ lectori modeſto modeſtè propoſita & latinitate donata juxta exemplar Anglicanum Londini A. 1684. impreſſum*, denique alius Autor Anglus WHITELOCKE BULSTRODE in *an eſſay for tranſmigration in defence of Pythagoras London 1693.* ubi Pythagoras excuſatur diciturque, quòd tranſmigrationem animæ ſaltem ſenſitivæ, non rationalis crediderit. Inſpici verò hîc poſſunt J. F. BUDDEUS in *introduct. ad hiſtor. Philoſ. Ebr. §. 45.* notâ (y) *p. 359. ſqq.* J. A. EISENMENGERUS *in dem entdekten Judenthum P. 2. C. 1. p. 23. ſqq.* JO. CLERICUS in *prolegom. hiſtor. eccl. p. 8.* & *Unſch. nachr.* 1713. p. 745. ſqq. Aſt quem quæſo in ſcribendi enthuſiaſmum heic ubi compendium rerum, ubi inſtitutiones Theologiæ damus, effundimur?

§. III.

De reſurrectione mortuorum hæc pauca efferimus. Præſupponimus hoc (1) animas in morte non annihilari, quæ COWARDI ſententia eſt, qui putat, animam nihil aliud quàm vitam eſſe, nec in ſtatu ſeparationis ſomno cuidam & lethargo involvi, quem errorem Pſychopannychitæ

Digitized by Google

chitæ à CALVINO refutati ſive Arabici aut Armeni, ferè & Sociniani & Remonſtrantes & Anabaptiſtæ aliique ex noſtris errare creduntur, ſed vivere & ſentire *Luc.* XVI. 25. ſqq. *Phil.* I. 21. ſqq. *Apoc.* IV. 4. ſqq. V. 8. ſqq. VI. 14. XIV. 4. XX. 6. ſqq. Jam & patet, errare quoque Socinianos illos, qui putant, impiorum pœnam ipſorum annihilationem fore, & H. DODVVELLUM, qui ſtatuit, animas demùm immortales per baptiſmum à miniſtro Eccleſiæ ritè ordinato collatum reddi. (2) eaſdem non religioſè colendas vel invocandas eſſe *Matth.* IV. 10. *Deut.* VI. 3. *Jeſ.* LXIII. 16. *Act.* X. 25. 26. XIV. 11. ſqq. 2. *Reg.* II. 9. XXII. 10. *Job.* XIV. 21. *Eccleſ.* IX. 5. *Jeſ.* VIII. 19. (3) corpora demortuorum, uti quidem Sociniani ſomniant, non in nihilum redigi ſed ſaltem in pulverem reverti *Gen.* III. 19. *Eccl.* XII. 7. corruptionem videre & mortem *Pſalm.* XVI. 10. 1. *Cor.* XV. 42. *Luc.* II. 26. in pulvere & cubilibus ſuis dormire & quieſcere, donec à Domino excitentur *Deut.* XXXI. 16. 2. *Sam.* VII. 12. 1. *Reg.* II. 10. *Jeſ.* XXVI. 20. *Dan.* XII. 2. *Ioh.* V. 28. ſeminari in morte *Ioh.* XII. 24. 1. *Cor.* XV. 43. & oſſa in reſurrectione graminis ad inſtar *Ieſ.* LXVI. 14. revireſcere. Ut taceamus, DEVM omnia oſſa piorum cuſtodire, ne ullum eorum pereat. *Pſ.* XXXIV. 21. (4) animas hominum non mori cum corpore. *Matth.* X. 28. *Luc.* XII. 4. *Eccleſ.* XII. 7. *Gen.* II. 7.

mitiſſa quædam Anglicana in libello Amſteloda-mi in 12. A. 1690. impreſſo, quem FRANCISC. MERCURIUS VAN HELMONT edidiſſe fertur, cui titulus: *De revolutione animarum humanarum, quanta ſit iſtius doctrinæ cum veritate Chriſtianæ religionis conformitas, problematum centuriæ duæ lectori modeſto modeſtè propoſitæ & latinitate donatæ juxta exemplar Anglicanum Londini A. 1684. impreſſum*, denique alius Autor Anglus WHITELOCKE BVL-STRODE in *an eſſay for tranſmigration in defence of Pythagoras London 1693.* ubi Pythagoras excuſatur diciturque, quòd tranſmigrationem animæ ſaltem ſenſitivæ, non rationalis crediderit. Inſpici verò hîc poſſunt J. F. BUDDEUS in *introduct. ad hiſtor. Philoſ. Ebr. §. 45.* notâ (y) *p. 359. ſqq.* J. A. EISENMENGERUS *in dem entdeckten Judenthum P. 2. C. 1. p. 23. ſqq.* JO. CLERICUS in *prolegom. hiſtor. eccl. p. 8.* & *Unſch. nachr. 1713.* p. 745. ſqq. Aſt quem quæſo in ſcribendi enthuſiaſmum heic ubi compendium rerum, ubi inſtitutiones Theologiæ damus, effundimur?

§. III.

De reſurrectione mortuorum hæc pauca efferimus. Præſupponimus hoc (1) animas in morte non annihilari, quæ COWARDI ſententia eſt, qui putat, animam nihil aliud quàm vitam eſſe, nec in ſtatu ſeparationis ſomno cuidam & lethargo involvi, quem errorem Pſychopannychitæ

Digitized by Google

ditæ à CALVINO refutati ſive Arabici aut Armeni, ferè & Sociniani & Remonſtrantes & Anabaptiſtæ aliique ex noſtris errare creduntur, ſed vivere & ſentire *Luc.* XVI. 25. ſqq. *Phil.* I. 21. ſqq. *Apoc.* IV. 4. ſqq. V. 8. ſqq. VI. 14. XIV. 4. XX. 6. ſqq. Jam & patet, errare quoque Socinianos illos, qui putant, impiorum pœnam ipſorum annihilationem fore, & H. DODVVELLUM, qui ſtatuit, animas demùm immortales per baptiſmum à miniſtro Eccleſiæ ritè ordinato collatum reddi. (2) eaſdem non religioſè colendas vel invocandas eſſe *Matth.* IV. 10. *Deut.* VI. 3. *Jeſ.* LXIII. 16. *Act.* X. 25. 26. XIV. 11. ſqq. 2. *Reg.* II. 9. XXII. 10. *Job.* XIV. 21. *Eccleſ.* IX. 5. *Jeſ.* VIII. 19. (3) corpora demortuorum, uti quidem Sociniani ſomniant, non in nihilum redigi ſed ſaltem in pulverem reverti *Gen.* III. 19. *Eccl.* XII. 7. corruptionem videre & mortem *Pſalm.* XVI. 10. 1. *Cor.* XV. 42. *Luc.* II. 26. in pulvere & cubilibus ſuis dormire & quieſcere, donec à Domino excitentur *Deut.* XXXI. 16. 2. *Sam.* VII. 12. 1. *Reg.* II. 10. *Jeſ.* XXVI. 20. *Dan.* XII. 2. *Iob.* V. 28. ſeminari in morte *Ioh.* XII. 24. 1. *Cor.* XV. 43. & oſſa in reſurrectione graminis ad inſtar *Ieſ.* LXVI. 14. revireſcere. Ut taceamus, DEUM omnia oſſa piorum cuſtodire, ne ullum eorum pereat. *Pſ.* XXXIV. 21. (4) animas hominum non mori cum corpore. *Matth.* X. 28. *Luc.* XII. 4. *Eccleſ.* XII. 7. *Gen.* II. 7.

Digitized by Google

Luc. XXIII. 43. *Phil.* I. 23. *Matth.* XXII. 32. Hiſce ita præſuppoſitis & præſuppoſitâ quoque diſtinctione illâ inter reſurrectionem particularem paucorum illorum, qui à Prophetis, Chriſto & Apoſtolis reſuſcitati fuere, ſingularem, quæ Chriſti ipſius eſt, & univerſalem dicimus I. Datur mortuorum reſurrectio vi dictorum cardinalium *Iob.* XIX. 25. ſqq. *Dan.* XII. 2 *Hoſ.* VI 2. *Matth.* XXII. 31. *Marc.* XII. 26. 27. *Luc.* XX. 37. 38. *Ioh.* V. 28. 29. 1. *Cor.* XV. 12. ſqq. Taceo exempla reſuſcitatorum ab Eliâ 1. *Reg.* XVII. 18. ſqq. Eliſæo 2. *Reg.* IV. 32. ſqq XIII. 20. ſqq. Chriſto *Matth.* IX. 25. XI. 5. XXVII. 52. *Luc.* VII. 14. *Ioh.* XI. 43 ſqq. & ab Apoſtolis *Act.* IX. 40. XX. 10. taceo & typos tùm reales tùm perſonales, taceo denique & argumenta à promiſſionum divinarum veritate cum omnipotentiâ & juſtitiâ divinâ conjunctâ, ex Chriſti reſurrectione, qui morte & reſurrectione ſuâ mortem deſtruxit *Hoſ.* XIII. 14. 1. *Cor.* XV. 21. ſqq. & unione ejuſdem cum fidelibus deſumta. II. DEUS mortuos reſuſcitabit *Rom.* IV. 17. 2. *Cor.* I. 9. Pater *Ioh.* V. 21. 1. *Cor.* VI. 14. Filius *Iob.* XIX. 25. *Ioh.* V. 21. VI. 39. 54. XI. 25. *Apoc.* I. 18. & Spiritus S. *Rom.* VIII. 11. ſingulari tamen ratione Redemtor θεάνθρωπος. *Iob.* XIX. 25. 26. *Ioh.* V. 25. 28. 29. qui & hoc piis meruit, ut reſurgerent, ſed piis ſaltem *Ioh.* XI. 25. qui eum neceſſe eſt ut ſequantur ut caput ſuum 1. *Cor.* XV. 20. *Apoc.* I. 5.

Impii

Impii verò à Chriſto ut Judice reſuſcitabuntur. Scilicet reſurrectio ut ſic ex merito Chriſti haud fluit, ubi ſanè errantes ex noſtris BOETHIUM & BROCHMANDUM offendimus. III. In reſuſcitatione mortuorum Angelorum miniſterium adhibebitur. Hi enim (1) tubâ clangent *Matth.* XXIV. 31. (2) homines ex mortuis reſuſcitatos in unum congregabunt l. c. & XIII. 41. (3) congregatos in duas claſſes diſtribuent comm. 49. illos quidem ad dextram, hos ad ſiniſtram Judicis collocando & (4) reprobos poſt latam ſententiam in infernum immittent *Matth.* XIII. 50. Ad ipſam verò reſuſcitationem nullum Angelorum concurret miniſterium. IV. Omnes homines reſuſcitabuntur tàm pii ad vitam quàm impii ad pœnam æternam, exceptis, quos vivos ultima dies apprehendet, utpote qui immutabuntur. *Dan.* XII. 2. *Joh.* V. 28. 29. 1. *Cor.* XV. 51. 1. *Theſſ.* IV. 16. 17. V. Corpus cinefactum reſurget idem numero, quod in hâc vitâ geſſimus & quod per mortem ceciderat. *Job.* XIX. 26. 27. *Jeſ.* XXVI. 19. *Pſalm.* XXXIV. 21. *Rom.* VIII. 11. 1. *Cor.* XV. 53. 54. 2. *Cor.* V. 10. *Phil.* III. 21. novis tamen atque ſpiritualibus qualitatibus veſtitum 1. *Cor.* XV. 41. ſqq. Identitatem corporis, quod reſurget, negavere & negant Origenes, Sociniani, Anabaptiſtæ, Jacobus Schegkius noſtrâs & inter recentiores JO. LOCKIUS, qui cum EDUARDO STILLINGFLEETO hanc in rem diſputavit, & illu-

Digitized by Google

ſtris Baro DE METTERNICH *in der göttlichen Metaphyſicâ L. 1. Cap. 7. §. 115. 116. p. 223.* Addi poteſt BERNHARDUS CONNOR, homo planè ridiculus, qui arbitratus eſt, homines, qui cum naturali ſeu ponderoſo & craſſiore corpore olim obiere, cum ſpirituali quodam microſomate ſeu puſillo corpuſculo paſſerum forſan imò fortaſſis & muſcarum inſtar leves maximè agiles & ſummè mobiles reſurrecturos eſſe. Vide *Evangelium Medici* Londini A. 1697. Amſt. 1699. & Jenæ A. 1704. editum art. 3. maximè p. 108. 112. edit. Amſtel. ROB. etiam BOYLE in tr. de *poſſibilitate reſurrectionis* ſtatuit, idem corpus non reſurrecturum ſed plaſticam facultatem in particulis humani cadaveris reſiduam novam materiam attracturum, quæ eadem & KENELMI DIGBÆI ſententia eſt. Hiſtoriam hujus theſeos condidit HUMFREDUS HODY in libello egregio Londini A. 1694. 8. edito, titulum qui fert. *The reſurrection of the (ſame) body aſſerted from the traditions of the Heathens, the ancient Iews and the primitive Church with an anſwer to the objections brought againſt it.* Adde & ANT. COLLINI *diſcurſe of free-thinking* pag. 52. Tacemus autem hîc PETR. POIRETUM, V. C. qui ſtatuit, corpus totum in morte ab animâ haud diſſolvi ſed deponi hic ſaltem corticem illum craſſum, non verò ſubtiliſſimam illam & maximè activam corporis noſtri portio-

nem,

num, quippe quæ etiam cum animâ ſemper unita maneat, ut adeò reſuſcitatio mortuorum nihil aliud ſit quàm convocatio omnium in mundo exiſtentium corporum, vi cujus illa non ſolùm gloriſicanda & in primævum ſtatum reducenda ſed etiam cum cortice illo craſſo rurſus unienda ſint. Quibus præmiſſis idem loca *Dan.* XII. 2. & *Ioh.* V. 24. 25. non de reſurrectione mortuorum ſed ſpirituali explicat, quoad poſteriorem locum addens, patere veritatem hujus explicationis ex eo, quòd hora iſtius reſurrectionis non ſaltem venire ſed & jam adeſſe dicatur. Vide *Oecon. div.* T. 4. C. 2. § 18. 19 pag. 46. ſqq. At verò & reticere hîc non poſſumus NICOLAUM GURTLERUM, Theologum Reformatum, qui & Hanoviæ & Bremæ & Daventriæ & denique Franequeræ in Friſiis docuit, atque tùm in *Inſtitut. Theolog. C. 36. §. 33. 44. p. 933. ſqq.* tùm maximè in *ſyſtemate Theologiæ Propheticæ C. 44. art. 1. §. 6. pag. 714. 715.* peculiare ſibi de reſurrectione ejuſdem corporis ſyſtema formavit. En ipſius mentem: *Obſerva α in principio ſtatim creationis DEUM ſingulis mentibus humanis ſua deſtinaviſſe ſingulariter corpora & conſequenter ſuas particulas, è quibus tota machina conflari coagmentarique debebat. β Poſt peccatum animabus contaminatis non fuiſſe à DEO deſtinata aut parata corpora nova ſed data eadem, quæ ante lapſum iis definita erant. γ Tamen terrâ vanitati & execrationi ob humani generis*

generis defectionem a DEO ſubjectâ diluvio poſtea cadaveribuſque in aquâ ſubmerſis contectâ haſce ipſas particulas terreſtres machinis noſtris concipiendis, formandis, nutriendis augendiſque & conſervandis lege divinâ attributas miſerè & mirè immutatas corruptaſque ſecundum motum, quietem, figuram, ſitum & quantitatem fuiſſe. δ Per reſpirationem plurimas particulas peregrinas ad componenda corpora noſtra lege naturæ haud ordinatas, toto vitæ noſtræ curriculo cum iis confundi commiſcerique. ε Has inter plures eſſe venenatas, hoc eſt, contra naturam corporum noſtrorum pugnantes eamque denique expugnantes & deſtruentes. ς In reſurrectione nos accepturos particulas tantùm noſtras 1. Cor. XV. 37. 38. ζ Haſce reſtituendas tùm in eum ſtatum, in quo fuerint ante peccatum, ſine vitio ac ſine mixturâ cùm peregrinarum tùm venenatarum. Addit vir præſtantiſſimus: *Hæc diligenter ante annos meditata nunc adſcripſi, partim inter febriles inſultus partim iis DEI beneficio intermiſſis.* Audiamus & ſi placet, JO. CLERICUM *ad Grotium de V. R. C. 2. §. 10. p. 108. Minimè neceſſarium eſt, ut eadem ſit numero materia, quæ excitatur, cum eâ, quæ homini moriente in ſepulchrum illata eſt. Neque enim minus fuerit idem homo is, cujus animus conjunctus fuerit cum materiâ, cum quâ nunquam conjunctus fuerat, ſi ſit idem animus, quam fuit idem homo decrepitus & infans vagiens i*

cuni.

Digitized by Google

cenis, quamvis ne particula quidem forte ſuperſit in ſene ejus materiæ, quæ fuit in infante propter perpetua effluvia, quæ ex corpore elabuntur. Reſurgere corpus *dici optimè poteſt, cùm ſimile ex terrâ à DEO formatur conjungiturque menti. Itaque non opus eſt, ut in nimias anguſtias nos redigamus, dum ταυτότητα materiæ nimis rigidè defendimus.* Jam & id obſervandum, in ſymbolo Apoſtolico dici: Credo *reſurrectionem carnis* non corporis, ne hæreticus hîc ſenſus de reſurrectione ſolius animi, cui & corpus veteres attribuerunt, latere poſſit. Vide Hieron. *ep. 55. ad Pammach. & Ocean.* Eccleſia verò Aquilejenſis ita poſuit: *hujus carnis reſurrectionem*, uti Ruffinus habet tùm ad hoc ſymbolum tùm in *adverſus Hieronymum Apologia.* Vide JO. PEARSONII, Epiſcopi quondam in Angliâ Ceſtrienſis *expoſition of the creed art. 11. f. 381.* VI. Forma reſurrectionis eſt corporum antea mortuorum animatio & reerectio. *Ezech.* XXXVII. 5. ſqq. *Job.* XIX. 25. 26. VII. Errores circa reſurrectionem hi à polemicis ſcriptoribus refelluntur 1. Sunt, qui reſurrectionem penitus negavere & negant Gentiles, Sadducæi, Hymenæus, Philetus 2. *Tim.* II. 17. 18. quidam in Eccleſiâ Corinthiacâ, 1. *Cor.* XV. 12. Gnoſticique plurimi antiqui. Nec tamen ii hùc referendi, qui reſurrectionem *ejuſdem* numero corporis negant, quod faciunt Sociniani & Remonſtrantes.

At

Digitized by Google

At verò & Juædi quoque ſtatuunt reſurrectionem *ejuſdem* corporis. Vide EISENMENGERI *entdecktes Iudent.* P. 2. C. 16. p. 938. ſqq. Sententiam gentilium verò hîc PFANNERUS & HUETIUS extulere. Sed nimia iterum cumulamus. 2. Solos pios reſurrecturos, cæteros in morte manſuros Judæi ſtatuunt. Vide THEOD. DASSOVII *diatr.* de *Judaeorum* de *reſurrectione mortuorum ſententiâ* & adde EISENMENGERUM, qui profectò oſtendit, hanc opinionem eſſe quibuſdam ſaltem ex Judæis adſcribendam, cùm alii contrarium ſentiant. P. 2. C. 16. Neque ſanè & hæc ſententia in genere Socinianis omnibus tribui poteſt, uti vel ipſe oſtendit heic QUENSTEDIUS. 3. Impios vi meriti Chriſti reſurrecturos qui dixerint, (his verò & jam JO. FECHTIUM addimus, PARÆUS enim ſententiam mutavit,) ſupra vidimus. 4. Idem corpus non reſurrecturum eſſe Origenes, Sociniani, Arminiani & Anabaptiſtæ ſtatuere à noſtris dicuntur, uti & ſupra jam innuere cœpimus. 5. Duplicem reſurrectionem ſtatuunt Judæi. Unam piorum, quæ prima eſt, alteram impiorum, quæ ſecunda eſt. Vide eundem EISENMENGERUM *l. c. p. 902. 903.* qui & paſſim abſurdam illam Judæorum *quorundam* opinionem adducit, qui ſtatuunt, illa corpora, quæ extra terram ſanctam ſepulta fuerint, ſub terrâ volutum iri uſque in Palæſtinam, ut ibi reſurgant, extra terram ſanctam enim neminem reſurgere poſſe.

Ajunt

Digitized by Google

Ajunt & Judæi, mortuos rore à capite DEI deſluente reſuſcitatum iri, ipſo DEO tubam inflante corpuſque hominis ex oſſiculo לוז, immarceſcibili illo, reædificatum iri, homines poſt reſurrectionem eſui, bibitioni aliiſque negotiis huc pertinentibus vacaturos, reſuſcitationem ſoli DEO propriam haud eſſe, & quæ alia ſunt. Sed apage has nugas! Id unum reſtat dicendum, eſſe & inter Chriſtianos qui duplicem reſurrectionem corporum ex *Apoc.* XX. 5. ſtatuant, inter quos hodie maximè cum uxore ſuâ eminet JO. GUIL. PETERSENIUS. De veteribus Chriſtianis ita HENR. DODVVELLUS *diſſ. Cypr.* 12. §. 20. *Jam in millennii regno primam fore reſurrectionem corporum crediderunt primitivi Chriſtiani. Et ut juſtorum propriam eam crediderunt reſurrectionem, ita Martyrum in eâ portionem longè eſſe præcipuam.*

§. IV.

De judicio extremo & conſummatione ſeculi reſtat, ut noſtram promamus in hoc capite ſententiam. At verò & hîc haud errabimus, ſi per theſes iverimus. I. Judicium extremum dari, ex ſacris literis utique patet. *Pſal.* IX. 8. *Act.* XVII. 31. *Eccl.* XII. 14. *Rom.* II. 16. 2. *Cor.* V. 10. II. DEUS eſt, qui orbem eſt judicaturus *Pſalm.* IX. 8. LXXXII. 8. *Jeſ.* XXXIII. 22. οἰκονομικῶς Filius DEI *Joh.* V. 22. *Rom.* II. 16. *Act.* X. 42. *Matth.* XXV. 31. *Dan.* VII. 13. tùm ut DEUS tùm ut homo *Joh.* V. 27.

V. 27. *Act.* XVII. 31. qui de cœlo deſcenſurus 1. *Theſſ.* IV. 16. & venturus eſt in & cum nubibus cœli *Matth.* XXIV. 30. XXVI. 64. *Luc.* XXI. 27. *Apoc.* I. 7. motu locali, qui omnipræſentiam carnis Chriſti divinam atque illocalem, id quod vel ipſi termini oſtendunt, non tollit. Jam adventus hic Chriſti ad judicium dicitur ἐπιφάνεια 1. *Tim.* VI. 14. ἐπιφάνεια τῆς παρȣσίας 2. *Theſſ.* II. 8. φανέρωσις *Col.* III. 4. ἀποκάλυψις 2. *Theſſ.* I. 7. Sequitur pone poſſeſſio in throno gloriæ *Matth.* XXV. 31 conſpectio ab omnibus hominibus judicandi *Zach.* XII. 10. *Matth.* XXIV. 30. *Apoc.* I. 7 compellatio electorum & reprobatorum & pronunciatio ſententiæ *Matth.* XXV. 34. ſqq. III Miniſtri, quos in judicio extremo Chriſtus adhibebit, ſunt Angeli *Matth.* XXV. 31. *Luc.* IX. 26. *Matth.* XXIV. 31. *Matth.* XIII. 49. 50. quorum quippe operâ is utetur (1) in honorificâ ſui ad thronum judicii deductione *Matth.* XXV. 31. *Luc.* IX. 26. (2) in judicandorum congregatione *Matth.* XXIV. 31. (3) in congregatorum ſeparatione ac piorum ad dextram im piorum verò ad ſiniſtram ſuam collocatione *Matth.* XII. 49. 50. (4) in piorum ad beatas ſedes deductione & impiorum ad infernum detruſione *Matth.* XIII. 42. Fient autem & hæc clangente tubâ Angelicâ. IV. Aſſeſſores & teſtes judicii extremi erunt ſpecie Apoſtoli *Matth.* XIX. 28. *Luc.* XXII. 30. in genere omnes beati 1. *Cor.* VI. 2. 3. V. A-

g

Digitized by Google

geli 1. Cor. VI. 3. 2. *Petr.* II. 4. Judæ v. 6. *Matth.* XXV. 41. *Apoc.* XX. 10. & homines in univerſum omnes *Matth.* XXV. 32. 2. *Cor.* V. 10. *Act.* XVII. 31. judicabuntur, & hi quidem ex fide vel incredulitate *Joh.* III. 18. 36. & quoque ex operibus bonis vel malis, cujuſmodi etiam ſunt verba otioſa. *Matth.* XII. 35. 36. nec non cogitationes & ſecreta cordium *Rom.* II. 15. 16. 1. *Cor.* IV. 5. VI Forma judicii extremi conſiſtit in cauſæ cognitione cognitæque deciſione & ſententiæ definitivæ publicatione & executione. VII. Norma judicii extremi ratione impiorum eſt lex ſed Evangelii luce colluſtrata, ratione piorum eſt ſolum Evangelium. *Joh.* XII. 48. *Rom.* II. 12. 16. *Gal.* III. 9. 10. 12. V. 19. 20. 21. *Matth.* XXV. 34. 1. *Cor.* VI. 9. 10. VIII. Tempus judicii extremi neſcitur. Loca ſunt clara. *Act.* I. 7. *Matth.* XXIV. 36. *Marc.* XIII. 32. Primi Chriſtiani exiſtimârunt, diem hunc proximè inſtare. Vide 1. *Joh.* II. 18. 1. *Petr.* IV. 7. *Jac.* V. 9. Hinc orârunt, uti ex Tertulliani *apologetico* videre eſt, *pro morâ finis*, licet & alio reſpectu, uti ſub finem Apocalypſeos videre eſt, orarent: *Eja, veni Domine JESU!* Mirum eſt, fuiſſe ſemper, ultimum qui diem determinarent. Inter Gentiles exſtitere Chaldæorum veteres Philoſophi, Pythagoræi & Platonici, qui numerum ſenarium pro perfecto habentes ſexto quoque millenario mundum conſummandum eſſe credidere.

cidere. Apud Judæos nota eſt traditio Eliæ non Prophetæ, ſed Doctoris Gemarici de mundo poſt ſeptem mille à creatione ſuâ annos vaſtando. Apud Chriſtianos traditionem Elianam in epiſtolâ ſuâ §. 15. adoptavit Barnabas. Eadem habet Irenæus L. 5. *adv. hær.* C. 28. ubi vel maximè velim addi ea, quæ codex MS. Pariſienſi regius impreſſis hîc adjicit, hùc prorſus pertinentia. Nec minus repeti hæc videas in Juſtin M *reſponſ. 71. ad orthodoxos*, & in Origenis *hom 23. in Numeros* f. 259. edit. Baſil. Hippolytus apud Photium ait, ultimum diem 500. anni poſt C. N. elapſis adeoque & poſt ſex mille anno à creatione actos (ſtatuit enim, nativitatem Chriſt A. M. 5500. factam) venturum. Ita ſanè & Gregorius Nyſſenus, Firmianus Lactantius, Heſychius Hieronymus, Auguſtinus, qui tamen alibi ali habet aliique plurimi ex Patribus, quorum teſtimonia vel adduximus vel citavimus in tractation de *ſabbatiſmo* populi DEI, quam ante hos duodecim annos Hamburgi exaravimus, ubi & in ſcenam produximus recentiores autores, ultimum qui diem determinavere. Hypotheſin illam veterum hactenus recenſitam de mundo per ſex millenarios tantùm duraturo ſecuti inter hoſ ce fuere DAVID GEORGII *in de verklaring der ſcheppeniſſen* f. 18. ROB. ROBERTSONIUS *in de korte inleydinge der feeſten Iſraels twelk de recoque Tytkarten zyn, waer in gby ſien meucht, hoe veel groot Jaren de wereld ghe ſtaan heeft e de hoe veel groot Jaren datſe ſtaan*

ſ.

ſal ende in wat groot Jaar datſe vergaan ſal, JO. HENR. HAINLINUS noſtrâs, JO. HENRICUS de SCHOENAU aliique, quos adſpergere nolumus. At præciſum quoddam heic tempus determinavere NIC. DRABICIUS, CHRISTINA PONIATOVIA, MICH. NOSTRADAMUS, JULIUS SPERBERUS, PET. JURIÆUS, JOANNA ELEONORA PETERSENIA, ut BEVERLEYUM, Anglum, ut VVASMUTHUM, ut alios recentiores, qui & ſubinde Fanaticis annumerantur, taceamus. Jam verò & hîc tractatio illa noſtra evolvenda venit, ubi & locum ex Alcorano allegavimus & illuſtravimus, qui habet, ſolum DEUM horam extremam noſſe. VIII. De loco judicii extremi id notandum, eum non eſſe vallem Joſaphat, uti Judæi & Pontificii ex Joëlis III. 2. malè ſtatuunt. Ratio eſt, quia hæc vallis capiendis tot hominibus non ſufficit, quia juxta Scripturam S. extremum judicium in terris peragendum non eſt, ſed ſurſum lati homines in nubibus judicandi ſunt *Matth.* XXV. 31. ſqq. 1. *Theſſ.* IV. 17. quia & Joël Propheta ibi non agit de judicio univerſali ſed particulari, ad certum locum, cujus nomen appellativè ſumendum planè non eſt, ad certas cauſas & ad gentes ſaltem reſtricto. Scilicet non improbabile eſt, intelligi hoc debere de judicio DEI in Gogum & Magogum *Ezech.* XXXVIII. XXXIX. & *Apoc.* XX. 8. 9. coll. *Zach.* XIV. IX. Signa diei extremæ ſunt

 vel

vel *remota* vel *propinqua*. *Remota* ſunt deſtructio Hieroſolymorum, prædicatio Evangelii in toto mundo, converſio Judæorum illa, de quâ tot ſacræ ſcripturæ loca habemus *Deut.* IV. 29. ſqq. *Jeſ.* X. 21. 22. *Rom.* XI. 25. *Hoſ.* III. 4. 5. 2. *Par.* XV. 3. ſqq. *Zeph.* III. 8. ſqq *Luc.* XXI. 24. 2. *Cor.* III. 14. adeoque & melior Eccleſiæ ſtatus, per millennium illud Apocalypticum qui & ſubinde indigitatur, id quod tamen etſi futurum adhùc ſit, quod ſtatuere probabiliſſimum eſt, nemo facilè quoad omnes circumſtantias determinaverit, quem ſequentur propiora, nova Eccleſiæ deſolatio, revelatio Antichriſti, &c. varia ſigna tùm in cœlo tùm in terrâ, quò etiam illud pertinet, quod dicitur, ſtellas de cœlis caſuras, & quidem ita caſuras, uti ficus decidunt de arbore, quæ à vento movetur. *Apoc.* VI. 13. At verò facilè capit Philoſophus, hæc de ſtellis dici non poſſe niſi ab homine rerum planè neſcio. Itaque intelliguntur hîc non *ſtellæ propriè ſic dictæ* ſed ignes ſaltem de cœlo iſtâ in tempeſtate defluxuri. Miror autem, quî hæc ſententia haud recenſeatur in diſſ. de *caſu ſtellarum in fine mundi* ſub moderamine JO. CYPRIANI, Theologi Lipſienſis celeberrimi priore anno habitâ. Vide omninò *Matth.* XXIV. *Marc.* XIII. *Luc.* XXI. X. Chriſtum in die pantocritico cicatrices ſuas oſtenſurum & adhuc habiturum eſſe præciſè quidem ex *Zach.* XII. 10. & *Apoc.* I. 7. concludi nequit, probabile tamen

Digitized by Google

tamen eſſe & magna antiquitatis pars & modernorum plurimorum orthodoxorum autoritas evincit. XI. In judicium extremum omnes venient pii ratione comparitionis, 2. *Cor.* V. 10. abſolutionis *Jeſ.* XLIII. 25. *Jer.* XXXI 34. *Ezech.* XVIII. 22. *Joh.* V. 24. *Matth.* XXV. 34. & remunerationis 2. *Cor.* V. 10. 2. *Tim.* IV. 8. impii ratione recenſionis peccatorum & damnationis *Matth.* XXV. 42. 43. XII. 35. 36. Id unum adjiciendum eſt, peccata piorum in judicio extremo haud manifeſtanda eſſe, id quod perperam Scholaſtici quidam ſtatuunt. DEUS enim peccata piorum in profundum ἀμνηςίας mare projicit *Ieſ.* XXXVIII. 17. XLIII. 25. XLIV. 22. *Jer.* XXXI. 34. *Ezech.* XVIII. 22. *Hebr.* X. 17. *Pſalm.* XXXII. 1. CIII. 12. *Rom.* IV. 7. 8. *Job.* XIV. 17. *Mich.* VII. 19. Nec in proceſſu extremi judicii *Matth.* XXV. quicquam hujus invenire eſt. Veniet potius tunc piis Chriſtus ut Redemtor *Luc.* XXI. 28. ut Salvator *Matth.* XXV. 33. ſqq. ut Interceſſor *Rom.* VIII. 33. ſqq. ut advocatus 1. *Joh.* II. 1. Et ſanè ii in die pantocritico diſcuſſionis judicium ſubituri non ſunt, quod cum Scholaſticis H. GROTIUS & G. CALIXTUS in libro de *extremo judicio* ſtatuit *Joh.* III. 18. *Ioh.* V. 24. XII. Quid de extremo judicio ſenſerint *Iudai*, explicat EISENMENGERUS *im entdeckten Iudenthum* P. 2. C. 17. quid gentiles, præter PFANNERUM HUETIUS in *Quæſt. Alnet.* L. 2. C. 23. Sed hæc de judicio extremo

 ſufficiant.

Digitized by Google

ſufficiant. *Conſummatio ſeculi* ex ſequentibus ſacrarum literarum effatis patet *Pſalm.* CII. 26. 27. *Hebr.* I. 10. ſqq. *Ieſ.* LI 6. *Matth.* XXVIII. 20. *Luc.* XXI. 33. 1. *Petr.* IV. 7. 2. *Petr.* III. 7. 10. 1. *Ioh.* II. 17. *Apoc.* XX. 11. Eſt autem DEUS ipſe, uti ex his dictis videre eſt, qui mundum cœlos nempe & terram omniaque, quæ in ipſis ſunt, exceptis Angelis & hominibus deſtruet & quidem per ignem non elementarem 2. *Petr.* III. 12. 2. *Theſſ.* I. 8. 2. *Petr.* III. 7. 10. verum tamen, ita ut eadem non ſaltem immutentur, uti quidam ex Patribus, plurimi ex Romanenſibus multi ex Reformatis & noſtris quoque ſtatuunt, ſed & in nihilum redigantur *Pſalm.* CII. 27. 2. *Petr.* III. 10. *Apoc.* XX. 11. *Ieſ.* XXXIV. 4. *Luc.* XXI. 33. *Ioh.* XIV. 12. quo ipſo *fideles* liberabuntur *Luc.* XXI. 28. *impii* condemnabuntur 2. *Petr.* II. 9. & regnum gloriæ incipiet.

§. IV.

Ubi verò jam *noviſſima iſta*, ubi mortem, ubi reſurrectionem mortuorum, ubi conſummationem ſeculi, ubi judicium extremum nobiscum recogitamus, ampliſſima optimarum reflexionum ſeges in animo noſtro illicò enaſcitur. Qui morti te obnoxium vides, o homo, quid itaque, quæſo, bona mundi hujus fluxa & caduca adamas, quæ mors è manibus tuis rapit? quid itaque, qui mox in pulverem abiturus es, ſupercilium tollis & ambitionis tuæ frena laxans in ſuperbiam haud tolerandam effunderis, quid

itaque

itaque ita vivis, ac ſi in æternum victurus eſſes? STA VIATOR & probè, quis ſis, nempe viator ſaltem, conſidera atque ſolicitè perpende, πολίτευμα tuum, ſi quidem ſalvus evadere cupias, in cœlis eſſe debere. Qui verò jam vides, per mortis umbras tibi eundum eſſe eſſeque hoc momentoſiſſimum illud momentum, unde æternitas dependeat, quam vel beatam vel infeliciſſimam experturus ſis, id precor tuum jam ἔργον & præcipuum tuum eſſe ſinas, in id omnes curas, omnes operas tuas convertas, ut felix, ut beata aliquando tibi mors contingat, ut tibi illa non invito, non murmuranti, ſed gaudenti, ſed exultanti, ſed tripudianti contingat, qui, ubi ſic domicilium hoc terrenum depoſueris, domicilio ſuperno, quod in cœlis ædificatum ab ipſo DEO eſt, mox circumfunderis. Et quidni ad hanc mortem, qui tranſitus tibi ad vitam eſt, promtiſſimus curras, o mi, quantumvis per tenebras hîc tibi paulisper eundum & amaror quidam hîc guſtandus veniat, cùm cœleſtis beatitudinis tanta ſint ſuperpondia, ut in omnibus, quæ nos in mundo tangunt, calamitatibus, imò & in ipſâ morte, vi diviniſſimâ, quæ Spiritus S. eſt, facilè ſupervincamus, maximè ſi conſideraverimus & perpenderimus, mortem iſtam, quæ corpus vel maximè tangit, non æternam fore, ſed venturum aliquando, ubi tuba Domini clanxerit, tempus illud, quo mortui reſurrecturi ſint atque è ſepulchris prodituri, ut cœleſti gloriâ, eâdem nempe, quâ nunc corpus Domini glorificatum fulget,

hilares induantur atque fulgeant. At verò de reſurrectione ubi hic agimus, duo heic in mentem noſtram labuntur, lætiſſimam eſſe & prorſus ſolatifluam ejus memoriam iis quidem, qui DEO obedivere, at triſtiſſimam illis, quos conſcientia impietatis vexat. Quemadmodùm enim illi ad felicitatis ſempiternæ præmium conſequendum ſic feſtinant, ita ſanè hi, ubi aliquando reſurgent, ad ignominiam ſuam, ad malum ſuum, ad damnationem æternam, cujus infeliciſſimi jamjam candidati exiſtunt, reſurgent. Quod ipſum cùm ita ſit, quid nobis iſta perpendentibus jam agendum ſit, facilè capis, mi lector. Moriendum voluptatibus, moriendum carni, moriendum mundo, & ſpiritualiter nobis è morte peccati & è vitiorum quorumvis ſepulchro reſurgendum, ut beatè olim reſurgere poſſimus & ut memoria reſurrectionis re verâ in ſolatium nobis cedat. Et quæſo quodnam majus gaudium, quænam major exultàtio animum noſtrum perfundere poſſit, non video, quàm hæc, quando certo certius novimus, & ſtatum illum, qui mortem noſtram inſequitur, beatum & reſurrectionem olim noſtram reſurrectionem ad vitam fore, quando & firmiſſimâ quâdam animorum noſtrorum perſuaſione erigimur, quæ fore nobis dictitat, ut in extremo, quod expectamus, judicio, pulchram illam Filii Judicis vocem audiamus, ubi cœleſtia nobis regna addicentur, quando & fide divinâ capimus, univerſum hoc eapropter

pter conſummandum eſſe, ut novum cœlum & nova terra creetur, in quâ juſtitia habitat, ut vel tandem beata iſta regna & aureum illud ſeculum manifeſtetur, quod ſolum deſideria mentis noſtræ ſatiare aptum eſt. Itaque ergò ſi quidem ſapere velimus, converſationis noſtræ rationes illico ſic informemus, ut evitatis, quæ impios certò manent, malis, ut evitato horrendo, ad quod improbi quique ſervantur, judicio, cujus profectò jugis memoria vel maximè à peccatis nos retrahere hactenus & παιδαγωγίας ad converſionem loco eſſe poteſt, in reſurrectione juſtorum reſurgere & adventante Judice capita noſtra erigere nobis liceat, hoc quippe viſo, hoc animadverſo, quòd jamjam liberatio noſtra capitibus noſtris impendeat. Quæ utique vix contingere olim nobis poterit, niſi de benignâ Judicis futuri ſententiâ certos nos in hoc vitæ tramite Spiritus ſanctus fecerit, qui tantum animis ſolatium nunquàm adſpergit, niſi ubi ſanctimoniæ ſpiritualis largo fœnore eos prius demulſerit.

P. II. Cap. XII.

DE

MORTE ET VITA ÆTERNA.

§. I.

REſtat, ut, qui ad colophonem huic inſtitutionum noſtrarum parti imponendum pergimus, de morte & vitâ æternâ jam agamus. De morte, de damnatione æternâ primùm, agedum, diſquiſitionem inſtituamus. I. Dari eam patet ex dictis ſequentibus *Pſalm.* XLIX. 15. 20. *Ieſ.* LXVI. 24. *Dan.* XII. 2. *Zach.* IX. 11. *Matth.* III. 10. V. 22. VIII. 12. X. 28. XIII. 40. 42. XXII. 13. XXV. 41. ſqq. *Luc.* III. 17. XIII. 27. 28. XVI. 23. ex juſtitiâ item divinâ 2. *Theſſ.* I. 6. ex exemplo tùm diabolorum *Matth.* XXV. 41. 2. *Petr.* II. 4. *Iudæ* vſ. 6. *Apoc.* XII. 8. tùm hominum Dathanis, Core & Abirami *Num.* XVI. 33. Pharaonis *Ezech.* XXXI. 15. & divitis epulonis *Luc.* XVI. 23. ſqq. II. DEUS eſt, pœnas has impiis qui infligit.

Digitized by Google

infligit. *Pſalm.* VII. 13. 14. XI. 6. *Matth.* VII. 13. X. 28. *Apoc.* I. 18. ob peccatum tùm originale *Gen.* II. 17. *Rom.* V. 12. tùm actuale quodvis *Iac.* II. 10. *Deut.* XXVII. 26. *Gal.* III. 10. *Rom.* VI. 23. (in extremo enim judicio & lex operum reviviſcit) proæreticum *Iac.* I. 15. *Rom.* VIII. 13. 1. *Cor.* VI. 9. 10. *Gal.* IV. 19. ſqq 2. *Theſſ.* I. 6. ſqq. maximè verò ob incredulitatem finalem *Marc.* XVI. 16. *Ioh.* III. 18. 36. III. Et jam pœna hæc impiis & incredulis infligitur *Matth.* XXV. 41. 1. *Petr.* III. 19. 20. qui quoad corpus & animam hìc puniuntur. *Matth.* X. 28. IV. Pœna hæc eſt vel privativa vel poſitiva. Privativa eſt (1) privatio beatificæ DEI viſionis *Matth.* XXV. 41. VIII. 12. XXII. 13. (2) ſeparatio à conſortio bonorum omnium *Matth.* VIII. 12. XXII. 13. *Luc.* XVI. 23. 26. (3) excluſio à luce, quiete & felicitate cœleſti *Matth.* VIII. 12. XXII. 13. XXV. 30. 2. *Theſſ.* I. 6. ſqq. (4.) omnis omninò commiſerationis tàm divinæ quàm humanæ denegatio *Prov.* I. 26. *Pſalm.* LII. 8. 9. LVIII. 11. *Luc.* XVI. 24. 25. Poſitiva alia eſt interna, alia externa. Interna, quam intra ſemetipſos ſentiunt damnati, animi ſcil. dolores & cruciatus inexplicabiles *Pſ.* XVIII. 5. 6. *Ieſ.* LXVI. 24. *Marc.* IX. 44. ſqq. cum deſperatione omnimodâ *Apoc.* VI. 16. 17. Externa eſt ſocietas cum Diabolis *Matth.* XXV. 41. ſqualidiſſima habitatio *Matth.* XXV. 13. uſtio doloroſiſſima ſine tamen combuſtione & annihilatione *Luc.* XVI. 23. 24. *Apoc.* XIV. 10. 11.

11. XX. 10. cum ſtridore & dentium & ejulatione perpetuâ conjunctâ. Id unum hîc addimus, pœnam damni hîc pœnam ſenſûs neceſſariò ſecum trahere. V. Affectiones pœnæ infernales ſunt (1) gravitas *Luc.* XVI 23. 24. *Apoc.* XIV. 10. XX. 10. XXII. 18 ſqq. (2) æternitas *Ieſ.* LXVI. 24. *Marc.* IX. 44. ſqq. *Matth.* XXV. 41. ſqq. *Apoc.* XIX. 20. XIV. 11. XX. 10. (3) graduum diſparitas *Matth.* V. 22. X. 15. *Luc.* X. 12. 14. *Matth.* XI. 22. 23. 24. XXIII. 14. 15. *Luc.* XII. 47. 48. *Apoc.* XVIII. 7. 2. *Cor.* V. 10. VI. Locus damnationis, locus ſive τȣ̃ inferorum ignoratur, etſi id poſitivè ſciatur, quòd à τȣ̃ beatorum longiſſimo intervallo id diſſitum ſit. *Luc.* XVI. 26. Romanenſes illud in meditullio terræ ponunt & allegant pro ſe *Num.* XVI. 30. ſqq. *Ieſ.* V. 14. *Eph.* IV. 9. maximè verò articulum de *deſcenſu* Chriſti ad inferos. Noſtri ajunt, τȣ̃ inferorum eſſe extra hunc mundum. Exiſtentiam illius probant ex eo, quoniam in infernum Chriſtus deſcenderit 1. *Petr.* III. 19. & *Luc.* XVI. 28. disertè nominetur τόπος τῆς βασάνȣ, ſitque hoc τȣ̃ τῷ τȣ̃ beatorum contradiſtinctum, ubi foris ſint canes *Apoc.* XXII. 15. per magnum chaſma à τȣ̃ beatorum ſeparati *Luc.* XVI. 23. Quòd verò id extra hunc mundum ſit, ex eo pateſcere putant, quòd totus mundus in die extremo ſit cum omnibus elementis periturus, infernus autem maneat, quòd infernus ſit jaciendus in ſtagnum ignis, quod ſit altera mors

ra mors *Apoc.* XX. 14. quòd Princeps mundi ſit jaciendus foràs *Ioh.* XII. 31. i. e. extra hunc mundum in tenebras exteriores *Matth.* VIII. 12. Deſcribitur autem locus inferorum in S. Codice tanquàm locus prorſus horridus. Dicitur enim carcer *Matth.* V. 25. 1. *Petr.* III. 19. fovea *Ieſ.* XXX. 33. ciſterna ἄνυδρος *Zach.* IX. 11. coll. *Gen.* XXXVII. 24. lacus & puteus corruptionis *Pſalm.* XL. 3. ampliſſimi, vaſti, horrendi & inſatiabiles hiatus *Ieſ.* V. 14. *Habac.* II. 5. profundiſſima & humanitùs incomprehenſibilis vorago *Ieſ.* XXX. 33. ſeu abyſſus *Luc.* VIII. 31. *Apoc.* XX. 1. ac chaſma *Luc.* XVI. 26. latitudinis immenſæ *Ieſ.* l. c. & vaſtiſſimæ capacitatis *Prov.* XXVII. 20. XXX. 16. tenebræ, caligo *Matth.* XXII. 13. 2. *Petr.* II. 4. 17. *Iudæ* vſ. 6. 13 terra tenebrarum & umbra mortis *Iob.* X. 21. ſqq. ſtagnum ignis & ſulphuris *Apoc.* XX. 10 ubi fumus tormentorum æternus & frigus *Ieſ.* XIV. 11. ſtridorque dentium, nec non ploratus ac gemitus *Matth.* XXV. 41. denique gehenna à גיא הנום ita nuncupata. Rectè verò hîc Theologi adferunt illud Jo. Chryſoſtomi hom. 31. in *Rom.* 16. monitum: μὴ ζητῶμεν, ποῦ ἐστιν ἀλλὰ πῶς φύγωμεν. *Ne quæramus, ubi infernus ſit, ſed quomodo eum evitemus.* Quin & rectè iidem circa diem, quo creatus fuerit infernus, ἐπέχουσι. Cæterùm iſta ferè ex SCHERZERO diximus, reliquis è KOENIGIO ferè omnibus depromtis. VII. Initium tormentorum

torum infernalium ratione animæ ſeparatæ eſt primum momentum diſceſſus ejus ex corporis habitaculo *Luc.* XVI. 22. 23. *Apoc.* XIV. 13. Sequentur totius compoſiti cruciatus latâ in extremo judicio de impiis ſententiâ. *Matth.* XXV. 41. 46. Atque ita communem ſententiam KOENIGIUS effert, quæ & admitti omninò debet, quatenus infinitis pœnarum futurarum gradibus haud eſt contraria. VIII. Ita verò vel tandem fit, ut juſtitia DEI vindicatrix, ut veritas ejus, quâ ſe impios punituros eſſe dixit, manifeſtetur *Pſalm.* XI. 7. 8. 2. *Theſſ.* I. 6. ſqq. ut & impii puniantur piique ſic miris modis exultent *Pſalm.* LII. 7. ſqq. LVIII. 11. 12. *Sap.* V. 1. IX. Multò plures erunt damnati quàm beati. *Matth.* VII. 13. ſqq. XIII. XXII. 14. *Luc.* XII. 32. *Luc.* XIII. 24. X. Diaboli in inferno damnatorum carnifices & tortores non erunt. Ipſi enim torquebuntur, unde deprecantur abyſſum *Luc.* VIII. 31. Nec quæ de tortoribus *Matth.* XVIII. 34. plagis *Luc.* XII. 48. & percuſſionibus *Prov.* XIX. 29. dicuntur, ſtringunt, cùm Theologia parabolica non ſit argumentativa. XI. Damnati in inferis non amplius peccabunt nec blaſphemabunt, coërcebitur enim ipſorum lingua nec peccare licet tempore & termino peccati abſoluto. Unde & deſperatio damnatorum non peccatum ſed pœna eſt. Nec eſt, quòd ajas *Apoc.* XVI. 11. exſtare, quòd damnati blaſphement, cùm illa hominibus in tempore pœnitentiæ

nitentiæ adhùc viventibus tribuenda ſint. Confer autem hic JO. FECHTII tr. de *ſtatu damnatorum*, longè eruditiſſimum illum, ubi adſtruitur, damnatos adhùc in inferis peccare. XII. Ignis, qui damnatos tanget, eſt ira divina, non ignis elementaris 2. *Petr.* III. 20. non ignis, quo mundus conflagrabit, quia dives epulo jam cruciatur *Luc.* XVI. 24. non ignis corporeus, quia ignis hìc cum frigore ſtare debet *Matth.* VIII. 12. ſed tamen verus aſt ſingularis, qui urit & non comburit, qui urit & corpus & animam. Quod reſtat, id vel maximè heic notandum eſt, poſt Origenem, poſt & alios veteres, qui ſalutis portam damnatis tùm hominibus tùm Angelis adaperuere, poſt alios quoque recentiores, qui eandem in ſententiam conceſſere, noſtris temporibus cum conjuge ſuâ ſurrexiſſe Virum eruditiſſimum & ingenioſiſſimum JOAN. GUIL. PETERSENIUM, Theologum celeberrimum, qui omnibus ingenii nervis hanc in rem intenſis probare contendit, fore aliquando tempus, ubi pœna damnatorum & angelorum & hominum finem ſuum ſit habitura. Quam in rem magnam argumentorum molem is congeſſit atque tria in majore formâ volumina iiſdem adimplevit. Nec negandum eſt, ea ſubinde à Viro ſubtiliſſimo proferri, quæ magnam ſecum ſpeciem ferant. Sed & eæ ſtant à communi ſententiâ rationes, ea effata ſanctiora, quæ idem ille nonniſi vi quâdam hìc rebus adhibitâ difflat, & quæ nimis

Digitized by Google

nimis clara ſunt, quàm ut infringi poſſe videantur. Cæterùm multa omninò circa prædeſtinatianiſmum, circa & originem mali quæ ſubnaſcuntur, dubia, quæ & facilè contra attributa divina homini rationali ſuboriuntur, qui quærit, quî hoc juſtitiæ infinitæ congruat, ut DEUS ob malum culpæ temporale malum pœnæ æternum infligat, & quî cum beatitudine & gloriâ ipſius DEI hoc conſiſtere poſſit, ut diabolus plura quàm DEUS in ſeculo futuro poſſideat & ut in æternum malum duret, multa inquam dubia hoc ἀποκαταςάσεως πάντων ſyſtema ſolveret, unde & JO. CLERICUS contra BÆLIUM & JO. TILLOTSONIUS contra incredulos id tantiſper aſſumſere, ſi ſaltem id ἐξαγώνιον eſſet. At verò & Judæi credidere, diabolos & damnatos ex inferno olim liberatum iri, quorum & hanc ſententiam & alia de inferno ſomnia exhibet EISENMENGERUS *im entdeckten Iudenthum P. 2. C. 6.* quale & illud eſt, quòd ſol infernus ſit, quod ſomnium & SWINDENIUS, Anglus ante aliquot annos ſomniavit. De gentilium inferis videantur PFANNERUS, VVINDETUS, HUETIUS.

§. II.

Jam vita æterna pauliſper enucleanda nobis venit. Vocatur ea hoc nomine *Matth.* VII. 14. XVIII. 8. XXV. 46. *Ioh.* III. 15. XVII. 3. cœlum *Matth.* V. 12. *Marc.* X. 21. tertium cœlum 2. *Cor.* XII. 2. regnum cœlorum *Matth.*

V. 20.

Digitized by Google

V. 20. VII. 21. cœlum cœlorum *Deut.* X. 14. *Pſalm.* CXIV. 16. cœlum novum & terra nova, Hieruſalem quæ ſurſum eſt, regnum paratum à conſtitutione mundi *Matth.* XXV. 34. hæreditas ἄφθαρτος, ἀμίαντος & ἀμάραντος 1. *Petr.* I. 4. gaudium piorum *Ioh.* XVI. 22. ſalus 1. *Theſſ.* V. 9. ſalus æterna *Ebr.* V. 9. & quæ aliæ ſunt φράσεις Biblicæ hùc pertinentes apud SCHERZERUM in ſyſtemate omnes inveniendæ. I. Eſſe vitam æternam patet ex *Iob.* XIX. 25. ſqq. *Pſalm.* XVI. 5. ſqq. XVII. 15. XXXVI. 9 10. *Ieſ.* LXV. 17. 18 *Dan.* XII. 2. *Matth.* XXV. 46. *Ioh.* V. 29. X. 28. & infinitis aliis locis, ex quibus & contra Socinianos patet, quòd hæc theſis jam in Vet. Teſtamento fuerit cognita. II. Vitam æternam DEUS diſpenſat & gratis diſpenſat. *Rom.* VI. 23. *Eph.* II. 8. 9. *Tit.* III. 5. *Ieſ.* XLIII. 11. XLV. 21. *Hoſ.* XIII 4. *Iac.* IV. 12. III. Vitam æternam Chriſtus nobis duplici obedientiâ ſuâ tùm activâ tùm paſſivâ meruit *Ioh.* III. 13. 14. 15. *Act.* IV. 12. *Rom.* VI. 23. 1. *Theſſ.* V. 9. 2. *Tim.* II. 10. *Hebr.* V. 9. 1. *Ioh.* V. 11. IV. Vita æterna per verbum & ſacramenta, per & fidem nobis communicatur. *Rom.* I. 16. *Iac.* I. 21. *Hebr.* II. 4. *Marc.* XVI. 16. *Ioh.* III. 15. 16. V. 24. XI. 25. XX. 31. 1. *Petr.* I. 5. 9. V. Vitæ æternæ filii ſunt poſt Angelos in bono confirmatos omnes fideles & electi tùm quoad corpus tùm quoad animam. *Matth.* X. 22. *Apoc.*

III. 10. ſqq. III. 5 12. Vitæ æternæ præcipuum donum erit DEUS ipſe 1. *Cor.* XV. 28. *Gen.* XV. 1. Conſiſtit enim ea in immediatâ DEI viſione & intimâ ejus planèque ſuaviſſimâ fruitione. *Iob.* XIX. 26. 27. *Pſalm.* XVII. 15. XXVII. 13. XXXVI. 10. *Matth.* V. 8. *Ioh.* XVII. 24. 1. *Cor.* XIII. 12. 1. *Ioh.* III. 2. *Apoc.* XXII. 4. De viſione notandum, quòd objectum ejus non tantùm humana Chriſti natura ſed & divina eſſentia futura ſit, uti ex locis modò allegatis claret. Nec tamen, uti arbitramur, niſi humanitatem Chriſti oculis corporeis viſuri ſumus, corpus enim nonniſi corpus videt, quicquid etiam de *Iob.* XIX. 27. ſit. Nec erit amplius viſio iſta ſpecularis & idealis ſed intuitiva, immediata (quâ de vide *primit. Tubing.* P. 1. p. 249.) & perfecta 1. *Cor.* XIII. 12. 1. *Ioh.* III. 2. non tamen comprehenſiva, ſi terminum ſtrictè pro adæquatâ rei cognitione ſumſeris, quâ ratione ſolus DEUS comprehenſor eſt, (unde nec beati totam DEI eſſentiam totaliter & modo quodam infinito, qui finitæ naturæ non competit, videbunt,) ſed perceptiva, ſed guſtativa DEI nempe ipſius ſenſus immediatus, amor ipſius ſummus 1. *Cor.* XIII. 13. fruitioque cum lætitiâ ineffabili conjuncta *Ieſ.* LXV. 14. *Pſalm.* XVI. 11. XXXVI. 9. 10. & celebratio DEI ſempiterna *Pſalm.* CXXXVI. 1. ſqq. *Apoc.* IV. 10. 11. V. 8. ſqq. ad cujus quippe imaginem ſic plenè recomponimur. *Pſalm.* XVII. 15. *Rom.* VIII. 29.

VII

Digitized by Google

VII. Bona vitæ æternæ duplicia ſunt, vel animæ vel corporis. Animæ perfectum lumen 1. *Cor.* XIII. 9 10. perfecta ſanctitas *Pſalm.* XVII. 15. *Eph.* IV. 24. V. 27. ſummaque de perpetuitate hujus beatitudinis ſecuritas *Ioh.* XVI. 22. corporis ſpiritualitas 1. *Cor.* XV. 44. ſqq. *Matth.* XXII. 30. *Luc.* XX. 36. *Phil.* III. 21. inviſibilitas 1. *Cor.* XV. 44. impalpabilitas 1. *Cor.* XV. 44. 48. illocalitas, ſubtilitas, agilitas 1. *Theſſ.* IV. 17. 1. *Cor.* XV. 44. impaſſibilitas *Apoc.* VII. 16. XXI. 4. immortalitas & incorruptibilitas 1. *Cor.* XV. 42. ſqq. firmitas & ſanitas 1. *Cor.* XV. 43. claritas *Dan.* XII. 3. *Matth.* XIII. 43. 1. *Cor.* XV. 41. 43. denique & formoſitas. 1. *Cor.* XV. 43. *Phil.* III. 21. Taceo dulciſſimam illam cum DEO *Luc.* XXIII. 43. *Ioh.* XII. 26. XIV. 3. XVII. 24. 2. *Cor.* V. 8. *Phil.* I. 23. 1. *Theſſ.* IV. 17. *Apoc.* XIV. 4. XXI. 3. Angeliſque *Hebr.* XII. 22. & beatis omnibus *Matth.* VIII. 11. *Luc.* XIII. 28. 29. *Hebr.* XII. 23. converſationem ſuaviſſimumque commercium *Matth.* XVII. 3. & habitaculum, *Apoc.* XXI. 10. ſqq. quo beati olim fruemur. VIII. Sunt verò & præter hæc bona beatorum poſitiva, quæ vocantur, & alia bona privativa, abſentia tùm peccati *Apoc.* III. 5. VI. 11. XIX. 8. XXI. 27. XXII. 15. 1. *Petr.* I. 4. tùm cauſarum peccati, videlicet concupiſcentiæ pravæ *Rom.* VII. 24. diaboli ſuggerentis, *Rom.* XVI. 20. *Apoc.* XX. 10. mundi ſeducentis *Sap.* IV. 11. tùm pœnarum

peccati. Auferentur enim hic omnes calamitates *Pſalm.* CXVI. 7. 8. 9. *Ieſ.* XXV. 8. *Apoc.* XXI. 4. *Ieſ.* XLIX. 10. mors temporalis *Ieſ.* XXV. 8. *Hoſ.* XIII. 14. 1. *Cor.* XV. 26. *Apoc.* II. 7. XXI. 4. & æterna *Hoſ.* XIII. 14. 1. *Cor.* XV. 25. *Apoc.* II. 11. XXII. 14. Imò & auferentur heic omnia vitæ hujus incommoda, fames, ſitis, eſus, potus, uſus conjugii &c. *Apoc.* VII. 16. 1. *Cor.* VI. 13. *Matth.* XXII. 30. 1. *Cor.* XV. 42. ſqq. IX. Affectiones vitæ æternæ ſunt (1) perpetuitas *Ieſ.* XXXIV. 10. *Dan.* XII. 2. *Matth.* XXV. 46. *Luc.* XVI. 9. *Ioh.* VIII. 51. XVI. 22. 2. *Cor.* IV. 17. V. 1. 1. *Theſſ.* IV. 17. *Hebr.* IX. 15. 1. *Petr.* V. 10. *Apoc.* IV. 8. (2) varietas & inæqualitas *Dan.* XII. 3. 1. *Cor.* XV. 40. ſqq. *Matth.* XIX. 28. *Luc.* XXII. 30. in quibus poſterioribus locis Apoſtolorum prærogativæ recenſentur, id quod contra Jovinianum, quem Hieronymus olim depexuit, contra item Petr. Martyrem, Jo. Cameronem, Dan. Tilenum, Conr. Vorſtium & Socinianos quoſdam notandum eſt, (3) ſumma perfectio *Pſalm.* XVII. 15. XXXVI. 9. Cæterùm quæſtio illa recentiorum otioſa eſt, ubi quæritur, num hujus & illius vitæ beatitudo eſſentialiter vel ſaltem gradualiter differat. Et ſunt certè, quæ pro hâc, e. g. *Matth.* V. 3. ſqq. *Rom.* VIII. 24. ſunt &, quæ pro illâ militent e. g. 1. *Ioh.* III. 2. dicta ſcripturaria. Abit vero res ad puram putam logomachiam, ſi judicii lucernam inſpiciendæ illi adhi-

adhibueris. Si enim vitæ æternæ eſſentiam in *immediatâ* DEI *viſione* poſuerimus, ejuſmodi nihil jam à nobis poſſidetur. Si vero in genere hanc beatitatem conſideres, ejus & gradum quendam jam in hoc ævo nos poſſidere, nemo eſt qui neget. Quæ dum memoramus & alteram quæſtionem otioſam, quæ & aliâs in loco de vitâ æternâ occurrit, adjungimus, num DEUM oculis quoque corporeis viſuri ſimus, ubi omninò exiſtimamus, DEUM utpote inviſibilem *Ioh.* I. 18. *Col.* I. 15. 1. *Ioh.* IV. 12. 1. *Tim.* I. 17. VI. 16. *Hebr.* XI. 27. oculis corporeis, qui certè ne angelum quidem videre poſſunt utpote inviſibilem, videri non poſſe. Certè enim dicta *Ioh.* XIX. 26. 27. 1. *Cor.* XIII. 12. 1. *Ioh.* III. 2. de viſione mentali ſaltem agunt. Confer tamen *Acta erud. Lipſ. 1714. p. 108. ſqq.* ubi ſubtilis habetur præſtantiſſimi Viri CHRISTIAN. AUG. HEUMANNI meditatio. X. Πȣ̃ certum beatitudinis æternæ dari nemo eſt, qui ſerio dubitare poſſit. Et profectò Eccleſiam triumphantem in unum congregatam eſſe conſtat, *Hebr.* XII. 22. 23. Et in domo Patris cœleſtis multæ ſunt manſiones *Ioh.* XIV. 2. Et quis Hieroſolymas cœleſtes illocales eſſe dixerit? XI. Initium vitæ æternæ ratione animæ ſeparatæ eſt vitæ hujus finis *Luc.* XXIII. 43. *Apoc.* XIV. 13. aſt plenior ejus perceptio beatis continget poſt reſurrectionem & ſolennem ἐνθρονισμὸν in futuro judicio. *Matth.* XXV. 34. 46. XII. DEUS fideles ſalvando

Digitized by Google

vando gratiam ſuam & gloriam manifeſtat 1. *Petr.* V. 10. *Eph.* I. 4. ſqq. *Apoc.* VII. 11. pioſque infinitis mod s ſic recreat 2. *Theſſ.* I. 7. 1. *Petr.* I. 4. 6. IV. 13.

§. III.

His ita poſitis duo jam præfixa nobis videmus duoque propoſita, ET VITAM ET MORTEM, æternam utramque, ut, quodcunque nobis jam placuerit, eligamus. Et hæc quidem horrendam, quæ unquàm cogitari poſſit, miſeriam, illa verò felicitatis immenſum quoddam pelagus, in eos profectò, qui benè vixerint, qui ſince à mente atque animo ad Dominum ſeſe converterint, derivandum ſecum vehit. Et verò ad convertendos, ad ſanctificandos nos id unicum requiritur, ut credamus, DARI VITAM ÆTERNAM, piorum præmium, ET DARI DAMNATIONEM ÆTERNAM, impiorum pœnam. Hæc enim ſi ſeriò credideris, delirus planè atque mentis compos haud ampliùs fueris, ſi porrò voluptatibus tuis inhiaveris. Quis enim quæſo eſt, qui, ubi conſcientiæ culpâ angitur, non totus contremiſcat, ubi intellexerit, impios quoſvis diriſſimis cruciatibus in tantum tempus vexatum atque horrendis dolorum nunquàm intermoriturorum ictibus jugiter lancinatum atque in miſerrimo iſto ſtatu omni ſolatio in æternum privatum iri? Et quis non, qui bonâ mente floret, totus tripudiet, ubi audiverit, brevi fore, ut, ſuperatâ mundi

Digitized by Google

hujus calamitate, brabæum accipiat, quod ipſi cœleſtis vocatio in Chriſto JESU præfigit, ut inenarrabilis ſic gaudii initia capiat, ut cum DEO, beatiſſimo illo, immediato amoris vinculo uniatur & ita cum Domino ſit perpetim? Scilicet digna eſt beata illa vita, ad quam adſpiramus, digna eſt gloria illa ſumma, ut ad obtinendam illam duri quid in mundo hoc perpetiamur, quale & perpeti in eo neceſſum habent, qui damnantur. Aſt non hoc ſaltem, cùm calamitates mundi hujus in nullam comparationem cum gloriâ futuri ſeculi venire poſſint, ſed & jugiter ſanctificanda mens eſt & cor noſtrum emendandum & purificandum, ut ad ſanctiſſimum illud Numen, cujus viſio immediata, cujus fruitio immediata vita æterna erit, poſſidendum & guſtandum & exoſculandum idonei reddamur. Agamus itaque hoc, o mei, demuſque operam, ne promiſſione, quæ in requiem DEI introducit, excidamus, ſpirituque divino macti per avia vitæ hujus fortiter eluctemur, donec, ſuperatâ hâc miſeriarum valle, in gaudium Domini introëamus, recogitemuſque ſine intermiſſione hoc ipſum, (quod ſanè iterum iterumque hic monendum eſt, ne ſecuritas quædam nobis heic falſaque imaginatio obrepat,) SINE SANCTIMONIA NEMINEM VISURUM ESSE DOMINUM, eoſque ſolos tantâ coronâ olim gaviſuros eſſe, qui legitimè certaverint.

INSTITUTIONUM

THEOLOGIÆ DOGMATICÆ

PARS TERTIA.

SECTIO PRIMA

DE

ECCLESIA.

§. I.

QUi itaque jam ad tertiam inſtitutionum harum theologicarum earundemque dogmaticarum partem progredimur, articulum de Eccleſiâ & annexis primùm ſolicitè evolvimus. Primùm autem & ante omnia duplicem vocis Eccleſiæ acceptionem notamus. Vel enim Eccleſia ſignificat totam iſtam fidelium, qui vel jam in cœlis triumphant vel in terris adhucdum

hucdum & quidem per omnes Eccleſias particulares diſperſi atque in unum profectò locum haud congregati militant, collectionem atque catervam, quæ utique fatentibus omnibus oculis non ſubjacet ſed inviſibilis eſt, & non niſi ex ſanctis conſiſtit, vel Eccleſia ſumitur pro externo eorum, qui Chriſtianum nomen profitentur, cœtu, vel univerſali illo, qui omnia ſecula omnesque ſectas comprehendit, vel particulari illo quovis, cujuſmodi e. g. eſt Eccleſia Græca, Romana, Germanica, Gallica, Hiſpanica, Anglicana, quæ & ipſæ dein in ſpecialiores cœtus dividuntur, ſuoque quodam præcipuo jure dicuntur viſibiles atque tùm ex piis tùm ex impiis atque hypocritis, qui utique ſemper maximam partem conficiunt, compoſitæ, ubi vel maximè hoc notandum eſt, cœtum quemvis Eccleſiaſticum vel Eccleſiam quamvis viſibilem & particularem longè diſtinctiſſimam eſſe à ſtatu civili ſive à republicâ, cùm in ſtatu quidem civili ſint imperantes & parentes atque juriſdictio quædam civilis atque coactiva, in Eccleſiâ verò non ſint niſi docentes h. e. ſuadentes & audientes, nullâ planè juriſdictione pollentes illi ſed ſolâ verbi vi auditoribus ſua ingeſturi. Nihil itaque hoc ſenſu Eccleſia aliud eſt, quàm collegium quoddam medio in ſtatu erectum vel totum quoque ſtatum civilem hodiè pervadens, ubi ii, qui uni eidemque confeſſioni Chriſtianæ nomen dant, qui & communi diſciplinâ conventionali vel à

toto cœtu vel ab iis ſaltem, quibus hoc muneris cœtus tradidit, ſtatutâ diriguntur, ex mero voluntatis ſuæ arbitrio in unum coëunt, cultuique divino h. e. precibus, prædicationi & auditioni verbi, cærimoniis eccleſiaſticis à Chriſto inſtitutis Eccleſiæque traditis, inſtitutionique catechumenorum & pœnitentium reliquorumque omnium, qui ad cœtum pertinent, operam dant, eo fine, ut homines convertantur, ædificentur, ſanctificentur atque ex vitæ hujus, quâ circumfunduntur, miſeriâ ad vitam æternam perducantur. Quæ omnia ſi probè ſic mente conceperimus, egregia utique nobis ad difficultates in hoc argumento ſolvendas via ſternitur.

§. II.

Dari Eccleſiam iſtam, quam inviſibilem dicimus, patet. Primò quidem ex ipſâ rei naturâ. Ubicunque enim caput eſt inviſibile, quod eſt JESUS Chriſtus *Eph.* I. 22. IV. 15. V. 23. *Col.* I. 18. petra illa, ſupra quam Eccleſia eſt ædificata 1. *Cor.* X. 4. *Eph.* II. 20. 1. *Petr.* II. 4. ubi præcipua ipſius membra ſunt inviſibilia, Patriarchæ, Prophetæ, Apoſtoli, qui ſunt lapides illi duodecim apocalyptici, quibus & ædificium Eccleſiæ inviſibilis floret *Eph.* II. 20. *Apoc.* XXI. 14. Confeſſores, Martyres, Doctores cæterique, qui in cœlis jam triumphant, ubi adhuc in terris militant fideles nec tamen in unum cœtum fuſi conſpiciuntur nec digitis monſtrari poſſunt, ubi porrò attributa, quibus ejuſmodi fulget

fulget Eccleſia, ſunt inviſibilia, quorum præcipuum eſt ſanctitas, ubi ſpiritus, quo illa animatur, fides & charitas videri neſciunt regimenque adeò, quo illa dirigitur, gubernatur, ſuſtentatur & protegitur, hactenùs inviſibile eſt, ibi datur Eccleſia inviſibilis. Secundò patet hoc ex ſacris literis. Hîc enim memoratur Eccleſia in cœlis triumphans, nova Jeruſalem, quæ utique inviſibilis eſt *Gal.* IV. 26. *Ebr.* XII. 22. ſqq. *Apoc.* III. 12. XXI. 2. unumque Chriſti corpus ſed inviſibile id cum Eccleſiâ militante conficit. *Eph.* I. 22. 23. IV. 15. 16. V. 23. 25. 26. 27. *Col.* I. 18. Hæc eſt *una Eph.* IV. 4. hæc eſt *ſancta Eph.* V. 26. 27. hæc eſt verè *catholica*, utpote ex fidelibus in cœlis jam triumphantibus & in terris adhùc militantibus conſiſtens. Jam ſola hæc Eccleſia inviſibilis *vera* Chriſti *Eccleſia*, immaculata illa & caſta & pura & ſancta Chriſti ſponſa eſt. Ratio, quia illa ſola nonniſi ex veris Chriſti membris conſiſtit, Eccleſiæ verò omnes externæ maximam partem ex hypocritis & impiis componuntur. Ex quo patet, quæſtionem illam magiſtralem, ubinam locorum hodiè ſit vera Eccleſia, & num vera Eccleſia ſemper fuerit viſibilis, ſi veritatem hîc propriè ſumſeris, admodùm inſulſam & jejunam eſſe. Idem enim hoc eſt, ac ſi quærites, num Eccleſia inviſibilis ſemper fuerit viſibilis, aut nùm Eccleſia inviſibilis ad certum quendam ſit locum reſtricta? Aliter res habet, ſi alio modo *Eccleſiam veram* definiveris,

non

Digitized by Google

non per eam, quæ *Eph.* V. 25. ſqq. *Ebr.* XII. 22. ſqq. deſcribitur atque NULLAM planè MACULAM habet, ſed in quâ, quod fundamentum fidei Chriſtianæ attinet, vera doctrina viget, ubi & verus & à Chriſto Apoſtolisque inſtitutus cultus divinus floret, ubi nulli præcipui errores aut ſuperſtitiones cœtum publicum inquinant atque articuli fidei practici ita proponuntur ac diſciplina ita inflectitur, ut homines ſic ad veram ſui converſionem ac ſanctificationem facilè deduci poſſint. Eccleſia quippe viſibilis nonniſi eatenus vera eſt, quatenùs membra ſuppeditat Eccleſiæ inviſibili. Queis præmiſſis dicimus (1) Eccleſiam externam veram ſic deſcriptam ſemper viſibilem haud fuiſſe ſed ante tempora reformationis omninò defeciſſe, etſi inde à primo Chriſtianiſmi tempore cœtus Chriſtiani ſemper in mundo exſtiterint, variis tamen illi & præcipuis aliquando erroribus, ſuperſtitionibus & præjudiciis practicis taminati, in quibus tamen itidem ſubinde per extraordinariam DEI gratiam homines ſalvari potuerint & actu ſalvati ſint. (2) ne quidem de collectivâ quâdam Eccleſiâ e. g. illa, quæ A. C. addicta eſt, Reformata, Anglicana, Pontificia &c. promiſcuè iſtam quæſtionem ſine ſalis quadam mica inſtitui poſſe. Quamvis enim ejuſmodi quædam Eccleſia collectiva ex plurimis aliis ſingularibus conſtans conveniat in ſymbolis & confeſſionibus itemque in externis cærimoniis, hierarchia & diſciplina,

diſciplina, maxima tamen & eſt hîc Eccleſiarum ſingularium, eidem licet confeſſioni & iiſdem cærimoniis adhinnientium diverſitas, ſi Chriſtianiſmi practici florem in hac vel illa Eccleſia ſingulari magis minuſue vigentem reſpicias, qua ratione fieri poteſt, ut Eccleſia quædam orthodoxa ſævius ob graſſantem in ea impietatem coram DEO ſit reproba atque ab eo alii cuidam Eccleſiæ, quæ pura ejuſmodi doctrina non floret, ſed ſanctior tamen eſt, plurimùm poſtponatur. Undè (3) quando de veritate Eccleſiæ quæſtio inſtituitur, non ad æſtimium humanum ſed divinum, quod nullum partium vel ſectæ ſtudium ſecum conjunctum habet, res exigenda eſt, quod ſanè qui fecerit partiumque & ſectæ ſtudium heic ſolicitè vitaverit, ab omni heic errore in re plana ſibi facile cavebit.

§. III.

Jam de Eccleſia viſibili, univerſali illa & particulari & ſingulari quavis in poſitiones ſyſtema noſtrum redigemus. I. Eccleſia Chriſtiana h. e. cœtus Chriſtiani, qui Chriſti doctrinam profitentur, nunquàm prorſus perire vel deficere poſſunt, ita ut nomen Chriſtianum de terra viventium deleatur. Vide *Matth.* XVI. 18. quæ verba tamen & vel maximè Eccleſiæ inviſibili adplicari poſſunt. Itaque Eccleſia Chriſtiana in mundo ſemper inde à primis ſuis temporibus fuit viſibilis & juxta promiſſionem Chriſti debuit eſſe viſibilis. II. Eccleſia hæc

Chriſti,

Chriſti, externa illa & univerſalis primùm quidem erat pura & quoad doctrinam & quoad cultum & quoad vitam Chriſtianorum in primis illis temporibus Chriſto Apoſtoliſque proximis, ubi Eccleſia ſub perſecutionibus fuit preſſa atque à pompis & voluptatibus hujus mundi abſtenta, ubi verò deinde quies externa ſub Conſtantino M. ſupervenit, ſtatim corruptio ſucceſſit in doctrina, quæ ſenſim ſenſimque pollui cœpit, in cultu, ubi ſanè ſtatim opus operatum multæque ſuperſtitiones ſubintroiere, quarum & ſemina jam antea tantiſper jacta fuerant, in hierarchia & diſciplina eccleſiaſtica, ubi tyrannis eccleſiaſtica mox utramque in Eccleſiâ paginam fecit jugumque cærimoniarum ſuperſtitioſiſſimarum collis fidelium fuit impoſitum atque indies magis magiſque adauctum, donec graſſantibus erroribus, graſſantibus ſuperſtitionibus tanquàm horrendo quodam diluvio tota Eccleſiæ ſuperficies inundaretur. Quo facto cùm diu jam ſub iſta malorum lerna ſuſpirarent fideles, vel tandem Sec. XVI. contigit, ut Eccleſiæ plurimæ in occidente, mutatis confeſſionibus hoc eſt doctrinis publicis, mutatoque cultu externo erroribuſque & ſuperſtitionibus abrogatis aliam ſibi formam induerent & peculiare quoddam ſyſtema formarent, & cùm & ipſæ in quibuſdam à ſe invicem articulis diſſentirent, ſeparatos cœtus ubique formarent. Jam verò inter omnes hos cœtus nullus eſt κατ' ἐξοχὴν & abſolutè vetus &

rus & ſanctus, ita ut deinde reliqui omnes in orcum veniant detrudendi, ſed quivis ex veritate illa aliquid *participat*, prout nempe in confeſſione ſuâ, in doctrinâ ſuâ, in cultu ſuo, in diſciplinâ ſuâ veritati is adhinnit, & quatenus, uti jam diximus, membra vera Eccleſiæ inviſibili largitur. Itaque, quando de veritate Eccleſiæ cujuſdam particularis quæſtio eſt, propter æquivocationem hîc ſubinfluentem res ita inflecti debet: Quinam cœtus Chriſtianus inter eos, qui jamjam in mundo ſunt, eâ fidei confeſſione, eâ doctrina, eo cultu, ea diſciplina, iis principiis Chriſtianiſmi practicis fulgeat, quibus poſitis facilior heic, quàm in aliis cœtibus, via ad converſionem & cœlum ſit? ubi non negari poteſt, eſſe hîc inter Eccleſias differentiam gradualem maximam, ſecundùm quam utique quis, cæteris paribus, apud ſe determinare debeat, cuinam cœtui manus dare in conſcientia ſit obſtrictus? III. Nulla Eccleſia particularis eſt perfecta, ſed omnes ſuis maculis diſtinguuntur, ubi una magis, altera utique minùs laborat. Ita profectò ipſamet Eccleſia Apoſtolica ſuis laboravit nævis, erroribus *Matth.* XVI. 22. 23. *Luc.* XVIII. 34. XXIV. 25. *Joh.* XX. 25. *Act.* XV. 1. ſqq. 1. *Cor.* XV. 12. ſqq. *Gal.* I. 6. 2. *Theſſ.* II. 1. ſqq. 1. *Tim.* I. 4. ſqq. V. 12. 15. VI. 3. ſqq. 20. 2. *Tim.* I. 15. II. 16. ſqq. III. 6. ſqq. 1. *Joh.* II. 18. 19. IV. 1. ſqq. *Jud.* 4. 10. *Apoc.* II. 2. 14. 15. 20. III. 9. diſſenſioni-

bus

Digitized by Google

bus & hæreſibus *Luc.* XXII. 24. ſqq. 1. *Cor.* I. 11. XI. 19. *Gal.* II. 4. 5. 11. ſqq. *Act.* VI. 1. ſqq. XV. 7. *Phil.* I. 15. ſq. abuſibuſque aliis 1. *Cor.* XI. 17. ſqq. Nec minus & morum heic ſubinde corruptio ſubintroiit, Judas proditor & Petrus Apoſtata, ut taceam loca 1. *Cor.* V. 1. ſqq. VI. 1. ſqq. *Phil.* II. 21. III. 2. 2. *Theſſ.* III. 6. 11. 14. 2. *Tim.* II. 25. 2. *Petr.* III. 16. 17. *Apoc.* II. 4. 5. 14. 15. III. 1. 3. 15. ſqq. Hinc benè notes velim, Eccleſiam nullam externam & viſibilem eſſe infallibilem nec impeccabilem, ſed ſubinde actu falli, actu peccare, imò labi, deficere & perire, etſi Eccleſia externa univerſalis in articulis illis, ubi ſemper conſenſit & adhùc conſentit, non fallatur. IV. Eccleſia Romana eapropter catholica dici non poteſt, quia catholicum quod eſt, eſt univerſale. Illa verò eſt particularis. Et rectè omninò P. QUESNELLUS: *Nota Eccleſiæ Chriſtianæ eſt, quòd ſit catholica, comprehendens & omnes Angelos cæli & omnes electos & juſtos terræ & omnium ſeculorum.* Vide *Conſtitut. Clem.* Unigenitus *prop.* 72. V. Nulla eſt Eccleſia particularis, quæ jus alteri dicere poſſit. Eccleſiæ enim inter ſe ſunt tanquam Reſpublicæ liberæ, ubi una alteri leges ferre nequit. Hinc eſt, quod ad *Corpus doctrinæ moralis Sorbonenſe in prologo p.* 7. ſcripſimus: *Scilicet ita rerum humanarum ſecum fert imperfectio, ut nulla in terrarum orbe exſtet Eccleſia, quæ ſuis non laboret vitiis maculiſque diſtinguatur, queis turpioribus*

pioribus alia, alia minoribus magiſque tolerabilibus urgetur. Ex quo ipſo patet, prudentia rem eſſe, ut de ſe modeſtè quavis, de alterâ quantum id quidem fieri ſalvâ veritate poteſt, mitiùs ſentiat, unaque alteram ſuo jure, prout id in Rebuſpublicis liberis, quâ ratione ferè diverſarum Eccleſiarum corpora diſtinxeris, penitus frui permittat. Quæ ſanè & in diſſert. de *articulis fidei fundamentalibus* data opera repetiimus, ubi & obſ. 10. p. 29. addimus: *Ex quo perſpicere eſt, longè abſurdiſſimam rem opera eſſe, ſi una in alteram anathematiſmis exſecrationibuſque ſæviat.* Nihil quippe in hac, quâ circumfundimur homines, imperfectione nobis ſupereſt aliud, niſi tolerantia, *Rom.* XIV. 1. ſqq. XV. 1. *Col.* III. 13. *Gal.* VI. 1. 2. 1. *Theſſ.* V. 14. 2. *Tim.* II. 24. 3. *Joh.* 9. 10. *Apoc.* II. 3. quæ cuivis ſponte arridebit, qui conſideraverit, quàm in multis labamur OMNES *Jac.* III. 2. & quàm imperfecta ſit hujus ævi ſcientia 1. *Cor.* XIII. 9. Et profectò facile omnis hæretificina exulabit, ſi ſaltem α articulos fundamentales à minus talibus ſolicitè diſtinxerimus, ſi β ſequeſtrata nuda theoria praxi vel maximè inhiaverimus articuloſque quoſvis, quò magis ad praxin vergunt & quò majori Eccleſiarum omnium conſenſu iſti approbantur, eò fundamentaliores ſtatuerimus, ſi γ ultra id, quod ſcriptum eſt, haud ſapuerimus & rejectis ἀκριβείαις ſcholaſticis, rejectis logomachiis quibuſvis, rejectis

Rr phraſi-

phraſibus eccleſiaſticis, queis lites gignuntur, ſolaque fidei ſimplicitate & ſinceritate divinaque convictione adhibita id unicum determinemus, quod divino lumine affulgente à nobis cognoſcitur, cætera verò, quæ nimis alta ſunt, ſuo loco reliquerimus, ſi δ ſectæ, ſi autoritatis, ſi antiquitatis, ſi novitatis, ſi ſacri omnis dominii, ſi famæ noſtræ propagandæ & ambitionis theologicæ ſtudium penitus ſequeſtraverimus & hanc ſolam operam poſuerimus, ut regnum DEI in noſtris aliorumque animis per veram & ſinceram converſionem erigatur, regnum verò voluptatum & Satanæ deſtruatur. VI. Eccleſia externa nullo capite viſibili, nulla juriſdictione coactiva, nulla civili poteſtate à Domino donata eſt, ſed, ſemoto omni dominio, ita regitur, ut jura eccleſiaſtica vel totus cœtus exerceat, vel ii, quibus ea à cœtu tradita fuere, qui ſunt ſive Clerus, uti in Papatu fit, ſive Principes ſive Preſbyteri laici, id quod apud Proteſtantes ita ſe habet. Magiſtratus tamen politicus ſemper gaudet juribus ſacrorum abſolutis & coactiva circa ſacra juriſdictione, eò ſpectante, ut ſacra ad Reipublicæ emolumentum inflectantur atque turbis omnibus ex religionis rerumque eccleſiaſticarum tractatione malà manantibus obviam eatur. Vide omninò librum ſingularem de *originibus juris eccleſiaſtici veraque ejuſdem indole*, quem hoc ipſo anno edidimus. VII. In Eccleſiæ cœtu viſibili nullo opus eſt Judice perſonali, qui fidem determinet

net & injungat, cùm ejuſmodi nec in ſacra ſcriptura ſit determinatus nec exſtiterit unquam nec detur hodie nec pro præſenti rerum humanarum conſtitutione dari poſſit, ſed quivis ſuæ fidei perſonalis hactenùs judex eſt, donec DEUS in ſupremo die ultimum judicium idque prorſus deciſivum ferat. Hinc Concilia, hinc Conſiſtoria, hinc Facultates Theologicæ, hinc Eccleſiæ particulares fidem quidem hiſtoricè ſed non dogmaticè determinare poſſunt. VIII. Omnes Chriſtiani, veri nempe illi, ſunt Sacerdotes 1. *Petr.* II. 9. *Apoc.* I. 6. V. 10. XX. 6. *Rom.* XII. 1. etſi omnes (ita enim mira in cœtu externo confuſio oriretur) ſacerdotium actu exercere nequeant. Ubi verò Eccleſia in exitium & corruptionem prona labitur & qui exercitio ſacerdotii externo florent, ſilent manuſque in ſinu complicant, ibi ſurgere debent, quicunque poſſunt, quicunque χαρίσμασι divinis hanc in rem florent, & reformare errores, & reformare cultum & reformare abuſus quoſvis, ita tamen, ut turbæ in Republica præcaveantur. Atque ex his patet, quo fundamento Reformatorum, qui profectò & maximam partem in Eccleſia Romana ordinati fuerant, & quos communia plebis eccleſiaſticæ ſuſpiria ad hoc opus poſtulabant, vocatio & miſſio, ordinaria illa, ſi fundamentum rei ſpectes, extraordinaria, ſi opus, cui operas ſuas affudere, ſi chariſmata, quibus polluere, ſpectes, nitatur. IX. In Eccleſia non ſunt niſi

Digitized by Google

duo ordines, Doctorum & auditorum, quos quippe ipſa rei natura & jus divinum requirit. Epiſcoporum à Preſbyteris nulla jure divino diſtinctio, ſaltem neceſſaria haud eſt, poteſtque hanc in rem quævis Eccleſia, ubi ſe confœderat, circa ritus, diſciplinam miniſtrorumque ſuorum ordines per leges conventionales ex arbitrio diſponere. Scilicet, quicquid ea dein heic diſpoſuerit, ratum eſt. Evolvatur idem noſter, quem de *originibus Juris eccleſiaſtici* ſcripſimus, tractatus. X. Ex demùm ordinationes eccleſiaſticæ, illi ritus, illa diſciplina, quæ in cœtu Eccleſiæ publico floret, egregia eſt, ubi ad Chriſtianiſmum & ſanctitatem internam in animis hominum plantandam genuina via ſternitur atque vitiis hominum, maximè verò operi operato hypocriſique illi, ubi ſub cærimoniis externis eccleſiaſticis, queis inhiamus, queis &, tanquàm ſalus omnis & vita ſpiritualis in illis conſiſteret, confidimus, peccata dominantia tegimus, obviam itur.

§. III.

His jam præmiſſis ad communem παιδείας τρόπον, quo articulus de Eccleſiâ enarratur, tantiſper hîc tradendum pergimus. Hîc verò inter Eccleſiam ſyntheticam, quæ eſt totus fidelium cœtus, & Eccleſiam repræſentativam, quæ eſt congregatio Doctorum, in concilio vel conſiſtorio Eccleſiam ſyntheticam repræſentantium, inter Eccleſiam viſibilem & inviſibilem, inter Eccleſiam militantem & triumphantem, inter Ec-

cleſiam

Digitized by Google

cleſiam falſam & veram, puram & impuram, univerſalem & particularem, quarum infima ſpecies Eccleſiæ domeſticæ ſunt *Rom.* XVI. 5. *Col.* IV. 15. Philem. 2. diſtinguitur. Eſt autem maximè Filius DEI, qui Eccleſiam & fundavit ſibique acquiſivit eamque ſanctificavit & plantavit *Matth.* XVI. 18. *Eph.* V. 25. ſqq. per Apoſtolos, conſervatque adhuc per miniſtros ſuos, qui Evangelium annunciant portamque cœlorum hominibus adaperiunt *Matth.* XXII. 3. *Luc.* XIV. 17. *Eph.* IV. 11. 12. 1. *Cor.* III. 9. 10. 2. *Cor.* V. 20. hominesque mediantibus verbo & ſacramentis in Eccleſiam immittunt inque eâ ſervant *Matth.* XXVIII. 19. Eccleſia ipſa conſiſtit ex vocatis, bonis & malis, *Matth.* XIII. 24. ſqq. ubi tamen obſerva, agrum eſſe mundum, non Eccleſiam comm. 38. Adde *Apolog. Aug. Conf. p.* 147. *Matth.* XXII. 2. ſqq. 2. *Tim.* II. 20. Unde & juxta eandem *Apologiam Art.* 4. impii quidem *in* Eccleſiâ ſed non *de* Eccleſiâ eſſe dicuntur. Sunt verò Eccleſiæ veræ characteres iidem, qui Doctorum orthodoxorum ſunt (certè enim auditorum adeoque totius Eccleſiæ notæ adæquatæ hæ eſſe ſic non poſſunt) (1) puta verbi prædicatio, *Matth.* XXVIII. 20. *Joh.* VIII. 31. X. 26. 27. XIV. 23. *Eph.* II. 19. 20. V. 26. 27. ubi tamen hæc duo notari velim, א hæc loca non ſaltem puram verbi prædicationem ſed & obedientiam verbo præſtitam inferre, quæ nota Eccleſiæ ſi ſit, applicatio ejus ad Eccleſias particulares eàdem

 licet

licet confeſſione florentes valdè variabit. 3 prædicationem verbi puram non frigidas rerum divinarum enarrationes ſed practicas voluntatis divinæ erga homines evolutiones cum demonſtratione ſpiritûs conjunctas, ubi ex ſinceritate, ex experientiâ ſpirituali, ex DEO, coram DEO, in Chriſto loquimur 2. *Cor.* II. 17. inferre. Id quod ſi ita eſt, Eccleſiæ cujuſdam collectivæ hæc nota eſſe haud poteſt, ſed ſaltem ſingularis, cùm Eccleſiæ ſingulares in infinitum hic varient & proh dolor! magnus ubique verorum doctorum defectus conſpiciatur. (2) & pura ſacramentorum adminiſtratio ſcil. ejusmodi adminiſtratio, quæ quoad opus, quoad formam externam cum inſtitutione Chriſti congruat, ubi per baptiſmum homines in Eccleſiam immittantur, per S. Euchariſtiam in eâ conſerventur. At quærere quis poſſit, ubinam igitur eſt character ille, quo auditores diſtinguuntur? vel ubinam eſt character ille Eccleſiæ verus, qui hypocritis ſive doctoribus ſive auditoribus prorſus competere haud poteſt? Literam enim verbi prædicare & ſacramentorum ritus externos à Chriſto inſtitutos perficere poſſunt & impii, qui tamen veram Eccleſiam conſtituere non poſſunt? Reſpondeo: Verus Eccleſiæ & genuinus character eſt veri Chriſtianiſmi in ejuſmodi cœtu quodam externo vigentis flos, ad cujus menſuram & veritas puritaſve ejuſmodi Eccleſiæ particularis exigitur utique & menſuratur, habet

enim

Digitized by Google

enim ea ſuos gradus. Et repetendum hîc eſt, quod jam dicere cœpimus, totam hanc rem non ex æſtimio humano ſed divino eſſe ponderandam. Cæterùm nullæ heic ſunt Romanenſium notæ, jejunæ utpote illæ & vel notato ignotiores & nimis generales vel tautologicæ vel planè falſæ vel certè ad Eccleſiam Romanam prorſus haud applicabiles. 1. Nomen catholicum, quod profectò Eccleſiæ nulli particulari nedum Romanæ vi verbi competit. 2. antiquitas, quæ nota eapropter adæquata non eſt, quod Eccleſiæ naſcenti & renaſcenti non competit, nec admitti debet à Romanenſibus vel eapropter, quòd errores, quòd ſuperſtitiones, quòd tyrannis, queis inhiant, ævi Apoſtolici antiquitatem haud ferunt, noſtra verò, quà Evangelici floremus, veritas longè antiquiſſima eſt, 3. duratio, quæ cum priore notâ coincidit, nec ſanè Romanenſibus niſi quoad parietes competit, non quoad doctrinam, non quoad cultum, non quoad diſciplinam, non quoad miniſterium eccleſiaſticum, cujus ſucceſſionem canonicam nullam planè illi poſſident. 4. amplitudo. Ego verò credidi, juxta verbum Chriſti Eccleſiam eſſe ſubinde *puſillum gregem Luc.* XII. 32. Ergone igitur Eccleſia illa prima ſub perſecutionibus & ſub graſſantibus hæreſibus non fuit vera? 5. ſucceſſio Epiſcoporum. Hanc monſtrent, canonicam nempe, Romanenſes. Sed ſufficiat nobis ſucceſſio doctrinæ, cultus, miniſterii in genere. Hierarchia enim

Digitized by Google

Epiſcopalis juris divini non eſt. 6. conſpiratio in doctrinâ cum Eccleſiâ antiquâ. Hæc verò nota ad ſecundam referri poteſt entiaque præter neceſſitatem heic multiplicanda non ſunt. 7. Unio membrorum inter ſe & cum capite. Hæc nota ſi valet, falſa eſt hodiè Eccleſia Romana, ubi conſtitutio Unigenitus jam quadrata rotundis miſcet. Quin ſupponitur hîc caput viſibile & per petitionem principii ſupponitur, congruuntque hæc ſoli Eccleſiæ inviſibili abſolutè, viſibili ſaltem per participationem, quæ major vel minor quoad cœtus particulares eſt. 8. ſanctitas doctrinæ. Heic conſentimus, ſed in applicatione variamus. 9. efficacia doctrinæ. Idem reſponſum eſto. 10. ſanctitas vitæ autorum religionis. At verò religionis noſtræ Autores & doctores primos itidem Chriſtum & Apoſtolos veneramur. De ſequioribus temporibus nòn eſt quòd cœtus particulares, maximè Eccleſia Roma tantoperè glorietur, cùm Pontificum Romanorum ſanctitas ſatis nota ſit. 11. gloria miraculorum. At primitiva Eccleſia, cujus propago nos ſumus, miraculis floruit. At miracula chariſma ſunt extraordinarium, ad plantandam Eccleſiam, judice Gregorio M. reſtrictum. At miracula, quæ jactant Romanenſes, fabulas olent. At & miracula inter impios & infideles & hæreticos ſubinde facta ſunt. 12. lumen Propheticum. At & hoc lumen eſt extraordinarium chariſma, quo & impii doctores ſubinde

fulſere

Digitized by Google

fulſere & cujus tàm authentica producunt exempla Proteſtantes quàm Romanenſes. 13. confeſſio adverſariorum. Jam verò teſtes veritatis ex omnibus ſeculis & ex medio quoque Papiſmo noſtri produxere. Omnium inſtar ſit MATTH. FLACIUS & JO. GERHARDUS. 14. infelix exitus eorum, qui Eccleſiam oppugnant. Sic verò Eccleſia Romana vera haud erit, cùm exitus eorum, qui eam oppugnavere, haud infelix exſtiterit, nec eorum, qui eam hodie oppugnant, hodiè infelix ſit. 15. felicitas temporalis eorum, qui Eccleſiam defendunt. At cùm & impiis ſubinde hæc contingat, cum & pii per multas tribulationes in regnum DEI intrent, patet, notam hanc valdè jejunam & falſam prorſus eſſe. Jam ergò claret, notas Bellarmini, quas alii vel minuunt vel amplificant, nullas eſſe. Quod reſtat, attributa & affectiones Eccleſiæ hæ communiter eſſe exiſtimantur. Unitas, ſanctitas, catholicitas, Apoſtolicitas, autoritas, ſplendor, afflictio, indefectibilitas. Unitas capitis *Eph.* I. 22. corporis, ſpiritûs, Domini, fidei, baptiſmi, *Eph.* IV. 4. 5. 15. 1. *Cor.* XII. 12. 13. Evangelii *Gal.* I. 8. 9. euchariſtiæ 1. *Cor.* X. 17. fundamenti 1. *Cor.* III. 11. Spiritus 1. *Cor.* VI. 17. ut taceam unionem membrorum cum capite *Hoſ.* II. 19. 20. & inter ſe *Eph.* II. 19. 20. in uno ſpiritu 1. *Cor.* XII. 13. & charitate *Eph.* IV. 16. unde ſunt unus cum Chriſto ſpiritus 1. *Cor.* VI. 17. & inter ſe una anima *Act.* IV. 32. Sanctitas Eccleſiæ

cleſiæ *Eph.* IV. 4. 1. *Cor.* III. 17. *Apoc.* XI. 2. competit 1. *Petr.* II. 9. tum imputata Chriſti 1. *Petr.* I. 2. tùm inhærens. 1. *Petr.* I. 15. 16. *Joh.* XVII. 17. 19. Indefectibilitas ex *Matth.* XVI. 18. XXIV. 24. probari ſolet. Hæc verò vel maximè Eccleſiæ inviſibili, Eccleſiæ autem viſibili eatenus ſaltem competit, quatenus nomen Chriſtianum de terrâ nunquam deleri poteſt. Hinc deficere utique miris modis Eccleſia aliás & quoad doctrinam publicam cultumque poteſt, atque obſcurari & premi, cujus rei exempla in Vet. & in Nov. Teſtamento habemus, ut taceam vaticinia *Matth.* XXIV. 24. 1. *Tim.* IV. 1. 2. *Theſſ.* II. 3. & comminationes *Matth.* VII 15. 2. *Cor.* XII. 20. 21. hùc pertinentes & tempora Antichriſti 2. *Theſſ.* II. 4. ſqq. *Apoc.* XVIII. 2. ſqq. XX. 8. De Eccleſiâ repræſentativâ hoc eſt de Conciliis non eſt, quòd multis hîc agamus. Ajunt, eum, qui Concilium congregare & indicere debeat, eſſe Magiſtratum politicum orthodoxum aut tali deficiente ipſam Eccleſiam, Præſidem debere eſſe vel eundem Magiſtratum orthodoxum aut ejus delegatum vel his deficientibus eos, quibus Eccleſia hoc munus tradiderit, quam in rem allegari videas *Act.* XV. & alia loca, quæ tamen nonniſi officia Magiſtratûs alia & obedientiam illi præſtandam inſinuant, maximè verò praxin vet. Eccleſ. Scilicet Concilium Nicænum à Conſtantino M. adverſus Arium A. 325. Conſtantinop. I. à Theodoſio M. adverſus

Mace-

Macedonium A. 381. Epheſinum à Theodoſio Juniore adverſus Neſtorium A. 431. & Chalchedonenſe à Marciano adverſus Eutychen A. 451. celebratum fuit, ut infinita alia concilia taceamus vel nationalia vel provincialia vel diœceſana, quæ tamen & ſubinde ſine Principibus convocata & habita fuere, Præſide &, non ſemper Principe, ſed Papâ vel Epiſcopis, qui profectò tanquàm Judices hîc ſedent votiſque deciſivis florent, cæteris clericis votis ſaltem deliberativis gaudentibus. At verò & nos Proteſtantes dicimus, laicos ſacrarum literarum peritos non minus quàm clericos ad ſententiam in concilio dicendam admittendos eſſe. *Act.* XV. *Rom.* XIV. 12. 1. *Joh.* IV. 1. 1. *Cor.* II. 15. Certè plebis jura temporibus Apoſtolorum & tempore Cypriani adhùc plurimùm floruere, ſed per horrendam tyrannidem poſtea penitus fuere abolita, donec ſub reformatione tantiſper reviviſcerent. Deplorandum ſaltem id eſt, quòd corruptio, ſub quâ ubique Chriſtiani jacent, prohibeat, quò minus plebs ſacra jura ſua ubique & ſemper & quoad omnia exerceat, eſt enim illa hanc ad rem ſæpiùs inidonea, nec admitti poteſt, cùm aliàs turbas eſſet motura & rotunda quadratis miſtura. Cæterùm in Conciliis & circa dogmata & circa cultum diſciplinamque & omnia alia Eccleſiaſtica diſquiſitio fit juxta utique verbum DEI, quod in genere norma Chriſtianorum eſt, juxta & confeſſiones atq; conſtitutiones alias eccleſiaſticas, olim

duo ordines, Doctorum & auditorum, quos quippe ipſa rei natura & jus divinum requirit. Epiſcoporum à Preſbyteris nulla jure divino diſtinctio, ſaltem neceſſaria haud eſt, poteſtque hanc in rem quævis Eccleſia, ubi ſe confœderat, circa ritus, diſciplinam miniſtrorumque ſuorum ordines per leges conventionales ex arbitrio diſponere. Scilicet, quicquid ea dein heic diſpoſuerit, ratum eſt. Evolvatur idem noſter, quem de *originibus Juris eccleſiaſtici* ſcripſimus, tractatus. X. Eæ demùm ordinationes eccleſiaſticæ, illi ritus, illa diſciplina, quæ in cœtu Eccleſiæ publico floret, egregia eſt, ubi ad Chriſtianiſmum & ſanctitatem internam in animis hominum plantandam genuina via ſternitur atque vitiis hominum, maximè verò operi operato hypocriſique illi, ubi ſub cærimoniis externis eccleſiaſticis, queis inhiamus, queis &, tanquàm ſalus omnis & vita ſpiritualis in illis conſiſteret, confidimus, peccata dominantia tegimus, obviam itur.

§. III.

His jam præmiſſis ad communem παιδείας τρόπον, quo articulus de Eccleſiâ enarratur, tantiſper hîc tradendum pergimus. Hîc verò inter Eccleſiam ſyntheticam, quæ eſt totus fidelium cœtus, & Eccleſiam repræſentativam, quæ eſt congregatio Doctorum, in concilio vel conſiſtorio Eccleſiam ſyntheticam repræſentantium, inter Eccleſiam viſibilem & inviſibilem, inter Eccleſiam militantem & triumphantem, inter Eccleſiam

cleſiam falſam & veram, puram & impuram, univerſalem & particularem, quarum infima ſpecies Eccleſiæ domeſticæ ſunt *Rom.* XVI. 5. *Col.* IV. 15. Philem. 2. diſtinguitur. Eſt autem maximè Filius DEI, qui Eccleſiam & fundavit ſibique acquiſivit eamque ſanctificavit & plantavit *Matth.* XVI. 18. *Eph.* V. 25. ſqq. per Apoſtolos, conſervatque adhuc per miniſtros ſuos, qui Evangelium annunciant portamque cœlorum hominibus adaperiunt *Matth.* XXII. 3. *Luc.* XIV. 17. *Eph.* IV. 11. 12. 1. *Cor.* III. 9. 10. 2. *Cor.* V. 20. homineſque mediantibus verbo & ſacramentis in Eccleſiam immittunt inque eâ ſervant *Matth.* XXVIII. 19. Eccleſia ipſa conſiſtit ex vocatis, bonis & malis, *Matth.* XIII. 24. ſqq. ubi tamen obſerva, agrum eſſe mundum, non Eccleſiam comm. 38. Adde *Apolog. Aug. Conf. p.* 147. *Matth.* XXII. 2. ſqq. 2. *Tim.* II. 20. Unde & juxta eandem *Apologiam Art.* 4. impii quidem *in* Eccleſiâ ſed non *de* Eccleſiâ eſſe dicuntur. Sunt verò Eccleſiæ veræ characteres iidem, qui Doctorum orthodoxorum ſunt (certè enim auditorum adeoque totius Eccleſiæ notæ adæquatæ hæ eſſe ſic non poſſunt) (1) pura verbi prædicatio, *Matth.* XXVIII. 20. *Joh.* VIII. 31. X. 26. 27. XIV. 23. *Eph.* II. 19. 20. V. 26. 27. ubi tamen hæc duo notari velim, א hæc loca non ſaltem puram verbi prædicationem ſed & obedientiam verbo præſtitam inferre, quæ nota Eccleſiæ ſi ſit, applicatio ejus ad Eccleſias particulares eâdem

 licet

Digitized by Google

licet confeſſione florentes valdè variabit. 3 prædicationem verbi puram non frigidas rerum divinarum enarrationes ſed practicas voluntatis divinæ erga homines evolutiones cum demonſtratione ſpiritûs conjunctas, ubi ex ſinceritate, ex experientiâ ſpirituali, ex DEO, coram DEO, in Chriſto loquimur 2. *Cor.* II. 17. inferre. Id quod ſi ita eſt, Eccleſiæ cujuſdam collectivæ hæc nota eſſe haud poteſt, ſed ſaltem ſingularis, cùm Eccleſiæ ſingulares in infinitum hîc varient & proh dolor! magnus ubique verorum doctorum defectus conſpiciatur. (2) & pura ſacramentorum adminiſtratio ſcil. ejusmodi adminiſtratio, quæ quoad opus, quoad formam externam cum inſtitutione Chriſti congruat, ubi per baptiſmum homines in Eccleſiam immittantur, per S. Euchariſtiam in eâ conſerventur. At quærere quis poſſit, ubinam igitur eſt character ille, quo auditores diſtinguuntur? vel ubinam eſt character ille Eccleſiæ verus, qui hypocritis ſive doctoribus ſive auditoribus prorſùs competere haud poteſt? Literam enim verbi prædicare & ſacramentorum ritus externos à Chriſto inſtitutos perficere poſſunt & impii, qui tamen veram Eccleſiam conſtituere non poſſunt? Reſpondeo: Verus Eccleſiæ & genuinus character eſt veri Chriſtianiſmi in ejuſmodi cœtu quodam externo vigentis flos, ad cujus menſuram & veritas puritaſve ejuſmodi Eccleſiæ particularis exigitur utique & menſuratur, habet

enim

enim ea ſuos gradus. Et repetendum hîc eſt, quod jam dicere cœpimus, totam hanc rem non ex æſtimio humano ſed divino eſſe ponderandam. Cæterùm nullæ heic ſunt Romanenſium notæ, jejunæ utpote illæ & vel notato ignotiores & nimis generales vel tautologicæ vel planè falſæ vel certè ad Eccleſiam Romanam prorſus haud applicabiles. 1. Nomen catholicum, quod profectò Eccleſiæ nulli particulari nedum Romanæ vi verbi competit. 2. antiquitas, quæ nota eapropter adæquata non eſt, quod Eccleſiæ naſcenti & renaſcenti non competit, nec admitti debet à Romanenſibus vel eapropter, quòd errores, quòd ſuperſtitiones, quòd tyrannis, queis inhiant, ævi Apoſtolici antiquitatem haud ferunt, noſtra verò, quâ Evangelici floremus, veritas longè antiquiſſima eſt, 3. duratio, quæ cum priore notâ coincidit, nec ſanè Romanenſibus niſi quoad parietes competit, non quoad doctrinam, non quoad cultum, non quoad diſciplinam, non quoad miniſterium eccleſiaſticum, cujus ſucceſſionem canonicam nullam planè illi poſſident. 4. amplitudo. Ego verò credidi, juxta verbum Chriſti Eccleſiam eſſe ſubinde *puſillum gregem Luc.* XII. 32. Ergone igitur Eccleſia illa prima ſub perſecutionibus & ſub graſſantibus hæreſibus non fuit vera? 5. ſucceſſio Epiſcoporum. Hanc monſtrent, canonicam nempe, Romanenſes. Sed ſufficiat nobis ſucceſſio doctrinæ, cultus, miniſterii in genere. Hierarchia enim

Epiſcopalis juris divini non eſt. 6. conſpiratio in doctrinâ cum Eccleſiâ antiquâ. Hæc verò nota ad ſecundam referri poteſt entiaque præter neceſſitatem heic multiplicanda non ſunt. 7. Unio membrorum inter ſe & cum capite. Hæc nota ſi valet, falſa eſt hodiè Eccleſia Romana, ubi conſtitutio Unigenitus jam quadrata rotundis miſcet. Quin ſupponitur hîc caput viſibile & per petitionem principii ſupponitur, congruuntque hæc ſoli Eccleſiæ inviſibili abſolutè, viſibili ſaltem per participationem, quæ major vel minor quoad cœtus particulares eſt. 8. ſanctitas doctrinæ. Heic conſentimus, ſed in applicatione variamus. 9. efficacia doctrinæ. Idem reſponſum eſto. 10. ſanctitas vitæ autorum religionis. At verò religionis noſtræ Autores & doctores primos itidem Chriſtum & Apoſtolos veneramur. De ſequioribus temporibus nòn eſt quòd cœtus particulares, maximè Eccleſia Roma tantoperè glorietur, cùm Pontificum Romanorum ſanctitas ſatis nota ſit. 11. gloria miraculorum. At primitiva Eccleſia, cujus propago nos ſumus, miraculis floruit. At miracula chariſma ſunt extraordinarium, ad plantandam Eccleſiam, judice Gregorio M. reſtrictum. At miracula, quæ jactant Romanenſes, fabulas olent. At & miracula inter impios & infideles & hæreticos ſubinde facta ſunt. 12. lumen Propheticum. At & hoc lumen eſt extraordinarium chariſma, quo & impii doctores ſubinde fulſere

fulſere & cujus tàm authentica producunt exempla Proteſtantes quàm Romanenſes. 13. confeſſio adverſariorum. Jam verò teſtes veritatis ex omnibus ſeculis & ex medio quoque Papiſmo noſtri produxere. Omnium inſtar ſit MATTH. FLACIUS & JO. GERHARDUS. 14. infelix exitus eorum, qui Eccleſiam oppugnant. Sic verò Eccleſia Romana vera haud erit, cùm exitus eorum, qui eam oppugnavere, haud infelix exſtiterit, nec eorum, qui eam hodie oppugnant, hodiè infelix ſit. 15. felicitas temporalis eorum, qui Eccleſiam defendunt. At cùm & impiis ſubinde hæc contingat, cum & pii per multas tribulationes in regnum DEI intrent, patet, notam hanc valdè jejunam & falſam prorſus eſſe. Jam ergò claret, notas Bellarmini, quas alii vel minuunt vel amplificant, nullas eſſe. Quod reſtat, attributa & affectiones Eccleſiæ hæ communiter eſſe exiſtimantur. Unitas, ſanctitas, catholicitas, Apoſtolicitas, autoritas, ſplendor, afflictio, indefectibilitas. Unitas capitis *Eph.* I. 22. corporis, ſpiritûs, Domini, fidei, baptiſmi, *Eph.* IV. 4. 5. 15. 1. *Cor.* XII. 12. 13. Evangelii *Gal.* I. 8. 9. euchariſtiæ 1. *Cor.* X. 17. fundamenti 1. *Cor.* III. 11. Spiritus 1. *Cor.* VI. 17. ut taceam unionem membrorum cum capite *Hoſ.* II. 19. 20. & inter ſe *Eph.* II. 19. 20. in uno ſpiritu 1. *Cor.* XII. 13. & charitate *Eph.* IV. 16. unde ſunt unus cum Chriſto ſpiritus 1. *Cor.* VI. 17. & inter ſe una anima *Act.* IV. 32. Sanctitas Ec-

Digitized by Google

cleſiæ *Eph.* IV. 4. 1. *Cor.* III. 17. *Apoc.* XI. 2. competit 1. *Petr.* II. 9. tum imputata Chriſti 1. *Petr.* I. 2. tùm inhærens. 1. *Petr.* I. 15. 16. *Joh.* XVII. 17. 19. Indefectibilitas ex *Matth.* XVI. 18. XXIV. 24. probari ſolet. Hæc verò vel maximè Eccleſiæ inviſibili, Eccleſiæ autem viſibili eatenus ſaltem competit, quatenus nomen Chriſtianum de terrâ nunquam deleri poteſt. Hinc deficere utique miris modis Eccleſia aliàs & quoad doctrinam publicam cultumque poteſt, atque obſcurari & premi, cujus rei exempla in Vet. & in Nov. Teſtamento habemus, ut taceam vaticinia *Matth.* XXIV. 24. 1. *Tim.* IV. 1. 2. *Theſſ.* II. 3. & comminationes *Matth.* VII 15. 2. *Cor.* XII. 20. 21. hùc pertinentes & tempora Antichriſti 2. *Theſſ.* II. 4. ſqq. *Apoc.* XVIII. 2. ſqq. XX. 8. De Eccleſiâ repræſentativâ hoc eſt de Conciliis non eſt, quòd multis hîc agamus. Ajunt, eum, qui Concilium congregare & indicere debeat, eſſe Magiſtratum politicum orthodoxum aut tali deficiente ipſam Eccleſiam, Præſidem debere eſſe vel eundem Magiſtratum orthodoxum aut ejus delegatum vel his deficientibus eos, quibus Eccleſia hoc munus tradiderit, quam in rem allegari videas *Act.* XV. & alia loca, quæ tamen nonniſi officia Magiſtratûs alia & obedientiam illi præſtandam inſinuant, maximè verò praxin vet. Eccleſ. Scilicet Concilium Nicænum à Conſtantino M. adverſus Arium A. 325, Conſtantinop. I. à Theodoſio M. adverſus Mace-

Macedonium A. 381. Epheſinum à Theodoſio Juniore adverſus Neſtorium A. 431. & Chalchedonenſe à Marciano adverſus Eutychen A. 451. celebratum fuit, ut infinita alia concilia taceamus vel nationalia vel provincialia vel diœceſana, quæ tamen & ſubinde ſine Principibus convocata & habita fuere, Præſide &, non ſemper Principe, ſed Papâ vel Epiſcopis, qui profectò tanquàm Judices hîc ſedent votiſque deciſivis florent, cæteris clericis votis ſaltem deliberativis gaudentibus. At verò & nos Proteſtantes dicimus, laicos ſacrarum literarum peritos non minus quàm clericos ad ſententiam in concilio dicendam admittendos eſſe. *Act.* XV. *Rom.* XIV. 11. 1. *Joh.* IV. 1. 1. *Cor.* II. 15. Certè plebis jura temporibus Apoſtolorum & tempore Cypriani adhùc plurimùm floruere, ſed per horrendam tyrannidem poſtea penitus fuere abolita, donec ſub reformatione tantiſper reviviſcerent. Deplorandum ſaltem id eſt, quòd corruptio, ſub quâ ubique Chriſtiani jacent, prohibeat, quò minus plebs ſacra jura ſua ubique & ſemper & quoad omnia exerceat, eſt enim illa hanc ad rem ſæpiùs inidonea, nec admitti poteſt, cùm aliàs turbas eſſet motura & rotunda quadratis miſtura. Cæterùm in Conciliis & circa dogmata & circa cultum diſciplinamque & omnia alia Eccleſiaſtica diſquiſitio fit juxta utique verbum DEI, quod in genere norma Chriſtianorum eſt, juxta & confeſſiones atq; conſtitutiones alias eccleſiaſticas,

olim

Digitized by Google

olim jam vel in conciliis vel aliâs factas, quæ utpote dudùm adoptatæ quæſtionem controverſam hiſtoricè ſæpius decidere poſſunt. Sed hæc quidem de Eccleſiâ & conciliis ex *ἰέπτῳ παιδείας* communi ſufficiant, ſi ſaltem hoc monuerimus, ea, quæ de Capite Eccleſiæ viſibili, deque primatu Petri & Pontificis Romani ex *Matth.* XVI. 18. Romanenſes jactitant, in tractatu de *originibus juris eccleſiaſtici veràque ejuſdem indole* ſatis à nobis diluta fuiſſe, nec vel conciliis vel Pontifici infallibilitatem tribui poſſe, tùm quòd probari illa nullatenùs poteſt nihilque in ſanctioribus literis hanc in rem cautum eſt, tùm quòd & concilia & Pontifices Romanos plurimùm erràſſe conſtat.

§. IV.

Reſtat, ut iis, quæ diximus, pauculas quaſdam obſervationes adhùc adſpergamus. I. Sententia Eccleſiæ noſtræ de articulo hoc elata exſtat in *Aug. Confeſſ. Art. 7.* Verba ſunt: *Item docent, quod una ſancta Eccleſia* (ſc. inviſibilis) *perpetuò manſura ſit. Eſt autem Eccleſia* (ſc. inviſibilis illa) *congregatio ſanctorum, in quâ* (ſi nempe externum, cui fideles admixti ſunt, cœtum reſpicias,) *Evangelium rectè docetur & rectè adminiſtrantur ſacramenta.* Non quòd ſemper ejusmodi quidam cœtus purior exſtet, ſed, quòd, ubi Eccleſia viſibilis purior datur, ea ejuſmodi characteribus florere debeat.

Digitized by Google

debeat. Addi debet *Apologia A. C. C.* 4. ubi ſanè egregiè dicitur, quòd Eccleſia non ſit *externa politia*, & quòd Eccleſia ſit *congregatio ſanctorum, qui verè credunt Evangelio Chriſti & habent Spiritum S.* etſi in externo cœtu etiam plurimi mali ſint admixti, qui verò propriè ad Eccleſiam haud pertineant. Et in *artic. Smalc. P. 3. C. 12. exſtat: Nequaquam largimur ipſis, quod ſint Eccleſia ſc.* ſenſu illo proprio, quo per Eccleſiam intelliguntur *credentes, ſancti, oviculæ audientes vocem paſtoris ſui.* Atque de hac Eccleſia agit Symbolum Apoſt. ubi: *Credo ſanctam Eccleſiam catholicam*, de hac agunt quoque propoſitiones 72. & ſequentes, in conſtitutione Clementinâ *Unigenitus* perperam damnatæ. De conciliis verò genuina ſententia ponitur in *Artic. Smalc.* ſub finem *præf. p. 362. O Domine JESU Chriſte, indicito & celebra tu ipſe concilium & libera nos adventu tuo glorioſo!* Scilicet dudum triſtis experientia docuit, conciliis, colloquiis & conventibus ſacris rem Chriſtianam adeò non promoveri, ut potius turbetur, quoniam omnia hìc vi, ambitione, præjudiciis & anathematiſmis aguntur, & ſtudium veritatis, pietatis, humilitatis, ſimplicitatis, pacis tolerantiæ verique Chriſtianiſmi practici ut plurimum hìc prorſus exulat. II. Conſtat, Romanenſes tantoperè tripudiare, ubi ex Patribus ejuſmodi dicta contra Proteſtantes afferunt, queis dicitur, quòd extra Eccleſiam nemo ſalvari

poſſit,

Digitized by Google

poſſit, quòd & ſchiſmatici & hæretici, qui ab Eccleſiâ abſcedant, certò damnentur. Reſpondeo, magnum hìc ſolœciſmum logicum committi, (1) quòd gratis ſupponitur, nos ab Eccleſiâ Romanâ ſeceſſiſſe, cùm tamen injuſtè ab eâ à Pontificibus Romanis expulſi fuerimus, injuſta autem excommunicatio à corpore Eccleſiæ ſpirituali neminem excludere poſſit, uti conſtat ex *conſtitutione Clementinâ Unigenitus*, ubi *n.* 91. hæc habetur propoſitio à Clemente XI. perperàm damnata: *Nunquam eximus de Eccleſiâ, etiam quando hominum nequitia videmur ab eâ expulſi, quando DEO, JESU Chriſto atque ipſi Eccleſiæ per charitatem affixi ſumus.* Et n. 92. additur: *Pati potiùs in pace excommunicationem & anathema injuſtum quàm prodere veritatem eſt imitari S. Paulum: tantùm abeſt, ut ſit, erigere contra ſe autoritatem aut ſcindere unitatem.* Adjici & debet *n.* 93. *JESUS quandoque ſanat vulnera, quæ præceps primorum Paſtorum feſtinatio infligit ſine ipſius mandato, JESUS reſtituit, quod ipſi inconſiderato zelo reſcindunt & n.* 94. *Nihil pejorem de Eccleſiâ opinionem ingerit ejus inimicis quàm videre, illic dominatum exerceri ſupra fidem fidelium & foveri diviſiones propter res, quæ nec fidem lædunt nec mores.* Tacemus cætera. (2) In hoc argumento quoque tùm miſerè peccatur, ubi ab Eccleſiâ vetere, orthodoxâ illâ & longè puriore ad Eccle-

ſiam

ſiam Romanam modernam; quæ & in fide & in cultu nimium quantum ab illâ abit, concluditur. Obſerva quæſo, lector, hunc Proteſtantium canonem, ἰξαγώνιον illum; *ab Eccleſiâ primitivâ ad Romanam modernam non valet conſequentia.* Id quod ex ipſâ rei naturâ & utriuſque collatione patet. Ab Eccleſiâ autem falſâ & hæreticâ ſeparatio quæ fit aut ſeceſſio, non ſaltem licita ſed & præcepta eſt per communia Patrum Eccleſiæ effata, quorum quædam *notis* ad *Corpus doctrinæ moralis Sorbonicum* vel potius *mandatum NOAILLIANUM* adjectum *p. 59. 60.* adſperſimus. III. Nullum ferè argumentum tot eruditorum lucubrationibus excultum fuit, quàm hoc de Eccleſiâ argumentum. Nolumus, quæ hanc in rem noſtri, inter quos MUSÆUS & JÆGERUS eminent, implevere, ſcrinia excutere. Hæc quippe ſatis nota ſunt. Inter Romanenſes velim hic vel maximè conſuli τὸ INTERIM, poſteà Bellarminum, Walenburchios, Erbermanum. Inter recentiores verò hic evolvendus venit libellus, qui titulum fert: *funffzig motiva, warum der Römiſch-Catholiſche glaub zu erwöhlen*, *Mainz 1710. 12.* & liber amplior, qui prodiit ita inſcriptus: *Aufrichtiger abriſs der wahren und ganzen Catholiſchen Kirchen, entworffen von einem vornehmen und hochgelahrten Herrn von Adel. Cölln 1714. 4.* At verò longè prolixius adhùc & curatiùs argumentum hoc

hoc contra Proteſtantes evolverunt Romanenſes Galli, qui ſanè & putant, in bello iſto theologico, quod Eccleſia Romana cum Proteſtantibus gerat, ab articulo de Eccleſiâ initium faciendum eſſe, utpote ex quo per propoſitiones generales ſeu præjudicia, quæ appellant, Proteſtantium fides uno ictu ſubrui poſſit. Agmen ducit JACOBUS BENIGNUS BOSSUETUS, Epiſcopus quondam Meldenſis, qui profectò, ſi quis ita, ut par eſt, rem hanc inſpicere cupiat, cum curâ eviſcerandus eſt, & qui vel maximè in *Hiſtoire des variations des Egliſes Proteſtantes T. 2. L. 15. p. 379. ſqq.* articulum de Eccleſiâ tractat. Ponit verò hîc BOSSUETUS primùm quatuor puncta, quæ putat eſſe ἰξαγώνια (1) Eccleſiæ vocem in ſacris literis ſemper deſignare coetum viſibilem, (2) Eccleſiam perpetuò durare, (3) ex quo prono nexu ſequatur, per Eccleſiam veritatem ſemper prædicari, unde & (4) ea infallibilis ſit. Addit, agnoſci hoc ab ipſimet Proteſtantibus, maximè in *Aug. Confeſſ.* in *Apolog.* in *Art. Smalc.* in *confeſſ. Saxon. Wirtembergicâ*, *Bohemicâ*, *Argentoratenſi* aliiſque. Cùm dein pateret, hâc ratione cauſam Proteſtantium prodi, ubi ſtatuatur, quòd Eccleſia vera viſibilis ſemper ſubſiſtere debeat, Eccleſiam quippe Lutheranam ante Lutherum monſtrari non poſſe, inventam fuiſſe diſtinctionem inter Eccleſiam viſibilem & inviſibilem

dictum

dictumque, Eccleſiam ſubinde perſecutionibus errorumque & ſuperſtitionum nebulis tegi & obſcurari poſſe, etſi & ſimul affirmatum adhùc fuerit, articulum ſymboli de Eccleſiâ Eccleſiam externam reſpicere. Ait porrò BOSSUETUS, præſtantiſſimos Theologos Reformatos JO. CLAUDIUM & PET. JURLÆUM perpetuam Eccleſiæ viſibilitatem agnoſcere, CLAUDIUM quidem hoc ita intellectum velle, quòd nunquam deficere poſſit ita Chriſtianum in terris nomen, ut non etiam cœtus quidam viſibilis, licet hæreticus ille, licet etiam idololatricus monſtrari poſſit, in quo veri fideles lateant, JURLÆUM verò cum CLAUDIO PAJONIO ita mentem ſuam informare, ut ajat, Eccleſiam in genere ſic appellitatam ſumendam eſſe in toto ſuo complexu, nihilque eſſe aliud quàm ſyſtema omnium Chriſtianiſmi ſectarum, in quibus omnibus utique ſemper & veri Chriſtiani exiſtant. *Que toutes les ſocietés Chrétiennes, qui conviennent en quelques dogmes, en cela même qu' elles conviennent, ſont unies au Corps de l' Egliſe Chrétienne, fuſſent-elles en ſchiſme les unes contre les autres JUSQUES AUX EPEES TIREES.* Nolumus afferre in rem præſentem, quæ ſequuntur, ubi BOSSUETUS Theologos hoſce Reformatos refutat, nolumus & addere illa, quæ in inſtructionibus ſuis Paſtoralibus idem hanc in rem cumulavit. At verò & eundem hunc

articulum contra Proteſtantes plurimùm excoluere PET. NICOLIUS, LUD. MAIMBURGIUS, LUD. THOMASSINUS, LUD. FERRANDUS, PAULUS PELLISSONIUS, JO. BAPTISTA D' ANTECOURT & vel maximè quoque ANT. ARNALDUS & JO. DEZIUS, itemque FRANCISCUS MOTHÆUS FENELONIUS, tum in libello *du miniſtére des Paſteurs*, quem *Pariſ. 1688. 8.* antequàm in Epiſcopum evaderet, Abbas ſcripſit, tùm in *inſtructionibus* quibuſdam *Paſtoralibus*, quas Archiepiſcopus Cameracenſis edidit. Ex Reformatis præcipui Autores ſunt PAJONIUS, CLAUDIUS, JURIÆUS, LARROQUANUS & BASNAGIUS, quibus ſi velis, addi poterunt PETRI duo, BÆLIUS & POIRETUS, hic vel maximè in *Irenico* ſuo *univerſali*. Nec taceri hic debet anonymus inſignis, à clariſs. STRUNZIO ſub examen vocatus, de quo & in libro ſingulari de *originibus juris eccleſ. p. 211.* quædam diximus, *von der vvahren Kirche, vvas und vvo ſie ſey, 1709. 12.* At verò, quæ BOSSUETUS hîc urget, quæ & cæteri urgent, nulla ſunt atque omni omninò ſpecie deſtituuntur. Ubi enim primùm dicit Eccleſiæ vocem in ſacris literis ſemper coetum viſibilem deſignare, veterem ſuorum cantilenam, toties à noſtris difflatam repetit. Vide modò *Hebr.* XII. 22. 23. Quod porrò dicitur Eccleſiam perpetuò ſubſiſtere, id de inviſibili

in

id & de viſibili univerſali, id de nomine Chriſtiano & coetu quodam Chriſtiano in univerſum verum eſt, at de coetu quodam externo puro longè falſiſſimum. Unde tertia, quam BOSSUETUS ponit, propoſitio admitti nequit, niſi hoc ſenſu, quo & in cœtu corrupto & ſuperſtitioſo quædam ſaltem veritates fundamentales adhùc prædicantur. Atque ita & quartæ propoſitioni mica ſalis adſpergi poteſt, dicendo Eccleſiam inviſibilem utique infallibilem eſſe, imò & Eccleſiam univerſalem viſibilem, cùm veritatis certus is character ſit, ſi ſemper, ubique & ab omnibus Chriſtianis fuerit credita. Itaque Eccleſia univerſalis utique, ubi prorſus ſecum ipſa conſentit, infallibilis eſt. At verò ab Eccleſiâ univerſali omniumque ſeculorum & locorum Eccleſiâ ad Eccleſiam quandam particularem modernam inepta & nulla eſt, quod probè notes velim, lector, conſequentia. Cæterùm BOSSUETO id, qui veritatem ſector, non negaverim, ſyſtema hujus articuli de Eccleſiâ ab initio reformationis haud ſtatim tàm accuratum confectum fuiſſe, prout id jam, ubi res magis deducta atque explanata à ſapientibus eſt, confici poteſt. Unde non eſt, quòd verba confeſſionum tantoperè premantur, quæ verò & ſemper, ſi ſalis grano condiantur, rectè explicari poſſunt. Porrò malè facit omninò BOSSUETUS, quem & cum cæteris hîc plurimùm ſequitur DEZIUS, quod diſtinctionem inter Eccleſiam viſibilem & inviſibilem reji-

rejicit. Dicant, quæſo, ſi placet, & reſpondeant hic Viri præſtantiſſimi, num Eccleſia tempore Regum idololatricorum Vet. Teſt. fuerit viſibilis, num fuerit viſibilis tempore Chriſti, ubi Salvator fuit crucifixus & diſcipuli diſperſi, tempore itidem perſecutionum horrendarum, queis tecta olim ea fuit, tempore Arianiſmi, ubi totus mundus Arianum ſe evaſiſſe miratus eſt, Eutychianiſmi aliarumque hæreſium graſſantium? Ut taceam, nullum coetum fidelium in hoc mundo dari, ex ſolis fidelibus, qui profectò ſoli Eccleſiam propriè conficiunt & qui per omnes ſectas utique diſperſi ſunt, compoſitum, ut taceam, Eccleſiam in cœlis triumphantem utique inviſibilem eſſe. Nec tamen & id negaverimus, in quibusvis ſeculis, mediis quoque in tenebris exſtitiſſe teſtes & confeſſores hujus vel illius veritatis divinæ, quæ tunc ſepulta jacebat, quò & totæ Eccleſiæ referri debent e. g. Eccleſia Græca, Eccleſiæ Waldenſium & Huſſitarum, aliæ, quæ, etſi in omnibus veritatem haud tenuerint, in multis tamen eam maſculè confeſſæ ſunt. Denique CLAUDII & JURIÆI ſyſtemata egregiè componi & in unum flari poſſe quis eſt, qui non videat? Benè enim conveniunt & in una ſede morantur hæ duæ propoſitiones: *Etiam in medio coetu errante DEUS per gratiam extraordinariam ſibi fideles ſervat, & hâc ratione vera Eccleſia ſemper eſt viſibilis viſibili utpote inviſibiliter immixta*, &: *Eccle-ſia*

ſa univerſalis, hoc eſt, ſyſtema omnium in Chriſtianiſmo ſectarum, in quâ utique ſemper quidam ſalvantur actu, ſemper viſibilis eſt. Sed hæc quidem circa diverſa Autorum, quæ de Eccleſiâ ſibi illi formavere, ſyſtemata ſufficiant.

III. Romanenſes ergò in theſibus ſuis de Eccleſiæ perpetuâ infallibilitate, autoritate & inviſibilitate mirè errant, adeoque & lubrico fundamento viam autoritatis, quam neceſſariam ſalvando arbitrantur, ſuperſtruunt, maxime cum viam autoritatis & rei ipſius natura & ſanctiores literæ & fallibilitas diſſenſuſque & errores Eccleſiarum particularium conciliorumque & Pontificum ſingularium haud patiantur nec ad viam autoritatis niſi per viam examinis perveniri poſſit. Vide *primitias* noſtras *Tubing. P. 2. p 53.* Cæterum ponamus, ponamus, quæſo, Eccleſiam eſſe infallibilem, ponamus, ei ſoli parendum in rebus fidei eſſe, ponamus, ponamus, eam ſemper viſibilem eſſe & perpetuò ſubſiſtere. Ubinam, dic quæſo mihi, ubinam eſt iſta Eccleſia infallibilis? Num forſitan Romæ aut Pariſiis aut alibi? *Matth.* XXIV. 23. 26. At videmus, Romanam & Gallicanam nunc ſecum invicem de veritate certare, videmus, Eccleſiam Romanam ejuſmodi hodiè principia adoptare, quæ olim damnaverat, imò quibus poſitis omnis veritas divina veteriſque Eccleſiæ deciſio pedibus conculcantur, videmus, eandem, re haud probè perſpectâ decidere litem non ſatis cognitam, videmus, ad deciſiones ejuſmodi cudendas artibus & ambitu politico omnia

agi, nec de veritate hic ſed de vexandis hâc methodo hominibus aulæ Romanæ, Ordini Jeſuitico & Moliniſtis quibuſvis contrariis hic quæſtionem eſſe, videmus &, eſſe Epiſcopos Germanos, qui Eccleſiæ Romanæ heic quoad *conſtitutionem Clementinam Unigenitus* nondum adhinniant, videmus denique, Eccleſiam ipſam Romanam, ſi res curatiùs inveſtigetur, NUNQUAM LOQUI. Vel enim per ſolum Pontificem vel per Concilium illa loquitur, & quando loquitur, excluſis ſemper laicis loquitur, quòd ſanè, ſi ita eſt, (neque enim laici heic beſtiarum vel mutorum eanum loco haberi debent,) PLANE NUNQUAM LOQUITUR, cùm deciſio fidei judicialis Pontifici vel Concilio neque à Chriſto neque ab Eccleſia tradita ſit. Accedit, Pontifices maximam partem Theologiæ nullam unquàm operam dediſſe, valere & heic appellationem à Papa malè informato ad melius informandum, à Pontifice ad Concilium univerſale, dici & ſubinde, Pontificem hic & nunc in cathedrâ haud pronunciâſſe hæcque omnia ita inflecti etiam à ſummis Papæ adulatoribus, ut infallibilitas & autoritas Papæ vel tandem in purum putum ſpectrum degeneret, id quod ex cauſâ Sinenſi, ex cauſâ conſtitutionis Unigenitus & Janſeniſmi ad oculum ſapientibus patet. Accedit & id, Pontifices toties in rebus controverſis vel rem non decidiſſe vel actu erráſſe & ſanè erro-

ribus

ribus fundamentalibus totos obſitos eſſe. Quænam igitur eorum quæſo eſt infallibilitas, quænam autoritas? Accedit denique, Concilia non amplius congregari, & ſi congregentur, acanonica eſſe & minus libera & tyrannica, item erronea, & quid non? ut taceam, argumenta, quæ ex ſcripturis ſacris pro infallibilitate Pontificis, quam ſanè Eccleſia Gallicana per ſcamnum negat, & Conciliorum eorumque autoritate & perpetuâ Eccleſiæ viſibilitate & duratione promuntur, tàm jejuna eſſe, ut tuſſim cieant. Provocamus ad rem ipſam & ſecurè provocamus, qui ob inſtituti hujus noſtri, dogmatici illius, brevitatem in campum hunc polemicum ingredi nunc non poſſumus & ad aliam occaſionem hæc ipſa reſervamus. Demus verò unicum ſaltem rei exemplum. Ad abſolutam Eccleſiæ autoritatem probandam adfertur *Matth.* XVIII. 17. *Dic Eccleſiæ*, cùm tamen de Eccleſiâ, quæ dicit Eccleſiam Chriſtianam, utpote tùm nondum conſtitutâ *Matth.* XVI. 18. hic non agatur, ſed de Synagogâ vel cœtu quodam amicorum hanc in rem præciſè convocatorum, non ut articulos fidei determinent ſed ut lites inter fratres obortas per amicabilem compoſitionem, ubi tanquàm arbitri illi reſpiciuntur, nec tamen facultatem decidendi abſolutam & quà ad ſuam ſententiam ſequendam litigantes obſtringere poſſint, habent, exſtinguant. Et tamen hinc

Digitized by Google

autoritas Eccleſiæ Romanæ infallibilis communiter probatur atque ita à ecpis ad altia concluditur. Jam & abominanda ſunt, quæ de autoritate Pontificis habet BELLARMINUS *L. 4. de Rom. Pontif. C. 5. ſub finem. Si Papa erraret præcipiendo vitia & prohibendo virtutes, teneretur Eccleſia credere, vitia eſſe bona & virtutes malas, niſi vellet contra conſcientiam peccare.* Quæ utique horrenda ſunt. IV. Nulla planè hierarchia politica à Chriſto fuit conſtituta aut Eccleſiæ caput quoddam viſibile in perpetuum impoſitum, quale Petrus Apoſtolus fuiſſe fingitur, quale & hodie Pontifex Romanus, qui Petri ſucceſſorem miro ſolœciſmo ſe eſſe exiſtimat, eſſe dictitatur. Nec & hierarchiæ vel Epiſcopalis vel Preſbyterianæ neceſſitas quædam à Chriſto impoſita ſed à Synagogicâ ferè diſciplinâ ordo in Eccleſiam ab Apoſtolis derivatus, ita ut Eccleſiis hactenùs hîc libertatem ii relinquerent, quamnam hic diſciplinam pro re natâ fingere vellent & efformare. Vide omninò tractatum de *originibus Juris eccleſiaſtici*, quem nuper edidimus. Succeſſio autem miniſterii Eccleſiaſtici canonica, uti mox probabimus, in Eccleſiâ omni dudùm deſiit. V. Inſulſa hæc eſt quæſtio, ubi Eccleſia Lutherana fuerit ante Lutherum? Si enim iſta reſolvatur, ſtatim præſtigiæ & ſophiſmata patent. Quæritur enim hîc: Num ante Eccleſiam noſtram quoque fuerit cœtus aliquis inde ab Eccleſiæ plan-

plantatione, ubi Evangelium ita uti apud nos hodie fit, prædicatum & ſacramenta juxta inſtitutionem Chriſti fuerint adminiſtrata. Jam reſponſio facilis eſt omneſque ſtatim tenebræ diſſlantur. Scilicet ad Eccleſiam Apoſtolicam heic Romanenſes ablegandi veniunt, primam illam, quæ cùm deinde in ſequioribus temporibus erroribus circa fidem & ſuperſtitionibus quoad cultum, retentis tamen, quod neceſſarium erat, ne penitus deficeret & Chriſtianum nomen perderet, quod perire juxta promiſſionem Chriſti haud poteſt, verbo & baptiſmo variiſque egregiis doctrinis fundamentalibus & ſubinde teſtibus veritatis tùm ſingularibus tùm totis cœtibus in medium prodeuntibus, inficeretur, omninò par fuit, ut eadem per vaſa ill electa DEI, quale & Megalander LUTHERUS exſtitit, reformaretur. VI. Quæritur &, num Eccleſia Romana ante reformationem vel vera fuerit vel falſa. Reſpondeo: Ante omnia evolvendum eſſe & quæritandum, quid per veram Eccleſiam intelligatur. Si congregatio ſanctorum, quæ ſola eſt vera Chriſti ſponſa & corpus illud Chriſti, quod ſine maculâ eſt, hic terminus planè ad nullam particularem Eccleſiam quadrat. Si cœtus viſibilis, in quo verbum DEI rectè prædicatur & ſacramenta rectè adminiſtrantur, nego, quòd Romana Eccleſia ante Reformationem vera fuerit. Si denique cœtus ejuſmodi, qui licet multis erroribus,

Digitized by Google

licet multis ſuperſtitionibus taminatus ſit, tamen adhuc verbum DEI verum, verum baptiſmum, multas alias veritates divinas longè egregias, veros itidem fideles veraque Chriſti membra poſſidet, reſpondeo, quòd ſi terminum hàc ſignificatione inadæquatâ & abuſivâ ſumere velimus, utique Eccleſia Romana ante reformationem, uti & nunc, vera Eccleſia tantiſper dici poſſit. Res facilis eſt, ſi judicii ſaltem lucernam heic adhibere volueris. Aſt ais, non comprehendi poſſe, qui in Eccleſiâ idololatricâ fideles adhùc exſtare etiam per gratiam DEI extraordinariam poſſint, cùm idololatria ſit peccatum mortale nemoque in Eccleſiâ ejuſmodi toleretur, qui non actus ejuſmodi idololatricos committat. Reſpondeo, nodum hunc durum eſſe. Diſtinguo tamen inter idololatriam formalem & materialem eſtque hoc magnum quoddam Theologiæ aſceticæ & myſticæ myſterium, quod actus externus idololatricus à forma hàc per affuſionem cordis regeniti & ſancti & ſimplicis nullumque errorem hîc metuentis, ubi DEUS, qui unicè cor reſpicit, connivet & tolerat, liberari & depurari poſſit. Qui capit, capiat, quæ alibi prolixius diducemus. Vide interim diſſ. noſtram aſceticam de *guſtu ſpirituali*, *quo naturam à gratiâ diſtinguimus* §. 9. p. 21. Nec tamen, quod probè notes velim, exinde ſequitur, ut hàc ratione quivis, qui & aliter perſuaſus & melius

meliùs informatus eſt, prout libuerit & commoda ſuaſerint, actus iſtos materialiter idololatricos ſine idololatriæ formalis patratione committere poſſit. Nulla eſt inquam & inficeta hæc conſequentia. Quin couſque nos vadimus, ut dicamus, quòd, ſi & unicus ſaltem in Eccleſiâ Romanâ error eſſet, qui publicè defenderetur atque ad quem, qui aliter perſuaſi ſumus, profitendum Eccleſia illa nos cogeret, vel ob hanc ſolam rationem non liceat ad Eccleſiam illam tranſire, cùm aliàs in nefandam hypocriſin, qui heic etiam in errore ſaltem minùs fundamentali condeſcenderet, caſurus eſſet. Quæ ipſa & in diſſ. de *Euchariſtiâ contra Rogerium* p. 4. jam extulimus & in diſſ. de *articulis fidei fundamentalibus p. 9. & 10. notâ (ſ) & p. 17.* notâ (m) datâ operâ repetiimus. VII. Principium aureum in articulo de Eccleſiâ, quod ſemper repetendum mentibuſque feriò inculcandum & jugiter inſtillandum atque commendandum eſt, tolerantia eſt, quàm ſanè &, quicunque ſapit, nec præjudicio heic capitur, ſtatim adamabit & exoſculabitur. Scilicet nemini jus competit, alterum COGENDI, ut præciſe ita quoque cogitet & credat, uti ipſe cogitat & credit. Abſurdum hoc & inſulſum eſt, ejuſmodi quoddam jus ſibi arrogare. Porrò cùm intellectus non cogi ſed perſuaderi ſaltem poſſit, ſola via ſuaſionis hic adhibenda eſt, quæ ſi minùs ſucceſſerit, PATIENTIA SANCTORUM HIC

EST

Digitized by Google

EST exercenda rationeſque ſemper & preces ad perſuadendos errantes denſandæ verbaque, quæ in hunc finem fundimus, prudentiâ (quæ ſi diſputanti haud competat, ſilentio is ſua premere debet) ſemper diluenda ſunt. Tertiò cùm nullus judex perſonalis Eccleſiaſticus à Chriſto conſtitutus ſit nec hodie detur, nec neceſſarium hoc ſit, ut ejuſmodi Judex humanus jam exſtet, ubi ſibi ſoli hoc judicium Chriſtus in noviſſimo die adminiſtrandum reſervavit &, quæ præcipua ſunt Chriſtianiſmi dogmata, nativâ quâdam luce in ſacris literis fulgent, & in fundamentalibus diſenſus utique tolerandus eſt. Quin niſi tolerantiæ huic, civili ſcilicet, manus demus, vel turbæ in republicâ vel tyrannis in conſcientias, horrendæ peſtes illæ, orientur. Quartò, niſi tolerantiæ viam adhibeas, nonniſi hypocritas feceris. Hos enim vis gignit. Nec ſanè tolerantiam ejuſmodi ideam Platonicam ſaltem eſſe, quinimò & magna reipublicæ commoda parere illamque plurimùm evehere fœderatum Belgium docet. Quod tamen cùm ponimus atque amorem ſectæ ſic jugulatum volumus, abſit tamen; ut indifferentiſmum, ut ſyncretiſmum approbemus, cùm dudùm hanc nobis legem in diſſ. de *articulis fidei fundam. p. 17.* poſuerimus, quemvis errorem, etiam qui prorſus haud momentoſus eſſe videatur, ita nobis eſſe evitandum, tanquàm peſtem mor-

mortemque is ſecum ferret, aſt, ubi de aliis pronunciandum ſit, in mitiorem partem ſemper eſſe deſcendendum ob exemplum Domini, qui maximos in diſcipulis errores toleraverit. Præcipuum id eſt, ut veritates illæ, quæ verum eumque internum Chriſtianiſmum fundant, illibatæ ſerventur, queis utpote poſitis omne id ponitur, quod neceſſarium eſt, queis verò negatis omnia cadunt. Cæterum ex iis, quæ hìc ponimus, facilè, quo loco nobis, qui Aug. Conf. ſequimur, alii cœtus Chriſtiani eſſe debeant, patet. Denique VIII. & de Separatiſmo paucula quædam adjicienda veniunt, qui ab iis adoptatur, qui in peculiarem cœtum eundo ejuſmodi collegium quoddam componere avent, quod ex meris piis vel ſaltem maximam partem ex piis conſiſtat. Nec ſanè refragor hìc egomet, ſi ſaltem hàc ratione vel cœtus, qui relinquitur, emendaretur, vel novus, qui componeretur, ita ſtatim firmaretur, ut compoſito illo poſt annum vel biennium vel triennium haud neceſſum ſit, in novum ſchiſma abire. Etenim fervet hìc utplurimùm principium, medium tepet, ultima frigent, ita, ut vel tandem & ejuſmodi cœtus quoad faciem ſuam internam & corruptionem internam cum iis, è quibus originem ſeparando ſe ſumſere, coincidant. Hæc itaque cùm facile ſapiens proſpicere poſſit, ſanè convenit & decet & neceſſarium quoque eſt, ab omnibus

bus ſchiſmatibus & ſeparationibus, (quæ non ferè niſi in caſu tyrannidis eccleſiaſticæ licitæ ſunt,) manum abſtrahere, atque cultui externo, ſi etiam jejunus iſte & frigidus ſit, nihilominùs operam dare rituſque iſtos externos miniſteriumque etiam publicum hominum impiorum ad ædificationem, quantum pote, inflectere atque adhibere. Quod ipſum ſanè cùm ſapiens quivis facilè fecerit, is è contrario, qui ejuſmodi prudentiâ haud floret & cui ob inconſultum & inordinatum zelum ſemper ſanguis in venis bullit, nunquam facere aptus aut idoneus erit. Rogandus itaque eſt Dominus, ut manſuetam nobis heic mentem, ut ſuam nobis heic ſapientiam donet, preceſque à nobis ſemper denſandæ monitaque ſpiritualia & converſatio ſancta ſemper continuanda ſunt, ut errantes, ut peccatores, ut impios lucremur, & quantum pote, Eccleſiam noſtrâ quoque operâ corrigamus, certi, laborem noſtrum divinâ benedictione haud caritutum eſſe. Aſt, qui uno tractu hunc de Eccleſiâ articulum compoſuimus & conſcripſimus, jam fatigatam manum vel tandem in ſinum replicamus.

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO SECUNDA

DE

MINISTERIO ET HIERARCHIA

DEQUE CULTU PUBLICO ET DISCIPLINA ECCLESIASTICA, UBI ET DE CLAVIBUS ECCLESIÆ, DE CONJUGIO SACERDOTUM, DE MIRACULIS, DE HÆRESI ET DE ANTICHRISTO AGITUR.

§. I.

JAm verò, ubi locum de Eccleſiâ enucleavimus, reſumimus illicò calamum & de miniſterio eccleſiaſtico mentem quoque noſtram promimus. Ut enim hùc jam eamus, ordo rerum poſcit. Nec enim, licet nuper in libro ſingulari de *originibus juribus eccleſiaſtici & verà ejuſdem indole* ſententiam noſtram enarraverimus, ut jam hanc in rem penitùs ſileamus, convenit. Scilicet continuandum heic nec abrumpendum rerum filum aut hiatus quidem relin-

Digitized by Google

linquendus eſt. Dicamus, agedum, præcipua & juxta quidem communem tractandi methodum dicamus I. DEUS eſt, qui miniſterium eccleſiaſticum inſtituit *Pſalm.* LXVIII. 12. 1. *Cor.* XII. 28. 2. *Cor.* V. 18. *Jerem.* III. 15 XXIII. 4. *Joel.* II. 23. Pater *Hebr.* I. 1. *Gal.* I. 16. Filius *Matth.* X. 1. *Luc.* IX. 1. *Matth.* XXVIII. 19. *Marc.* XVI. 15. *Eph.* IV. 11. *Joh.* XX. 21. 1. *Cor.* I. 17. IV. 1. 2. *Cor.* V. 20. & Spiritus S. *Act.* XX. 28. 1. *Cor.* XII. 4. 5. 6. 2. *Cor.* III. 6. II. Miniſtros Eccleſiæ vocandi & conſtituendi jus radicaliter penes totam Eccleſiam eſt, etſi illa id exercere tota nequeat *Act.* I. 23. ſqq. VI. 3. 5. 6. XIV. 23. 1. *Cor.* XVI. 3. 2. *Cor.* VIII. 19. Jam enim toti Eccleſiæ claves ſunt traditæ *Matth.* XVI. 19. XVIII. 18. omneſque debent probare doctores *Matth.* VII. 15. *Joh.* X. 27. *Gal.* I. 9. 1. *Theſſ.* V. 19. 21. 1. *Joh.* IV. 1. Et Miniſtrorum Eccleſiæ nomenclatio hoc ipſum oſtendit 1. *Cor.* III. 21. 22. 2. *Cor.* I. 24. 1. *Petr.* V. 2. 3. Adde 1. *Tim.* III. 7. ut taceam ſacerdotium omnibus competens. Et certè in primitivâ Eccleſiâ in electione miniſtrorum Eccleſiæ populus cum clero concurrit, uti in *locis theolog.* de *miniſt. Eccl.* §. 87. prolixè JO. GERHARDUS probat. Jam verò concurrunt hic Princeps nominando, eligendo, præſentando & confirmando, (niſi quidem Patronus adſit, qui jus nominandi & præſentandi ex fundatione & dotibus in Eccleſiam

colla-

ollatis habet, id quod tamen in fraudem Eccleſiarum exerceri nequit,) Clerus examinando & ordinando & plebs approbando. Jam autem probè hîc diſtinguenda ſunt nominatio, electio, vocatio ſive confirmatio, præſentatio, ordinatio & inveſtitura. III. Vocari poſſunt & debent nonniſi idonei tùm quoad ſcientiam & eruditionem tùm quoad dona naturalia & ſpiritualia, adminiſtrantia & ſanctificantia, adeoque & quoad vitam. *Jerem.* XXIII. 1. *Rom.* IX. 15. *Eph.* IV. 11. 1. *Tim.* III. 3. *Tit.* I. 5. Mulieres verò planè vocari non poſſunt. 1. *Cor.* XV. 34. 35. Jam verò & ſine vocatione nemo ad miniſterium ſacrum provolare poteſt *Rom.* X. 15. *Jer.* XXIII. 31. 32. *Joh.* III. 27. *Hebr.* V. 4. 2. *Cor.* V. 20. *Eph.* VI. 20. 1. *Cor.* IV. 1. ut exempla vocatorum in Vet. & Novo Teſtamento taceamus. Eſt autem vocatio vel mediata ſive ordinaria vel immediata ſive extraordinaria. Hæc ab ipſo DEO facta olim fuit vel ſine ullius hominis interventu, ut vocatio Moſis *Exod.* III. 4. & Eliæ 1. *Reg.* XVII. 2. vel per internuncium, uti vocatio Aharonis per Moſen *Exod.* IV. 14. & Eliſæi per Eliam 1. *Reg.* XIX. 19. vel per ſortem, uti in electione Matthæi *Act.* I. 26. quod vocationis genus veteris & novi Teſtamenti Eccleſiæ naſcenti proprium fuit & temporarium. Mediatà verò ſive ordinaria vocatio eſt, quæ per homines immediato DEI juſſu haud actos fit. *Tit.* I. 5. 2. *Tim.* I. 6. II. 2. *Act.*

2. *Act.* XIV. 23. Quamvis verò mediata ea ſit, eſt tamen divina. Sic Paulus *Act.* XX. 28. omnes Eccleſiæ Epheſinæ Epiſcopos & Preſbyteros, quos mediatè ad miniſterium perveniſſe nemo negat, ab ipſo Spiritu S. gregi ſuo præpoſitos eſſe affirmat. Et non minus Doctores & Paſtores mediatè vocati quàm Prophetæ, Apoſtoli & Evangeliſtæ, immediatè vocati hi, à Chriſto Eccleſiæ dati perhibentur *Eph.* IV. 11. 12. 1. *Cor.* XII. 28. Id quod ſanè & rectè ex efficaciâ ejuſmodi miniſterii concluditur 1. *Tim.* IV. 16. 1. *Cor.* III. 6. 8. IV. Objectum perſonale miniſterii Eccleſiaſtici dicitur eſſe grex Domini *Act.* XX. 28. 1. *Petr.* V. 2. 1. *Tim.* III. 15. 16. *Luc.* XII. 42. reale tùm myſteria divina, verbum nempe & ſacramenta 1. *Cor.* IV. 1. tùm diſciplina Eccleſiaſtica 1. *Tim.* V. 10. 1. *Cor.* V. 4. V. Miniſterium eccleſiaſticum conſiſtit (1) in rectâ verbi prædicatione *Matth.* XXVIII. 19. (2) in rectâ ſacramentorum adminiſtratione *Matth.* XXVIII. 19. 1. *Cor.* XI. 23. (3) in poteſtatis clavium rectâ uſurpatione *Matth.* XVI. 19. XVIII. 18. *Joh.* XX. 23. VI. Adjuncta miniſterii Eccleſiaſtici ſunt (1) neceſſitas 1. *Cor.* I. 21. *Rom.* X. 14. (2) dignitas 1. *Tim.* III. 1. (3) utilitas 2. *Cor.* V. 20. 1. *Tim.* IV. 16 (4) vocatio (5) ordinatio (6) miniſterii gradu 1. *Cor.* XII. 28. *Eph.* IV. 11. De officiis Miniſtrorum Eccleſiæ & auditorum velim omnini hùc transferri, quæ exſtantia in *Theolog. mor*

BUD

BUDDEANA *P. 2. C. 3. ſect. 8.* Imò pertinet hùc omne id, quod de prudentiâ paſtorali ibidem *P. 3. C. 2. & 3.* exſtat. Jam ſi placet, noſtras quoque hîc obſervationes adponamus.

§. II.

Eamus verò agedum per poſitiones. I. Quod vocationem miniſtrorum Eccleſiæ concernit, utique præcipuum hoc eſt, ut ille, qu ad miniſterium eccleſiaſticum deſtinatur vel vocatur, non ſaltem neceſſariâ rerum ſcientiâ eoque ingenio & facultatibus naturalibus ſit inſtructus, queis opus eſt, ſed &, ut, qui ad cœlum alios ducere cupit, ipſemet ſit regenitus Spirituque ſanctiore indutus & divinis, quæ ad implantandum aliis verum Chriſtianiſmum ſpectant, ἰδιώμασι inſtructus. Etenim, ut ab ovo rem repetamus, quivis Chriſtianus, qui non ſaltem nomen hoc fert ſed & jure quodam ſuo poſſidet, eſt Sacerdos, & ſacerdotii hujus externas actiones tùm exerit, ubi (1) χαρίσμασι divinis hùc pertinentibus pollet, ubi (2) neceſſitas id poſtulat, quæ tùm emergit, ubi miniſterium ordinarium in pleniſſimam corruptionem labitur, id quod in temporibus reformationis ita contigit, ubi (3) vel à cœtu toto vel ſaltem ab eo, qui jura collegialia ex commiſſione cœtûs adminiſtrat, vocatur. Et heic quidem egregium id foret, ſi, qui jura collegialia adminiſtrant, ipſimet Spiritu DEI agerentur & vel maximè in vocationibus ſuis ſpiritus probè diſtinguerent, ſi

T t 2 etiam

Digitized by Google

etiam ipſæ vocationes ſpirituali quâdam rerum inveſtigatione, deliberationibus ſpiritualibus, precibuſque vel maximè diluerentur atque ad methodum illam apoſtolicam inflecterentur. Aſt non eſt, quòd hæc ipſa à corruptis temporibus noſtris poſtulemus & è ſilice aquam extrahere cupiamus. Floret enim ubique ferè heic acedia quædam ſpiritualis, quâ negotium hoc tanquàm aliud quoddam negotium politicum tractatur, ut taceam graſſantia alia vitia, Simoniam maximè & nepotiſmum, ut taceam & communia illa præjudicia, quale illud eſt, ubi putatur, quòd is divinâ vocatione fulgeat, qui ſaltem non cucurrit, quòd ea divinæ vocationis quoad vocantes ſit ratio, quando, ſemoto omni alio reſpectu, ſaltem in ordine ſuo quem vocavere, quòd porro omne, quod ordinariam viam non ſapit & per ordinarios homines agitur, non ſit divinum & quæ alia ſunt. Id etiam notandum, omnem *curſum* prohibitum haud eſſe 1. *Tim.* III. 1. Quî enim is damnari poſſit, qui divino zelo animatus ad miniſterium *currit?* Sed communis utique hominum *curſus* damnandus eſt, qui, dum ſalariis, dum commoditatibus, dum honoribus inhiant, currunt. Id etiam notandum, etſi bonum ſit, ſi, qui vocat, ſpiritu divino polleat, atque ita vocationem inflectat, ut divina ipſius ratio ſit, tamen, ſi hæc quoque deficiant, vocatum DE DIVINITATE VOCATIONIS SUÆ ſatis perſuaſum eſſe poſſe, ſi ſaltem de beato animæ

animæ ſuæ ſtatu certus ſit & χαρίσμασι, quæ hîc neceſſaria ſunt, fulgeat. In determinatione deinde hominum ejuſmodi ad certa loca, ubi miniſterium ſuum exerceant, DEUS permittendo, dirigendo, approbando concurrit & tùm maximè, num vocatio noſtra divina ſit, oſtendit, ubi prædicationi noſtræ ſuam benedictionem amplam affundit. Id verò & heic monendum, probè cavere debere eos, qui jura collegialia adminiſtrant, ne homines Eccleſiis obtrudant vel reprobos & impios, id quod horrendum peccatum foret, quo iram DEI certò in ſe devoluturi eſſent, vel ſaltem ejuſmodi homines, quos illæ faſtidiunt & nauſeant, cùm hâc ratione dein ædificatio omnis ceſſet. Neque enim jus hoc ſacrorum, conſtituendi Eccleſiæ miniſtros, quod nunc Magiſtratus politicus habet, eſt jus abſolutum, ex majeſtate vel ſuperioritate territoriali derivandum, ſecundùm quod Magiſtratus ſaltem operam dare debet, ne ii Eccleſiarum miniſtri eligantur, qui ad inſpirandam hominibus religionem inepti ſunt, aut ſeditioſa principia fovent, ſed eſt jus collegiale, quod penes Eccleſiam totam radicaliter eſt, & quod Eccleſia, quæ, quia per totum ſtatum ſe diffudit, illud adminiſtrare amplius non poteſt, vel in Clerum, vel in Principes vel in Presbyteros laicos transfudit, ubi ſanè id & ad mandatum DEI & ad intentionem & ædificationem Eccleſiæ adminiſtrandum eſt, quæ omnia in libro ſingulari de *originibus Iuris eccleſiaſtici &*

Digitized by Google

verâ ejuſdem indole ſatis ſuperque oſtendimus. At verò, ubi de vocatione hic agimus, & id monendum eſt, jura vocationis limitari ſæpius & inflecti pro ratione Eccleſiarum, queis Miniſtri dandi ſunt. Ita ſæpiùs adſunt Patroni, qui jura Patronatûs habent ex beneficiis in Eccleſiam collatis vel quæ adhùc conferuntur, fluentia, ubi qui Patronus eſt, jus nominandi & præſentandi habet, Magiſtratu dein, ſub quo Eccleſia ſtat, ejuſmodi nominatum confirmante, id quod ad Jus epiſcopale, vulgò ſic dictum pertinet. Sequitur tandem ordinatio, ſive ritus ille publicus, quo miniſter nominatus & confirmatus in Eccleſiam ſuam per ordinationem Superintendentis immittitur Eccleſiæque publicè ſic declaratur, hunc porrò ipſius miniſtrum fore. Atque hæc ordinatio à Chriſto quidem ipſo in miſſione Apoſtolorum haud obſervata fuit, ab Apoſtolis verò ex ritibus Judaicis tantiſper licet non univerſaliter tranſſumta, dein in neceſſariam cærimoniam, imo in ſequioribus temporibus planè in ſacramentum Eccleſiæ ceſſit, ubi ſanè ſolis Epiſcopis quoque ordinare Preſbyteros licet. Apud Proteſtantes vero, ubi ejuſmodi ordo hierarchicus haud eſt, alia quoque eſt ordinationis ratio, quæ & à ſolo jure humano non divino derivatur, ubi ſanè & preſbyteri, qui vero iidem cum epiſcopis ſunt, ordinant manuſque imponunt, etſi in Eccleſiis A. C. aliqua ſit ordinis Miniſtrorum Eccleſiæ differentia, ubi ſunt Superinten-

Digitized by Google

rintendentes & Paſtores vulgares. Cæterùm probè notandum, diſcrimen illud inter Epiſcopos & Preſbyteros non juris divini ſed libertatis eccleſiaſticæ & demùm ſeculo II. natum eſſe. Totam rem in tractatu illo noſtro modò citato enucleavimus, ad quem utique lectorem noſtrum, qui brevitati hìc ſtudemus, remittimus. In ſequentibus dein temporibus nati ſunt Patriarchæ, Archiepiſcopi &c. qui characteres omnes itidem jure ſaltem humano nituntur. Et quia jam iſta omnia apud Proteſtantes haud habentur, ajunt Romanenſes, nullos eos veros Eccleſiæ miniſtros habere, & ſucceſſionem miniſterii Apoſtolici apud ipſos penitùs deſiiſſe. Jam enim omnes ordinationes noſtras vel à laicis vel à Preſbyteris originem ſumere, qui ambo utique ſacramentum ordinis conferre nulli valeant. Adſpergi quippe per ordinationem characterem quendam ſanctitatis, ut ita dicam, phyſicum & indelebilem, quo ſolo quis ad validè conſecrandum & alia miniſteria ſacra validè obeunda idoneus reddatur, qui verò character ſic apud nos deficiat. Et heic quidem primùm nobis & ante omnia monendum venit, ordinem miniſterii Apoſtolici, ſi juxta canones hìc agendum ſit, & apud Romanenſes defeciſſe, inde ab eo tempore, quo in ſede Romanà Pſevdo-Pontifices & Simoniaci & hæretici ſederint, qui ſanè validè ordinare non potuerint, partim quòd ipſi canonicè haud ordinati fuerint, partim quòd & per ſimoniam ordina-

Digitized by Google

verint, ut adeò omnes ipſorum ordinationes ipſo facto nullæ ſint. Aſt quot quæſo credis, lector, ab ejuſmodi Pſevdo-Pontificibus, ubi uſque ad tres ſæpius ſederunt & unuſquiſque ordinavit eo tempore, ubi Pontifices ipſimet plurimùm adhùc olim ordinârunt, ordinatos eſſe? Quot, quæſo, hodie adhuc in omnibus, quas Romana fides occupat, regionibus, credis ordinationes eſſe, quæ ab ejuſmodi ordinationibus ſpuriis originem ducant & iiſdem inquinatæ ſint? Certè nemo in Eccleſiâ Romanâ eſt, qui de ſuâ ordinatione ſic certus eſſe poſſit, quòd vera ſit, imò nemo eſt, qui certus eſſe poſſit in genere, quòd vera ſit ſua ordinatio, cùm nemo quidem apud Romanenſes & de baptiſmo vel ſuo vel ordinantis certus eſſe poſſit, cùm certus utique de ſanâ baptizantis intentione, unde baptiſmi efficacia dependet, nemo ſit. Sediſſe autem & ordinâſſe ejuſmodi Pſevdo-Pontifices aliquando, quorum & ordinationes quædam ſubinde reſciſſæ quoque fuere; nemo eſt, qui negare poſſit, qui Hiſtoriam Eccleſiæ, qui & ſchiſmata Paparum noverit, qui noverit & egregium illud Cardinalis BARONII effatum, quod veritas ipſi expreſſit & quod jam hùc ponimus, aureum enim & planè inſigne illud eſt. Inſit verò ille in *Annalibus eccleſiaſticis ad A. 912.* n. 8. f. 686. a. edit. Colon. de anno 1624. *Quæ tunc facies ſanctæ Eccleſiæ Romanæ? quàm fœdiſſima, cùm Romæ dominarentur potentiſſimæ æquè ac ſordidiſſimæ*

ma meretrices, quarum arbitrio mutarentur ſedes, darentur Epiſcopi, & quod auditu horrendum & infandum eſt, intruderentur in ſedem Petri earum amaſii PSEUDOPONTIFICES, *qui non ſint niſi ad conſignanda tantùm tempora in catalogo Romanorum Pontificum ſcripti. Quis enim à ſcortis hujuſmodi intruſos ſine lege legitimos dicere poſſet Romanos fuiſſe Pontifices? Nuſquàm Cleri eligentis vel poſteà conſentientis aliqua mentio, Canones preſſi ſilentio, decreta Pontificum ſuffocata, proſcripta antiqua traditiones, vetereſque in eligendo ſummo Pontifice conſuetudines ſacrique ritus & priſtinus uſus prorſus exſtincti. Sic vendicaverat omnia ſibi libido ſeculari potentiâ freta, inſanieas, œſtro percita dominandi. Dormiebat tunc planè alto (ut apparet) ſopore Chriſtus in navi, cùm hiſce flantibus validis ventis navis ipſa fluctibus operiretur. Dormiebat, inquam, qui iſta non videre diſſimulans ſineret ſic fieri, dum non exurgeret vindex. Et quod deterius videbatur, deerant, qui Dominum ſic dormientem clamoribus excitarent diſcipuli, ſtertentibus omnibus. Qualeſnam reris delectos ab hiſce monſtris Preſbyteros & diaconos Cardinales fuiſſe putandum, cùm nihil tàm naturæ inſitum ſit, quàm unumquemque ſibi ſimilem generare? quos in omnibus iis, à quibus delecti fuerint, conſenſiſſe dubitare quis poterit? imitatoſque ipſos ſectatoſque eorum veſtigia,*

Tt 5 quis

quis non facilè credat? & optâſſe hos omnes, Dominum dormiſſe ſemper & nunquam in judicium ſurrecturum, evigilaturum nunquam ad ipſorum cognoſcenda & punienda facinora, quis non intelligat? Hactenùs BARONIUS, cui quis non crediderit bellam hanc confeſſionem promenti, quam veritatis vis expreſſit? Habemus itaque reos confitentes. At verò in toto mundo miniſterii Apoſtolici *canonica* (at verò nec hîc opus habemus) ſucceſſio defecit. Demonſtravit id in aureo planè libello GUIL. WHISTONUS, Philoſophus Anglus longè eruditiſſimus celeberrimuſque. Vide omninò tract. noſtrum de *origin. Jur. eccl. p. 143.* Et dignus ſanè ob præſtantiam ſuam eſſet libellus iſte, qui in linguam Romanam verteretur. Idem verò argumentum & inter noſtros tetigere SPENERUS & facundiſſimus MEUSCHENIUS, qui nunc aulæ Hanovienſi Evangelium prædicat, is verò vel maximè excoluerit, qui JO. MORINUM de *ſacris Eccleſiæ ordinationibus* legerit, ex cujus utpote hâc pharetrâ præſtantiſſima adverſus Romanenſes tela depromi poſſunt. Sed eſt, eſt, eſt & inter Proteſtantes Eccleſia, Anglicana nempe illa & Epiſcopalis, quæ miniſterii Eccleſiaſtici ſucceſſionem Epiſcopalem canonicam ſibi vendicat, cui verò hoc objicitur, omnes ferè ordinationes Anglicanas modernas à MATTHÆO PARKERO, Archiep. Cantuar. cujus ordinatio canonica demonſtrari nequeat,

Digitized by Google

nequeat, fluere, adeòque ſaltem dubias, ſi non planè falſas eſſe. Subinnuimus quædam hanc in rem de *origin. Juris ecclef. p. 190.* ſed omnia hæc datâ operâ olim deducemus, ubi, ſi quidem vitam nobis divina gratia conceſſerit, ad oculum, omnes, quæ ferè dantur, Eccleſias pervolando, oſtendemus, nullam eſſe in toto mundo Eccleſiam, quæ ſucceſſionem miniſterii Eccleſiaſtici Apoſtolicam, *externam* nempe jure ſibi vendicare poſſit. Aſt quid externa quæſo ſucceſſio nos moratur, cui cùm inhiarent olim Judæi, ita reprehenſi fuere à Jo. Baptiſtâ: *Ne quæſo hoc in vobismetipſis dicere præſumatis:* Patrem habemus Abrahamum. *Dico enim vobis, quòd DEUS etiam ex lapidibus hiſce filios Abrahamo ſuſcitare poſſit. Matth.* III. 9. Præcipuum, quod heic valet, eſt ſucceſſio fidei, ſucceſſio cultus, ſucceſſio ſpiritus, ſucceſſio interna, ſucceſſio ſpiritualis, &, quam tantoperè Tertullianus evehit, CONSANGUINITAS DOCTRINÆ, quam quæ tenet Eccleſia, Apoſtolicæ utique genuina filia eſt. Vide omninò teſtimonia Patrum, quæ in *notis* ad *corp. doctr. Sorbon. p. 59. 60.* hìc cumulavimus, omninò heic evolvenda. At verò & alteram quandam reſponſionem hìc affundere debemus. Urgent Romanenſes & ad nauſeam urgent, nullâ nos ſucceſſione externâ Epiſcoporum florere, nullum characterem ſacrum per ordinationes noſtras hominibus imprimi. Aſt ſupponunt hìc plurima,

rima, quæ ipſis prorſus negamus & quæ penitus falſa eſſe reputamus. α miniſterii eccleſiaſtici veritatem dependere ab ordinatione illà epiſcopali. Miſerrimus, quod pace ipſorum dixerimus, hic ipſorum error eſt. Sciant vel tandem & diſcant id, ſi id neſciant hactenus, omnes Chriſtianos eſſe ſacerdotes & ritum iſtum ordinationis externum nihil aliud inferre, quàm ut ſacerdotii, quo omnes æquali jure florent, ſi quidem veri Chriſtiani ſint, miniſterium publicum, quo omnes fulgere nequeunt, quæ enim quæſo inde oritura eſſet rerum confuſio? ex determinatione collegii vel ejus, qui jura collegialia habet, tradatur illi, qui propter inſignia, queis pollet, chariſmata ſpiritualia ad hoc munus eſt idoneus. β ordinationem hanc ex jure divino nonniſi ab Epiſcopo fieri poſſe. Contrarium certè in libro noſtro de *origin. Iuris eccl.* prorſus demonſtravimus. γ per ordinationem ab Epiſcopo factam characterem indelebilem & ſanctitatem quandam, exterius quæ hominem afficiat, illi, qui ordinetur, affundi & adſpergi. Mirum hoc ſpectrum eſt, quod quivis, qui tantiſper à præjudiciis liber eſt, facilè riſerit. Denique & ſupponitur, quòd opus ejuſmodi ordinationis nullibi præceptæ operatum & externum facultatem ſpiritualem homini adfundat, quà idoneus reddatur, ad panem vinumque in corpus & ſanguinem Domini, mediantibus pauciſſimis vocalis mutandum, quæ omnia tàm jejuna ſunt, ut

ut jure optimo exſibilentur. Et hæc quidem ad jugulandam iſtam Romanenſium objectionem ſufficiunt. Id unicum adhuc addendum, patere & ex iis, quæ diximus, quamnam vocationem LUTHERUS Megalander ipſiuſque in opere reformationis ſocii habuerint. Scilicet fundamentum hujus vocationis eſt vocatio iſta generalis, quâ omnes Chriſtiani vi ſpiritualis ſacerdotii quoquo modo obligati ſunt ad pacem Eccleſiæ, ad ſalutem Eccleſiæ, ad ædificationem Eccleſiæ quærendam. Jam ſi Epiſcopi, jam ſi Clerus, ad quos præciſè cœtûs Eccleſiaſtici ædificandi cura ſpectat, ſileant, cæteri ut adjuvandas res advolent, ipſorum vocatio requirit. Exemplum dabimus, ut res pateat. In civitate magnum exoritur incendium ſerpitque. Manus in ſinu complicat Magiſtratus, pigri incendium adſpiciunt, quibuſcunque aliâs id muneris demandatum eſt, ut ignes heic ortos exſtinguant & ſuffocent. Et accurrit vel tandem civitati ſervandæ & igni delendo, quicunque poteſt, & aliorum, quàm qui ad hoc opus deſtinati ſunt, operâ incendium exſtinguitur & civitas ſervatur. Nonne, quæſo, mi lector, inſulſus jam fuerit is, qui malè ferat, ejuſmodi homines operi manum admoviſſe, ad quos illud minùs pertinere videbatur? Quis non gratias iis agat & eo majores gratias agat, quòd opus ferè ſupererogationis hîc præſtitere? Quis non ejuſmodi homines in tertium uſque cœlum lau-

Digitized by Google

laudibus evehat & eorum merita plurimùm exoſculetur? Ita verò & jam de Reformatoribus ſtatuendum, aut probandum, Eccleſiam nullâ reformatione opus habuiſſe, aut ipſos Pontifices Romanos vel Epiſcopos reformationi huic manum affudiſſe vel affundere voluiſſe, aut denique Reformatores noſtros malè reformâſſe. Id quod ſi quis oſtendere voluerit, in aliam dein is quæſtionem labitur. Accedit, Lutherum alioſque noſtros utique Preſbyteros fuiſſe & ordinatos adeòque ritè in Eccleſiâ Romanâ vocatos, ejuſmodique chariſmaſi polluiſſe, quæ affuſâ dein cœtus vocatione, penes quem profectò jus eligendi & vocandi omninò jure divino eſt ſed ita eſt, ut ejus adminiſtrationem aliis tradere poſſit, quæ inquam, affuſâ dein cœtuum vocatione hanc ipſam longè diviniſſimam certiſſimamque & authenticam effecere, cujus & divinitas & αὐθεντία vel maximè ex eo patuit, quòd DEUS tantam benedictionem reformationi eorum & prædicationibus adſperſit. Unicum eſt, quod de vocatione miniſtrorum Eccleſiæ addimus, (1) nullum impium à DEO vocari, id quod contra ſanctitatem & bonitatem & veritatem DEI foret, (2) Miniſtro, qui curvâ vocatione mediante in cœtum ingreſſus eſt, tùm quòd malas vias hìc adhibuit, tùm quòd miniſterio manus affudit impœnitens ipſe & inconverſus, divinæ vocationis tùm ſtatim compotem fieri, ubi mentem mutat & ſinceri

mutat

mutat & ſanctificationi ſtudet & denique χαρίσμασι ſpiritualibus à Domino ornatur. Sed quò quæſo delabimur nos, qui, ubi in argumento ampliſſimo compendium ſaltem rerum dare volueramus, in prolixiorem quendam ſcriptionis campum ſic diffundimur? II. In genere quidem de Jure ſacrorum hìc mentem noſtram efferre deberemus, & evolvere, quæ jura ſacrorum abſoluta & majeſtatica ſint, ex majeſtate vel ſuperioritate territoriali fluentia, quænam collegialia, ad quæ vel maximè pertinet conſtitutio miniſtrorum Eccleſiæ, conſtitutio diſciplinæ eccleſiaſticæ legumque & cærimoniarum eccleſiaſticarum, adminiſtratio bonorum eccleſiaſticorum, jus itidem in Conſiſtorio Eccleſiaſtico de rebus eccleſiaſticis diſponendi & omnia iſta jura adminiſtrandi. Sed cùm hæc in nupero tractatu, quem jam toties allegavimus, evolverimus, lectorem noſtrum eò prorſus ablegamus. De cultu tamen publico, qui in Eccleſiâ florere debet, pauca veniunt annotanda. Conſiſtit ille (1) in prædicatione verbi, quod vel pro ſuggeſtu vel in ſermonibus abſolutoriis proponitur (2) in adminiſtratione baptiſmi & ſacræ cœnæ (3) in precibus publicis (4) in cantionibus publicis (5) in diſciplinâ pœnitentiali. (6) in benedictione eorum, qui matrimonium ineunt idque coram cœtu publicè confirmant, ſacerdotali, (7) in diſciplinâ circa defunctos, (9) quò ſanè & vel tandem diſpenſatio verbi & Euchariſtiæ, quæ ægro-

Digitized by Google

ægrotis & moribundis fit, pertinet. His enir
ferè omnibus cultus publicus abſblvitur, ſi oı
dinationem miniſtrorum, qui in Eccleſiam ir
mittuntur, adjicias. Agedum, dicamus hanc i
rem quædam, quæ ædificant. Quod præd
cationem verbi attinet, conſtat, heic requiri, ı
præmiſſis precibus & formulis ordinariis prælegi
tur textus evangelicus vel epiſtolicus aut alius &
ſubjungatur dein ſermo eccleſiaſticus, qui ex exoı
dio, tractatione & uſibus, quos vocant
conſiſtat, formuliſque dein finito ſermon
adjectis vel tandem cantionibus & benedi
ctione totus cultus, qui & cantionibus cœptu
fuerat, abſolvatur. Nec malè ſanè hæc omni
quidem, ſi ſaltem ad ædificationem inflectan
tur, ſi ſaltem id, quod præcipuum eſt, rectè uı
geatur, genuina nempe de Chriſtianiſmo inteı
no, de pœnitentiâ, de fide, de converſione &
ſanctificatione doctrina, ſi & præjudicia illa car
nalia, quæ hæreſes peſtilentiſſimæ ſunt, qu
pectus hominum nondum converſorum adu
runt, ex animis eorundem evellantur, !
& ardor quidam ſpiritualis hominibus pe
prædicationem affundatur, quo turbæ pœni
tentiales in illis cieantur, quo ad converſio
nem excitentur, quo ad præſtantiam, ad ne
ceſſitatem, ad poſſibilitatem, ad utilitaten
ad ſuavitatem Chriſtianiſmi credendam manibu
quaſi ducantur, adeoque ædificentur pluri
mùm & ſanctificentur. Hæc enim ſi abſint

tot

Digitized by Google

tota prædicatio in meram vappam abit & nulla eſt. Ad hos autem fines conſequendos utique haud ineptum fuerit, ſi nudis formulis non inhiemus, ſi & ex fundo pectoris ardore divino animati orator ſacer loquatur, ſi idem & non ſaltem pericopas ordinarias explicet, ſed totos ſacrarum literarum libros ſubinde evolvat, ſi ex anxiâ memoriâ ſua haud pronunciet (id quod tamen utique hactenùs à minùs exercitatis faciendum eſſe ipſa rei natura dictitat,) ſed ex luculento cordis fundo in egregium publicum veritatum divinarum imbrem largiorem, protrudente omnia in lucem Spiritu ſancto & ſermonem animante, effundat, ſi operam det, ut omni frigore ſequeſtrato ſemper & ſine intermiſſione vi quâdam ſpirituali cor auditorum tangat, ſi legali omni baculo ſepoſito zelo quodam divino armatus in animos intret, & hominem ſibimet ipſi ſiſtat, uti eſt, & plenâ quâdam convictione adhibitâ viam ſalutis ipſi digito monſtret, ſi omni dictione altâ & eruditâ & in formam certam oratoriam fuſâ, ſi omni methodo artificioſâ & coactâ res ſuas habere juſſâ populari & naturali, non tamen proletariâ ſed ſpirituali dignâque Evangelio propoſitione ſua efferat, ſi omnia precibus, non tamen affectatis ſed ſponte in ſermonem labentibus diluat, ſi ex DEO, coram DEO & in Chriſto loquatur Chriſtumque in ſe loqui jugiter ſinat, ſi in cathechiſationibus ſuavi quâdam

U u   συγκα-

ἐυγκαἰαβάση junioribus ſeſe accommodet ani-
miſque tenellis amorem JESU Chriſti veriqu
Chriſtianiſmi igniculos, Domino juvante, in
dat, nec ſanè contentus ſit, memoriæ ipſorun
verba impreſſiſſe, quæ egregiè recitare poſſint
ſed ideas nec ſaltem ideas ſed etiam ſenſum
quem pro ſimplicitatate ſuâ & infantiâ & judi
cii teneritudine capere poſſunt, nec ſaltem ſen
ſum theoreticum ſed etiam practicum hoc e
ſenſum amoris divini, ſenſum gratiæ converten
tis & ſanctificantis ipſis infundat, adque preces e
fundo pectoris formandas eos manuducat &
characteres veri Chriſtianiſmi, timorem DE
præſtantiamque vitæ beatæ conſcientiæ ipſo
rum benè imprimat. Nec refragor jam, ſi d
xeris, chariſmata hæc eſſe, ſed ſunt chariſma
ad miniſterium eccleſiaſticum ritè peragendu
PRORSUS NECESSARIA, quæ quivis t
men facilè cæteris paribus acquirere poſſit. P
ſtula ſaltem à Domino ordinique ipſius te ſu
jice & habebis. Ejuſmodi verò & chariſn
quoddam in ſermonibus abſolutoriis plane n
ceſſarium eſt, ſine quo utpote abſolutiones n
ſtræ in meram itidem vappam & in meru
frigus degenerant, in quo Eccleſiæ pernicies
exitium conſiſtit. Scilicet non ſufficit hic, g
nerales quaſdam de pœnitentiâ & fide & r
miſſione peccatorum & DEI ſummâ miſeric
diâ, quâ heic peccatores complectitur, ide
hominibus oggeſſiſſe, vel etiam ad nauſeam

Digitized by Google

lis repetiiſſe, quòd niſi reſipiſcant & vitam ſuam mutent, in infernum ſint detrudendi, id quod tamen ſi recto ordine adhibito fiat, non quidem carpi poteſt. Intrandum hìc eſt in cor hominum, vera converſionis eaque practica notio ipſis ingerenda, eviſcerandum eſt ipſorum pectus, cogitata eorum evolvenda, intimi animorum receſſus detegendi & profundiſſima, quâ laborant, corruptio & horrenda, in quâ jacent, miſeria ipſis revelanda characteresque, unde quis ſe in ſtatu converſionis verſari noſſe poſſit, dandi atque ita deducendi ſunt, ut, præjudiciis practicis omnibus hìc ad convictionem uniuſcujuſque refutatis nulla elabendi rima peccatori ampliùs relinquatur. Deinde verò & oſtendenda ipſis vera ad mutationem iſtam ſpiritualem, quæ ſalvando prorſus neceſſaria eſt, via venit, quæ hæc eſt. Infundenda ipſis vis divina, quæ cor tangat, lumen quoddam, quod in ipſis ſplendere incipiat, virtus quædam, quæ ſuavi, quæ divino, quæ potenti, quæ verticordio motu ipſos agitet, quæ turbas cieat, quæ ſenſum amoris & miſericordiæ divinæ, quâ DEUS peccatores complectitur, in ipſis operetur, & dicendum dein, jam Salvatorem ad portas eſſe & velle intrare, jam adeſſe Spiritum S. qui convertere, qui beare peccatorem velit, jam adeſſe jucundum tempus, jam adeſſe diem ſalutis, ſurgendum vel tandem eſſe è

Uu 2 pecca-

peccati ſomno & deponenda tenebrarum opera & in luce ambulandum, adprehendendam illicò divinam & tantam gratiam eſſe, quæ tàm facilè,ſi moram attulerimus,diffluere poſſit, dignam eſſe ſalutem æternam, quam promtè noſtram faciamus, eam eſſe Chriſtianiſmi excellentiam, quæ major cogitari non poſſit, eam ſuavitatem, qua quoſvis in ſui deſiderium rapiat,omnes mundi calamitates eâ ipſa edulcari, quin & maximas paſſiones in cupedias ſic Chriſtianis amore DE[I] ſemper perfuſis & continuo cum DEO ſuaviſſimoque commercio operam dantibus cedere & quæ alia ſunt. Denique hoc addendum quicunque iſtiuſmodi monitis jam morem gerat, quicunque ſincerè jam divinæ gratiæ ſe ſubmittat, quæ utique ſinceritas ex ſequel[a] ſanctimoniæ & converſionis habitualis dein cla[re]reat, illi peccata quævis remiſſa & in mar[e] ἀμνηστίας divinæ ob meritum ſanctiſſimi Salvatoris, quod ipſi affundatur, jacta eſſe, qui verò adhuc mundum amare pergat, quicunque hanc gratiam negligat, quicunque aures ſuas ad hæc omnia obturet, quicunque denique nudo operi operato inhiet, ei peccata in cœlis ligata eſſe & remiſſum nunquàm iri, niſi reſipiſcat. Jam qui aliâ ratione ſermonem ſuum abſolutorium informaverit, qui frigus quoddam hic rebus adhibuerit, is ſanè hoc ipſo oſtendit, nec ſemet ipſum ſincerè ad Dominum converſum eſſe nec negotium hoc, cui tame[n]

infeli

infelix inhiat, intelligere, indignumque adeò eſſe, qui linguam tanto operi affundat, imò verba abſolutoria, quæ pronunciat, & quæ odor vitæ ad vitam & ipſi & ſuis, quos abſolvi, eſſe debebant, & ſibi & auditoribus ipſius, operi ſaltem externo ſic inhiantibus odorem mortis ad mortem eſſe, denique rectè ipſi, qui ſanè viam ſanctimoniæ non tenet ipſe, ſed ubi ſervus perditionis ipſe eſt, libertatem aliis promittit, oggeri poſſe illud ſummi DEI ad impios quoſvis dictum, quod *Pſalm.* L. 16. 17. *Quid eſt, quòd annuncias ſtatuta mea & ſumis fœdus meum in os tuum, & tu odio habes caſtigationem & verba mea projicis poſt te?* Et ſic jam patet, mi lector, quid de clavibus regni cœlorum *Matth.* XVI. & XVIII. & de poteſtate remittendi & retinendi peccata miniſterio Eccleſiaſtico commiſſâ, quid & de illâ controverſiâ, num abſolutio Miniſtri Eccleſiæ ſit nudè declarativa an verò & collativa efficaciter & obſignativa, tenendum ſit. Scilicet claves regni cœlorum ſunt claves cognitionis & notitiæ illius ſpiritualis, per quam ad cœlum perducimur, quam & miniſtri Eccleſiæ ſuis prædicationibus nobis affundunt. Poteſtas ligandi & ſolvendi vel ſpectatur, prout præciſè Apoſtolis, vel prout & ipſorum ſucceſſoribus, Eccleſiæ miniſtris data eſt. Priori modo deſignat eminentiſſimam illam poteſtatem declarandi licita & illicita, remittendi & retinendi peccata abſolutè & pœni-

tentibus, affuſo miraculo, ſanitatem, impœnitentibus itidem per miraculum morbos aliaque tormina imò ipſam mortem affundendi eoſque Diabolo tradendi, qualia exempla in libris ſacris habemus. Prout verò poteſtas ea ad totam Eccleſiam aut ad eos, quibus Eccleſia doctorum munus commiſit, ſpectat, ſignificat illa poteſtatem inferiorem & reſtrictiorem licita & illicita deſignandi, peccatorum remiſſionem vel retentionem hominibus affundendi, ſtatum ipſorum ſpiritualem eis manifeſtandi & vel vitam vel mortem illis declarandi. Nec eſt, qui de efficaciâ hujus declarationis, ſi nullus clavis errans, qui vocatur, hîc intercedat &, uti par eſt, omnia peragantur, dubitet. Miniſter enim abſolvens, ubi eâ, quam diximus, ratione in corda hominum intrat & eos vertit, re verâ & efficaciſſimè, niſi reſiſtant, & ſi modò Spiritui S. in ipſis operanti obſequantur, re verâ & efficaciſſimè gratiam converſivam & ſalvativam itemque remiſſionem peccatorum & juſtificationem ipſis CONFERT, aut dudùm collatam denuò ut ita dicam conferendo OBSIGNAT, id quod ſanè & de impio Miniſtro, qui abſolutionem verè pœnitenti annunciat, vel impœnitenti peccata retinet, TANQUAM DE CAUSA, quam Philoſophi dicunt, merè OCCASIONALI, quæ ſaltem ad præſentiam Spiritus S. agit, affirmaverim. Ipſi verò, uti jam diximus, verbum abſolutionis eſt odor mortis ad mortem, quale & id eſt impœnitentibus omnibus, quibus

ic

id annunciatur, unde & id virtute ſuâ nunquàm deſtituitur, cùm ſit ſemper vel ſaluti- vel mortiferum. Refertur quoque communiter ad claves excommunicatio tùm minor, quæ eſt abſtractio à ſacrâ cœnâ, tùm major, quæ eſt excluſio à toto cœtu. Hæc cùm civilem ignominiam jam adjunctam habeat, hodiè ad ſolum Magiſtratum (olim enim ad cœtum ſpectavit) pertinet & numquàm ferè exercetur, utpote quæ nullius ſit uſûs. Illa ab eo, qui jura collegialia habet, determinatur & à miniſtro eccleſiæ ſecundùm leges eccleſiaſticas exercetur & præter leges eccleſiaſticas exerceri non debet, maximè cùm ſacramentum pœnitentiæ non ſaltem ſit confirmatorium pœnitentium ſed & præparatorium ad pœnitentiam apud eos, qui nondum in ſtatu pœnitentiæ ſunt & quos maximè pro præſenti Eccleſiæ ſtatu ab uſu S. Cœnæ abſtrahere nulli poſſumus. At verò, quod ad abſolutionem ſpectat, optandum quidem foret, ut Miniſtris Eccleſiæ, iis certè, qui prudentiâ ſpirituali pollent, facultas daretur, ſermonem ſuum, quo, ut uno id verbo dicam, homini declarare debent, num ſit in ſtatu gratiæ nec ne & quo hominem vel ad vel in viâ ſalutis dirigere debent, inflectendi pro variâ illâ animorum diſpoſitione, quam obviam habent, optandum & id foret, ut, quoniam omnis abſolutio apud nos communis & publica eſt, iſti etiam, uti alibi fit, ligatio adderetur & peccatorum retentio, ſed benè tamen ſe habet,

quòd abſolutio apud nos, prout natura rei fert, PRORSUS SIT CONDITIONATA atque iſtis rerum explicationibus, ejuſmodi & clauſulis, id quod omninò neceſſarium eſt, ita dilui poſſit, ut ab omni ſecuritate carnali & falſâ ſtatûs gratiæ imaginatione peccator omninò abſtrahi atque tota res ita informari poſſit, ut abſolutio vel tandem in nudâ gratiæ univerſalis annunciatione conſiſtat hominique nondum mutato dicatur, expanſa eſſe Domini ad ipſum in gratiam recipiendum brachia, luculentam omninò optimi Salvatoris miſericordiam ipſi affulgere, reſtare id unicum, ut in oſcula Salvatoris ruat, converti ſe ut patiatur, ut ordini ſalutis divino ſe ſubjiciat, quâ ratione dein certus de remiſſione peccatorum ſuorum eſſe poſſit. Ex quo omninò patet, quî formula declaratoria illa, quam ejuſmodi hominibus affundere convenit, inflectenda ſit, non ad legalem quandam duramque dictionem, quà impœnitens in iras agitur, & quæ nulla omninò hic eſt, maximè ſi affectus privati, ſi impotentia animi quædam heic Miniſtrum Eccleſiæ agitet, ſed ad evangelicam & amoris plenam conteſtationem, quæ & demulcendæ impii menti apta ſit ipſumque ſaltem de ſinceritate, quâ heic floreamus, de amore, quo ipſum complectamur, & de pietate, quâ depoſitum hoc Domini, hoc eſt, verbum abſolutionis tractemus, perſuadeat. Quod reſtat, velim, ut Miniſter Eccleſiæ, prout affectus omnes ſeponere heic debet, ita & metum

tum hominum ſeponat & fortitudine quâdam ſpirituali indutus ubique ſincerè & maſculè & prudenter mentem efferat, quod eò facilius erit, ſi prius cor totius Eccleſiæ ſuæ ſibi per ardorem illum, quo fulget, divinum, per & ſanctimoniam vitæ, quâ ſplendet, per denique & humanitatem illam ſpiritualem, quam omnibus demonſtratam quâvis occaſione dat, conciliaverit. Cæterùm ad hæc omnia probè & eò meliùs intelligenda haud parum juverit, ſi quis tractatum *de originibus Iuris eccleſiaſtici* toties jam à nobis allegatum hìc contulerit. Cùm enim ibi datâ ferè operâ hæc omnia evolverimus, parciores jam hìc in rei deductione ſumus. In adminiſtratione baptiſmi (pergendum enim eſt,) ubi formulæ ſaltem præleguntur, vellem, ſapientioribus ut permitteretur, ut totum cœtum efficaci ſermone monerent de eo, quod hìc ageretur, frigusque, quod hominibus ſic obrepit, ex ipſorum pectoribus tollerent, atque ad communes preces Eccleſiam ſic excitarent. De agendis, de cantionibus publicis, quas in Eccleſiam immittunt, qui jura collegialia habent, id dicendum, operam dandam eſſe, ut ſi agenda, ſi formulæ, quibus in rerum præſentiâ utimur, ſint frigidæ & jejunæ & inadæquatæ & occaſionem quandam operi operato vel præjudiciis practicis præbeant, eæ, ſi id ſine turbis fieri poſſit, præmiſſâ ſemper populi informatione, per Miniſtros Eccleſiæ faciendâ mutentur & his ſubinde, ſi hoc quidem

chariſmate polleant, eas pro ratione circumſtantiarum (id quod utique præcipuam quandam ædificationem ſecum fert) inflectendi facultas concedatur. Velim & hoc, ut agenda, ut preces publicæ, ut cantiones ſubinde & publicè plebi eccleſiaſticæ explicentur, ut eas quoque intelligat & ne falſum ſubinde ſenſum iis affingat. Certè enim patet, magnum hunc in Eccleſiis eſſe defectum, quòd populus in ignorantiâ ejuſmodi & falſis explicationibus ſibi relinquatur. De diſciplinâ circa benedictionem ſacerdotalem id unicum monendum, omnem operam miniſtro Eccleſiæ dandam, ut, quantum quidem fieri ab ipſo poteſt, abuſibus nuptialibus & falſis circa conjugium principiis adverſus eat & hunc locum, qui à pauciſſimis rectè capitur, cùm communiter exiſtimetur, caſtitatem in conjugio ex naturâ rei exulare, ea, qua par eſt, prudentia & ſoliditate evolvat. In diſciplina circa defunctos id unicum memorandum, à laudibus iſtis communibus demortuorum utique miniſtro Eccleſiæ abſtinendum & rem prudenter inflectendam eſſe, ne falſa hîc apud populum præjudicia oriantur, quæ jam in diſſert. de *vitiis eorum, qui ſacris operantur & medelâ rebus heic adhibendâ ſect.* 2. §. 4. ſub finem tetigimus, qualia ſunt, quòd ſic falſus de converſione & miſericordia divina conceptus hîc hominibus ingeritur, quòd & gradus vitæ futuræ ſive felicioris ſive infelicioris non ſatis ſubinde ſic determinationibus rerum abſolutis

ſolutis diſtinguantur. Jam ratio agendi cum ægrotis, cum moribundis magnam prudentiam & præcipuum quoddam chariſma poſcit. Scilicet probè caveas heic oportet, ne ſolatia ſecuris infundas, operaque tibi danda eſt, ut, quantum adhuc licet, ad contritionem, ad pœnitentiam, ad & fidem homines ducas, preceſque pro illis, maximè moribundis, qui dicta ſæpius non ampliùs intelligunt, largiſſimæ & efficaciſſimæ fundendæ, inque id omninò omni ratione incumbendum, ut acclamationes noſtræ ex ardentiſſimo pectoris fundo proficiſcantur, atque ne libello ſaltem frigidæque cantionum vel precum ex eo prælectioni hîc inhietur. De ordinatione miniſtrorum Eccleſiæ id unicum monendum, ut nudæ cærimoniæ hîc non detur opera, ſed auditorum animi de dignitate miniſterii ſacri ſummè informentur & ordinando concilientur precibuſque affuſis & auditoribus in partem earum vocatis tota actio & mens quoque ordinandi ſanctificetur & excitetur. Et hæc quidem jam de ratione cultûs publici ſufficere poſſunt. III. Jam &, ubi de miniſterio Eccleſiaſtico agimus, & tota hierarchia vetus nobis enarranda & quæ in aliis cœtibus, qui diverſi à nobis ſunt, obtinet, recenſenda &, quæ apud nos floret, diducenda foret, ubi de Conſiſtoriis, de Facultatibus Theologicis, de Superintendentibus, de Paſtoribus, de Diaconis agendum & officia eorum evolvenda omniaque ad ædificationem inflectenda:

da eſſent. Sed hoc quidem ipſum brevitas inſtituti haud patitur, maximè cùm Hierarchiam vetuſtiſſimam vel ſaltem ejus origines in tr. *de originibus juris eccleſiaſtici* ſatis evolverimus atque etiam cætera in diſſ. de *vitiis eorum, qui ſacris operantur, & medelâ rebus heic adhibendâ* inſtitutionibus hiſce adjectâ tetigerimus. Conferri tamen hîc & velim G. ARNOLDI *geſtalt eines Evangeliſchen Lehrers nach dem Sinn und Exempel der alten* & vel maximè libellum quendam ex linguâ Anglicana in Belgicam & ex Belgicâ in Germanicam verſum ſub titulo: *Reinigung der Kinder Levi* ſcriptum à JAC. KOELMANNO, Miniſtro Evangelii Clauſulano Flandro editumque Halæ Magdeb. 1703. 12. IV. De ſalariis miniſtrorum Eccleſiæ paucis monendum, ordinaria olim ſalaria doctoribus Eccleſiarum tempore iſto Apoſtolico non fuiſſe conſtituta eoſque nonniſi in caſu neceſſitatis ab Eccleſiis ſtipendia ſumſiſſe. Vide *Act.* XVIII. 3. XX. 33. 1. *Cor.* IX. 7. ſqq. 2. *Cor.* XI. 7. ſqq. 2. *Cor.* XII. 13. Vide librum iſtum citatum p. 81. 82. Patet tamen & ex locis citatis, obſtrictas eſſe Eccleſias ad nutriendos miniſtros ſuos. Hinc opus eſt, ut bona collegialia in unam maſſam conjiciantur, quæ cœtui conſervando & rebus ipſius ornandis ſufficere poſſint. Peccatur verò quoad ſalaria miniſtrorum in exceſſu & in defectu, mox, ubi nimia dantur ſtipendia, mox ubi nimis exilia. Utrumque nefas eſt. Nec diſplicet nobis Helvetiorum mos, qui, uti æque-

æqualitatem omnium Eccleſiæ miniſtrorum ſummam ſervant, ita & æqualitatem ſtipendiorum eorumque ſufficientiam omnimodam adjiciunt. Multi verò & alii abuſus heic evitari poſſunt. Sed id quidem jam hîc nulli notamus, qui cæteroqui non refragamur, quò minùs legantur heic, quæ ab JCtis ſubinde ſcripta conſpiciuntur, qui & nullo ſanè præclaro & ſapientiam quandam præcipuam ſpirante ſed jejuno inſtituto Miniſterio eccleſiaſtico hîc inconſulti aliquando illudunt.

V. De cælibatu Sacerdotum pauca quædam adjicienda veniunt. Ante omnia verò præſupponendum eſt, matrimonium non eſſe ſtatum quendam impurum & caſtitati, virtuti illi inſigni, adverſum atque contrarium. *Hebr.* XIII. 4. Præſupponendum & id eſt, donum continentiæ eſſe χάρισμα quoddam, quod DEUS utique largiatur ſubinde ſuis, non tamen omnibus 1. *Cor.* VII. 7. Jam addendum, Paulum epiſcopo uxorem non denegare, velle ſaltem, ne ſit bigamus quoquo modo & ne ejuſmodi quidam epiſcopus ſumatur, qui à priore quâdam uxore injuſtum divortium fecerit 1. *Tim.* III. 2. Vide 1. *Tim.* V. 9. Sunt &, qui hùc trahant loca 1. *Cor.* IX. 5. & 1. *Tim.* IV. 3. Id certum, Petrum fuiſſe conjugatum *Matth.* VIII. 14. *Luc.* IV. 38. & Philippum Evangeliſtam quatuor floruiſſe filiabus *Act.* XXI. 9. Num verò conjugio adhuc operam dederint in ſtatu Apoſtolatûs & officii Evangelici, alia quæſtio eſt. Certè apud Ignatium in *epiſt. interp. ad Philadelph.* §. 4. exſtat,

da eſſent. Sed hoc quidem ipſum brevitas inſtituti haud patitur, maximè cùm Hierarchiam vetuſtiſſimam vel ſaltem ejus origines in tr. *de originibus juris eccleſiaſtici* ſatis evolverimus atque etiam cætera in diſſ. de *vitiis eorum, qui ſacris operantur, & medelâ rebus heic adhibendâ* inſtitutionibus hiſce adjectâ tetigerimus. Conferri tamen hîc & velim G. ARNOLDI *geſtalt eines Evangeliſchen Lehrers nach dem Sinn und Exempel der alten* & vel maximè libellum quendam ex linguâ Anglicana in Belgicam & ex Belgicâ in Germanicam verſum ſub titulo: *Reinigung der Kinder Levi* ſcriptum à JAC. KOBLMANNO, Miniſtro Evangelii Clauſulano Flandro editumque Halæ Magdeb. 1703. 12. IV. De ſalariis miniſtrorum Eccleſiæ paucis monendum, ordinaria olim ſalaria doctoribus Eccleſiarum tempore iſto Apoſtolico non fuiſſe conſtituta eoſque nonniſi in caſu neceſſitatis ab Eccleſiis ſtipendia ſumſiſſe. Vide *Act.* XVIII. 3. XX. 33. 1. *Cor.* IX. 7. ſqq. 2. *Cor.* XI. 7. ſqq. 2. *Cor.* XII. 13. Vide librum iſtum citatum p. 81. 82. Patet tamen & ex locis citatis, obſtrictas eſſe Eccleſias ad nutriendos miniſtros ſuos. Hinc opus eſt, ut bona collegialia in unam maſſam conjiciantur, quæ cœtui conſervando & rebus ipſius ornandis ſufficere poſſint. Peccatur verò quoad ſalaria miniſtrorum in exceſſu & in defectu, mox, ubi nimia dantur ſtipendia, mox ubi nimis exilia. Utrumque nefas eſt. Nec diſplicet nobis Helvetiorum mos, qui, uti æque-

æqualitatem omnium Eccleſiæ miniſtrorum ſummam ſervant, ita & æqualitatem ſtipendiorum eorumque ſufficientiam omnimodam adjiciunt. Multi verò & alii abuſus heic evitari poſſunt. Sed id quidem jam hîc nulli notamus, qui cæteroqui non refragamur, quò minùs legantur heic, quæ ab JCtis ſubinde ſcripta conſpiciuntur, qui & nullo ſanè præclaro & ſapientiam quandam præcipuam ſpirante ſed jejuno inſtituto Miniſterio eccleſiaſtico hîc inconſulti aliquando illudunt.
V. De cælibatu Sacerdotum pauca quædam adjicienda veniunt. Ante omnia verò præſupponendum eſt, matrimonium non eſſe ſtatum quendam impurum & caſtitati, virtuti illi inſigni, adverſum atque contrarium. *Hebr.* XIII. 4. Præſupponendum & id eſt, donum continentiæ eſſe *χάρισμα* quoddam, quod DEUS utique largiatur ſubinde ſuis, non tamen omnibus 1. *Cor.* VII. 7. Jam addendum, Paulum epiſcopo uxorem non denegare, velle ſaltem, ne ſit bigamus quoquo modo & ne ejuſmodi quidam epiſcopus ſumatur, qui à priore quâdam uxore injuſtum divortium fecerit 1. *Tim.* III. 2. Vide 1. *Tim.* V. 9. Sunt &, qui hùc trahant loca 1. *Cor.* IX. 5. & 1. *Tim.* IV. 3. Id certum, Petrum fuiſſe conjugatum *Matth.* VIII. 14. *Luc.* IV. 38. & Philippum Evangeliſtam quatuor floruiſſe filiabus *Act.* XXI. 9. Num verò conjugio adhuc operam dederint in ſtatu Apoſtolatûs & officii Evangelici, alia quæſtio eſt. Certè apud Ignatium in *epiſt. interp. ad Philadelph.* §. 4. exſtat,

ſtat, Petrum & Paulum & alios Apoſtolos in nuptiis verſatos fuiſſe, ubi conferas velim JO. BAPT. COTELERII notam, ſententiaſque Tertulliani, Clem. Alex. Origenis, Euſebii aliorumque de Apoſtolorum ut talium conjugiis teſtantium. Taceo Paphnutium, Martyrem, qui in Concilio Nic. egregiè conjugium Sacerdotum defendit, taceo canonem 5. vel 6. Nicænum, ubi prohibetur, ne quis Epiſcopus vel Presbyter vel diaconus uxorem ſuam ſub religionis prætextu rejiciat, taceo Clem. Rom. qui in 1. *Cor.* 5. 21. ſe uxoratum fuiſſe indicat, & exempla infinita veterum conjugatorum Tertulliani, Novati, Cypriani, Gregor. Nazianz. & Nyſſ. Hilarii Pictav. Paulini Nolani, Proſperi Aquit. Salviani Maſſil. aliorumque infinitorum, taceo conſtitutionem Synodi Gangr. quæ C. 1. & 4. Euſtachianos damnavit, quòd conjugio Sacerdotum adverſarentur, taceo, Siricium Pontif. Rom. ſub finem ſeculi IV. primùm conjugium Sacerdotum prohibuiſſe, quem deinde ſec. V. ſecutus eſt Innocent. I. taceo, Sec. VII. ſynodum Trullanam ſive πενθέκτην, Conſtantinopolitanam illam, legem cælibatûs Clericorum iterum improbâſſe, taceo alios infinitos veritatis teſtes contra cælibatûs impoſitionem tyrannicam inſurgentes, maximè Udalricum Auguſtanum, taceo denique confeſſionem Romanenſium, quòd jure non divino ſed ſaltem humano conjugium Sacerdotibus ſit prohibitum. Maneat itaque hoc, non interdici id poſſe, quod nec DEUS interdixit,

Digitized by Google

xit, ſed in ſuo pretio ſemper relinquendam eſſe Apoſtoli regulam 1. *Cor.* VII. 9. etſi, qui chariſmate continentiæ pollet, negligere id haudquaquàm debeat. VI. Jam & de χαρίσματι miniſtrorum Evangelii agere poſſemus, de dono prophetiæ, linguarum, miraculorum, ſanationum & quæ alia ſunt, ſi quidem inſtituti brevitas id ferret. De miraculis tamen pauca dicimus. α Miracula ſunt ejuſmodi operationes in ſenſus externos incurrentes, quæ ultra hominum, ultra ſpirituum vires eſſe nec per directionem cauſarum naturalium fieri poſſe ſed ex ſuſpenſione legum naturalium perpetrari, (id quod profectò in plurimis caſibus & ferè communiter ſine ullâ oppoſiti formidine facilè determinari poteſt,) conſpiciuntur, & tùm ad confirmationem doctrinæ cujuſdam valent, ubi in concurſu aliorum miraculorum majora ſunt, ubi non inopinatis accidunt ſed prænunciantibus, ubi ab iis peraguntur, qui articulum de unitate DEI non jugulant *Deut.* XIII. 2. eamque doctrinam profitentur, DEI quæ majeſtate, bonitate, ſapientiâ & præſtantiâ & ſanctitate & attributis cæteris ſit digniſſima, ubi denique expreſſè ad confirmandam religionem fieri dicuntur. β Miracula ſolus DEUS patrat. *Pſalm.* LXXII. 18. Nullus ſpiritus ſive bonus ſive malus, nullus homo bonus vel impius ordinariâ quadam ſibique propriâ virtute vel ut cauſa inſtrumentalis ea patrat. Quæcunque cauſæ ſecundæ & creatæ miracula patrant, patrant ſaltem ut

ut cauſæ occſionales, ad quarum tantùm præſentiam & motum hùc directum, qui verò in ſe ipſe nullum influxum habet, DEUS miraculum patrat. Ita miracula per Moſen, ita per dæmonas, ita per Apoſtolos patrata fuere, it per Antichriſtum patrabuntur, quæ dicuntu τέρατα ψεύδους, non quòd prodigia falſa ſint ſe prodigia ad falſam doctrinam ſtabiliendam perpetrata. Neque enim Magorum Ægyptiacorum miracula pro meris præſtigiis vel pro miraculis dæmonum virtute perpetratis ſed pro miraculis divini habuerim, uti CLERICUS, uti FLEETWOODUS uti LANGIUS, etſi diſſentientes hîc ſummos Viro atque inter eos & celeberrimum BUDDEUM i *hiſt. Eccl. Vet. Teſtam. T. 1. pag. 513.* videam unde velim, conferri de miraculis Magorum horum maximè priorem illum in *comment. a. Exod.* VII. ubi de hoc argumento agit. γ Vera miracula apud dæmonas, apud idololatras apud Mahumedanos, apud hæreticos, inter quo maximè Simon Magus & Montaniſtæ & Arian & Macedonius hîc celebrantur, ſubinde perpetrat eſſe & perpetrari hodie, contradictionem profe cto nullam implicat. Vide *Marc.* IX. 38. *Luc* IX. 49. De miraculis gentilium tamen velin inter alios conferri incomparabilem GROTIUM de *V. R. C. L. 4. §. 8.* qui prorſus hîc conſu lendus eſt, & P. BÆLIUM in *penſées ſur l comete T. 1. §. 61. 63. 133.* De miraculo quo dam, quo Mahumedani gloriantur, evolvas rog

PET

PET. BÆLIUM in *dict. hiſt. & crit.* titulo *Mahomet* nota (oo) f. 1989. b. Adde *f.* 1972. 1973. Jeſuitarum apud Sinenſes patrata ad religionis Chriſtianæ veritatem in genere demonſtrandam miracula admittit, quod mireris, HULSEMANNUS noſtrâs. Et inter tot, quæ Romanenſes jactant, miracula, quæ ſtatim, ubi enarrantur, fabulas olent, nonne credideris, dari & ſubinde, quæ vera ſint? Id quod utique non video, cur ſine moroſitate dici non poſſit, cùm nobis nullatenùs id noceat, qui Antichriſto miracula largimur, qui & ipſi miracula ſubinde inter nos facta eſſe novimus, quorum verò recenſione hîc datâ operâ abſtinemus. ſ ſunt miracula, de quibus dubitare poſſis, num vera ſint, num vires creaturæ ſpirituumque ſupergrediantur, num directionem quandam magicam cauſarum naturalium vel ſuſpenſionem legum naturæ ſupponant, ſunt verò & alia, quæ miracula κατ᾽ ἐξοχὴν ſic dicta, non ſaltem mira ſunt, quæ & omnes creaturarum vires tranſcendunt, ut reſuſcitatio mortuorum. Quin & ad veritatem miraculorum, quatenus ea miris opponuntur, oſtendendam crebra actuum miraculoſorum repetitio & quidem miraculorum non unius ſed varii generis eorumque ſemper prædictorum repetitio prorſus ſufficit. s DEUS per dæmonas, DEUS per magos, DEUS per idololatras & falſos doctores miracula patrare poteſt & patrat, ut tentet homines *Exod.* VII.

 ſqq.

ſqq. *Deut.* XIII. 1. ſqq. *Matth.* XXIV. 24. 2. *Theſſ.* II. 9. *Apoc.* XIII. 13. At quando ejuſmodi miracula tentativa fiunt, DEUS ſemper vel majora iis miracula opponit, vel aliâ præſtantiſſimâ ratione pios à ſeductione hîc præſervat. ϛ Miraculorum donum ad plantandam, non ad ſervandam Eccleſiam neceſſarium eſſe & præciſè ad illud datum fuiſſe Romanenſes paſſim largiuntur. Vide inter alia Gregor. M. qui *L. 17. Moral. C. 14. ait*; *miracula non ſunt neceſſaria Eccleſiæ nunc, ut olim.* Quin & conſtat, quî contra Mirabiliarios Auguſtinus inſurgat *tract. 13. in Joh.* Addi poſſunt plura ex Chryſoſtomo loca aliaque quamplurima Patrum effata apud JO. GERHARDUM in *Confeſſ. cathol.* loco de *Eccleſiâ* §. *275.* ζ omnes Eccleſiæ miniſtri ne quidem tempore Apoſtolorum donum miraculorum poſſidebant 1. *Cor.* XII. 29. 30. *Joh.* X. 41. Nec ſanè & miracula ſalvant *Matth.* VII. 22. 23. 1. *Cor.* XIII. 1. 2. neque etiam ſunt nota Eccleſiæ, ut diſertè ait Auguſtinus de *unitate EccleſiæC.* 16. Vide & LUD. ELLIES DU PIN *nouv. Bibl. des auteurs Eccl. T. 18. p. 288. 289.* Quamvis dicatur, miraculum eſſe ejuſmodi quoddam opus, quod vires naturæ ſuperat, & concedatur quoque, quòd nemo ſit, qui præciſè determinare valeat, quouſque vires naturæ pertingant, tamen ſciri poteſt, quid ſit miraculum, quia etſi quoad omnia determinari nequeat, quouſque na

turæ

turæ pertingant vires, id tamen quoad aliqua determinari poteſt. Alia enim miracula ſunt majora, alia minora, quæ tamen & à circumſtantiis variis ſubinde eam accipiunt lucem, ut nullo negotio res ſtatim dein decidi queat. Quæ omnia ſiquis pleniùs examinare libuerit, is FLEETWOODUM, LOCKIUM, CLERICUM, CONNORIUM, LANGIUM, alios adeat. Unum id addimus, miracula ergò ut ſic & ſine certis ſuis circumſtantiis veritatem religionis non probare adeoque nec ordinarium miniſterii Eccleſiaſtici chariſma aut Eccleſiæ notam eſſe, miris & modis peccare illos, qui miracula Biblica negent vel enervent, denique quæſtionem, cur DEUS non ampliùs miracula faciat, jam p. 14. ſqq. ſupra à nobis deciſam eſſe. VI. Cùm & de miniſterio eccleſiaſtico hîc agimus, non negligendus nobis venit communis παιδείας λόχος, quo doctrina de clave ſolvente & ligante enarratur. Præmiſſo itaque jam hoc, quòd per duas claves non duæ poteſtates ſed unius poteſtatis duplex effectus innuatur, uti per unam eandemque clavem & claudi & aperiri poteſt *Jeſ.* XXII. 22. *Apoc.* III. 7. præmiſſo & hoc, quod Sacerdotes V. T. jam abſolvere à peccatis potuerint 2. *Sam.* XII. 13. *Lev.* X. 10. *Ezech.* XLIV. 43. 2. *Paral.* XXVI. 19. quòd & Chriſtus jam ante reſurrectionem ſuam poteſtatem remittendi peccata habuerit, id quod perperam Sociniani negant *Matth.* IX. 6. *Marc.* II. 10.

Luc. V. 24. dicimus, æqualem clavium poteſta
tem Apoſtolis datam eſſe *Ioh*. XX. 22. *Matt*.
XVI. 19. XVIII. 18. *Gal*. II. 8. 2. *Cor*. XI.
XII. 11. quæ & ad ſucceſſores eorum pertine
Eph. IV. 8. 10. ſqq. 1. *Cor*. IV. 1. *Matt*.
IX. 38. dicimus & porrò, poteſtatem hanc eſ
delegatam, quà non ſolùm ἰσομικῶς nec tame
& αὐθεξουσίᾳ judiciali, uti DEUS *Marc*. II.
ſed ὀργανικῶς, ſed διακονικῶς, influxu m
niſteriali ſed tamen realiſſimo *Matth*. IX.
XVI. 19. XVIII. 18. *Ioh*. XX. 23. (uti eni
Pater miſit Filium, ita & Filius miſit Apoſto
los, eodem ſcilicet influxus quoad ſimilitu
dinem & veritatem rei modo, etſi ſervato mag
ſterii & miniſterii diſcrimine, & uti Miniſt
Eccleſiæ non ſaltem declarativè ſed & effectiv
licet ὀργανικῶς regenerat, convertit, ſanctif
cat, ſalvat 1. *Tim*. IV. 16. ita ſanè & abſo
vit,) influxu porrò concurrente & dependent
1. *Cor*. III. 9. *Marc*. XVI. ult. *Matth*. XV
19. XVIII. 18. *Luc*. X. 16. 2. *Cor*. V. 19
20. 1. *Theſſ*. IV. 8. dependentiâ nempe poteſta
tis, formæ, normæ & exercitii, unde & abſo
lutio in cœlis naturâ præcedit, nemoque pote
abſolvi à Miniſtro Eccleſiæ, qui in cœlis non
dum abſolutus eſt vel nondum abſolvitur
2. *Sam*. XII. 13. *Matth*. IX. 2. unde porr
abſolutio dicitur ἀποτέλεσμα quoddam, quo
à DEO judice & Paſtore tanquam miniſtr
perficitur, unus actus à DEO tanquàm cau
efficient

efficiente & Miniſtro Eccleſiæ tanquàm cauſâ miniſteriali concurrente profluens, unde tertiò dici tantiſper poteſt, & Miniſtrum Eccleſiæ dici poſſe judicem ſecundùm quid ſed delegatum & judicio divino omninò ſtrictiſſimè alligatum, à quo ſi tantiſper ſaltem abluſerit, judicium ipſius nullum ſit, quâ inquam non ſaltem *ἱστορικῶς* uti Reformati, nec tamen & *αὐτεξουσίᾳ* judiciali, uti Romanenſes ſtatuunt, ſed *ὀργανικῶς* & realiter omnia credentium peccata, quæ ipſe DEUS in cœlis ſolvit, (quod enim *Ioh.* XX. 23. dicitur, *retenta erunt in cœlis*, ex quo videtur, ſequi, ut peccata, quæ Sacerdos retinet, demùm & in cœlis retineantur, ita premi non debet, cùm ſolam identitatem eventûs hoc indigitet, quales loquendi formulæ & *Lev.* XIII. & XIV. adparent) ſine ullâ culpæ vel pœnæ reſervatione (unde rejici hîc videas caſus Romanenſium reſervatos & ſatiſſactionem operis reſiduam, remiſſâ jam culpâ, Chriſtus enim & culpam & pœnam ſimul à nobis abſtulit, *Ieſ.* LIII. 6. *Ioh.* I. 29. 1. *Pet.* II. 24. *Gal.* III. 17. quin & rejicitur hîc ſuſpenſio abſolutionis à confeſſione, quæ ſaltem indefinita & generalis in ſacris literis requiritur *Dan.* IX. 20. *Luc.* XVIII. 13. *Act.* II. 37. ſqq. *Pſ.* XIX. 13. ſqq. & DEO maximè facienda requiritur, auriculari ab Innocentio III. demùm in Concilio Lateran. A. 1215. introductâ,) peccatorem pœnitentem & credentem abſolvit, impœnitenti peccata retinet, quò ſanè & excommu-

nicatio eſt referenda, major, quæ à toto cœtu aliquem expellit *Matth.* XVIII. 17. 2. *Theſſ.* III. 14. & ad magiſtratum civilem pertinet, ſi executionem coactivam & ignominiæ civilis affuſionem ſpectes, uti patet ex *Artic. Smal.* p. 333. & minor, quæ ſaltem à ſacramentis arcet *Matth.* VII. 6. 2. *Ioh.* 10. coll. *Rom.* XVI. 17. *Gal.* I. 8. *Tit.* III. 10. 1. *Cor.* V. 4. ſqq. Atque hæc jam Theologorum de clavibus Eccleſiæ mens eſt.

VII. Ubi heic de miniſterio Eccleſiaſtico agimus, agedum & de ſchiſmate, de hæreſi, de hæretificinâ & de Antichriſto ſententiam noſtram pauciſſimis promamus. Schiſma vocatur id, ubi cœtum ob minus eſſentiales vel circa dogmata vel circa diſciplinam aut cærimonias eccleſiaſticas lites in duo dividimus aut ab illo nos ſeparamus. Oritur hoc quicquid eſt, malæ peſtis ex ambitione ſacrâ & falſo zelo, qui & rem ſubinde publicam turbat & in herbâ ſuffocandus eſt, ex hæretificinâ inconſultâ & rigore illo theologico, qui tolerantiæ adverſus eſt. Schiſma verò facere nonniſi in caſu idololatriæ & manifeſtiſſimorum peſtilentiſſimorumque errorum fundamentalium, maximè practicorum, & in caſu tyrannidis ſacræ hoc eſt ſummæ neceſſitatis facere licet. De hæreſi ſententiam noſtram in diſſ. de *articulis fidei fundamentalibus* p. 31 32. ita promſimus: *De hæreſi hæc habe. Vocis hujus ſenſus eſt vel eccleſiaſticus eſt vel indifferens, ubi ſectam quamvis iſta ſignificat, uti paſſim in actis Apoſtolicis V.* 17.

XV. 5.

XV. 5. XXIV. 5. 14. XXVI. 5. XXVIII. 22. vel in malam partem ſumitur & ſecta ſtudium Gal. V. 20. ſchiſmataque 1. Cor. I. 10. 11. 12. XI. 19. aliquando & cum doctrinis perniciofis conjuncta 2. Petr. II. 1. infert, ubi monet Apoſtolus, ejuſmodi αἱρετικὸς, qui non errant ſolùm ſed & pravis affectibus aguntur, vitandos fraternitatemque cum ipſis rumpendam eſſe Tit. III. 10. Neque enim hîc nimis extendere patientiam licet, quanquàm pro rerum circumſtantiâ, quid agendum ſit, facilè prudentia ſuadeat. Vide 2. Tim. II. 24. Apoc. II. 13. ſqq. 20. Et hac quidem in eo ſita eſt, ut iis, qui bonâ fide errant, qui & veritatis amore capiuntur & ſincerâ pietate imbuti ſunt, manſueta correctio, cæteris, qui impietatis vi ducti adeóque ex voluntatis malè compoſita morbo ad hæreſes diſſeminandas provolant, acerbior caſtigatio, non alia tamen, quàm quæ Evangelio congruit, adhibeatur. Vide 1. Tim. I. 20. 2. Tim. II. 17. 18. 2. Cor. X. 4. Senſu verò eccleſiaſtico hæreſis eſt vel doctrina ab Apoſtolico veritatis ſyſtemate abhorrens, ab eo defenſa, qui ab Eccleſiâ ſeceſſionem fecit, vel error deciſioni conciliorum œcumenicorum contrarius, qui ſenſus juridicus eſt, vel error fundamentalis, inſuper habitâ omni convictione cum pertinaciâ defenſus, vel doctrina à communi Eccleſia, cui nomen dedimus, fide diverſa. Jam enim aliter aliterque hæc vox ab eccleſiaſticis ſcriptori-

bus, veteribus & modernis ſumitur. Addimus jam, hæreſes ſive errores fundamentales duplicis eſſe generis vel theoreticas vel practicas, quarum illæ in praxin Chriſtianam immediatum certè influxum non habent, hæ verò vitam ſpiritualem omnem ſtatim jugulant eaque propter multò perniciſiores theoreticis ſunt & Miniſtris Eccleſiæ omni datâ occaſione tùm publicè tùm privatim interficiendæ, utpote, quæ Eccleſias hodie plurimùm vaſtent atque in præjudiciis illis carnalibus conſiſtant, quibus converſionis & ſanctificationis & Chriſtianiſmi verioris & interni neceſſitas, poſſibilitas & præſtantia negatur & Chriſtianiſmus ſaltem cærimonialis & externus ſufficere à miſellis hominibus ad ſalutem creditur. De hæreſi verò evolvi velim maximè BREITHAUPTIUM, THOMASIUM, BRENNEYSENIUM, MAJUM & ſi qui præſtantiorum Theologorum ſunt, hoc argumentum qui præter hos excuſſere. De hæretificinâ itidem ſententiam nuperrimè in tr. de *origin. Juris eccleſ. p. 216.* diximus. Scilicet *hæretificina eſt crimen, quo calumniam pernicioſi cujuſdam erroris innocenti vel in re, quæ fundamentum religionis haud tangit, erranti adſpergimus atque ſuſpectam illius perſonam apud alios reddimus bonaque, quæ per ipſum aguntur, ſufflaminamus.* Eſt verò hæretificina, mala illa peſtis, itidem vel theoretiça vel practica. Illa, quando aliquem pro heterodoxo, hæc, quando aliquem pro homine

carnali

carnali publicè declaro & lectoribus meis vel auditoribus talem eum depingo. Utraque pari paſſu ambulat atque à nobis plurimùm heic improbatur. Modeſtia enim rebus hîc adferenda eſt eaque omninò maxima, quæ cogitari poteſt, ſed tamen zelo quodam diluenda, qui verò ſaltem ſapienti ſat dicit nulloque ſarcaſmo, nullâ tyrannide agitur ſed prudentiâ haud vulgari hîc perfunditur. Delicata profectò res eſt, ſi medium hîc tenere volueris, quod nonniſi beati poſſident, qui ad ædificationem adverſarii, qui errat & peccat, ad ædificationem Eccleſiæ ſcandalique remotionem omnia hîc inflectunt. Vellim itaque, nemo ut in reprehenſione aliorum NB. chariſmatum ſuorum limites migret & incongruis loco & tempore (nec ſanè hic verbis 2. *Tim.* IV. 2. ubi de ἀκαιρίᾳ ſaltem æquivoca & quæ ei ſaltem, qui reprehenditur, talis ſit, contradicimus,) incongruis & expreſſionibus, ex temperamento ruſtico & affectatione quâdam manantibus neglectiſque omnibus admonitionum gradibus ſua efferat, etſi quod de his communiter adfertur, dictum *Matth.* XVIII. 15. ſqq. de miniſtris Evangelii planè non agat. Redit verò & in ſcenam ſubinde hîc tolerantia, civilis ſaltem ea & quæ nullam erranti vel peccanti pœnam, niſi inconſultus cœtum iſte turbaverit, ubi coërcitio neceſſaria eſt, infligit nullaque vi coactiva in illum furit, ſed media evangelica, queis ad veritatem, queis ad converſionem is ducatur, ſola adhibet. Denique & de Antichri-

Digitized by Google

tichriſto quid ſentiamus, dicendum eſt. En quid communiter hanc in rem pronuncietur. Communis Eccleſiæ hoſtis dicitur eſſe Antichriſtus magnus. Terminus Antichriſti in ſacris literis ſumitur vel latè vel ſtrictè, latè pro eo, qui negat, Meſſiam veniſſe 1. *Joh.* II. 22. IV. 3. 2. *Joh.* 7. aut ſeipſum Meſſiam fingit *Matth.* XXIV. 24. ſtrictè pro inſigni illo & eminente ſeductore, qui eſt Anti-Chriſtus magnus *Jeſ.* XI. 14. ſq. *Dan.* XI. 36. ſqq. 1. *Joh.* II. 18. 2. *Theſſ.* II. 3. ſqq. *Apoc.* XIII. 11. ſqq. XVII. 1. ſqq. Eſt autem Antichriſtus duplex vel orientalis, qui eſt extra Eccleſiam ab *Ezechiele C.* XXXVIII. 2. ſqq. & à Johanne *Apoc.* XX. 7. 8. ſub nomine Gog & Magog depictus, Imperator nempe Turcicus, vel occidentalis, non ex Judæis & tribu quidem Dan oriundus, uti Patres olim putavere, quos hodie Romanenſes ſequuntur, ſed Pontifex Romanus, ex ipſo Chriſtianorum cœtu originem deducens ſuam 2. *Theſſ.* II. 4. 1. *Joh.* II. 18. 19. ubi nota benè, Antichriſtum non deſignare unicam quandam perſonam, unitate individuali ſed ſucceſſiva, quo unum ſemper Imperatorem ſc. ſucceſſivè aſſerimus, ubi Romanenſes quidem pro individuali, Proteſtantes pro ſucceſſiva militant At enim hîc notandus primùm eſt Antichriſti ortus jam ad prima illa tempora referendus, manifeſtatio dein ipſius in tempus ſublati è medio

κατέχον-

Digitized by Google

κατέχοντος 2. *Theſſ.* II. 6. 7. h. e. in tempus imperii Romani fracti & diſſipati referenda, denique, deſtructio illius, in die extremo quæ fiet. Vide omninò *Apoc.* XVII. ſqq. Sedes Antichriſti magni duplex eſt vel generalis, quæ eſt Eccleſia ſeu templum DEI 2. *Theſſ.* II. 4. vel ſpecialis, quæ eſt urbs Roma *Apoc.* XVII. 1. ſqq. non pagana illa, quam ſtatuunt Romanenſes, maximè BOSSUETUS, quem hîc OLEARIUS refutavit, ſed Chriſtiana, quæ mox Sodoma & Ægyptus *Apoc.* XI. 8. mox Babylon *Apoc.* XVIII. 2. 5 appellatur deſcribiturque ut ſita ſuper aquas multas vſ. 1. & ſuper ſeptem montes vſ. 9. 16. quæ & ſit ebria de ſanguine ſanctorum & de ſanguine Martyrum JEſu vſ. 6. Notæ denique Antichriſti M. ſunt hæ 1. apoſtaſia à fide 2. *Theſſ.* II. 3. ſqq. 1. *Tim.* IV. 1. 2. affectatio ſingularis ſanctitatis 2. *Theſſ.* II. 7. 9. 3. miraculorum jactatio. 2. *Theſſ.* II. 9. *Apoc.* XIII. 13. *Matth.* XXIV. 24 4. arrogatio divinæ poteſtatis in omnia, etiam magiſtratum politicum 2. *Theſſ.* II. 4. 5. univerſæ religionis orthodoxæ tùm quoad doctrinam tùm quoad mores impugnatio *Dan.* XI. 36. 37. 2. *Theſſ.* II. 3. 4. *Apoc.* XIX. 20. 6. crudelis fidelium ſive ab Antichriſto diſſentientium perſecutio *Apoc.* IX. 11. XIII. 15. XVI. 6. XVII. 6. XVIII. 24. 7. violatio juris gentium de invadendis & ſpoliandis illis, qui beſtiæ charactere non notati ſunt *Apoc.* XIII. 17. 8. injuria in jus naturale per interdictum conjugii & ciborum

rum

rum certorum 1. *Tim.* IV. 3. Jam verò hi characteres non diviſi ſed conjunctim ſed complexè ſumendi ſunt. Id quod ſi fiat, vereor ne ſors ſuper Pontificem Romanum cadat. Etſi enim plurima ſint argumenta, quæ Antichriſtum certam quandam perſonam certumque individuum eſſe ſuadeant, uti e. g. illud, quòd dicitur Antichriſtum non regnaturum niſi tres cum dimidio annos *Dan.* VII. 25. XII. 7. 11. 12. *Apoc.* XI. 2. 3. XII. 4. XIII. 5. tamen notæ illæ modò recenſitæ ita Proteſtantium animos tangunt, ut nonniſi de Pontifice Romano hîc cogitent. Notandum verò, à primis Chriſtianis Neronem & Domitianum quoque pro Antichriſto habitum fuiſſe, Hippolytum verò alioſque veteres exiſtimâſſe, diabolum ſub ſpecie humanâ futurum Antichriſtum, in genere verò veteres exiſtimaſſe, ſuo tempore venturum Antichriſtum atque inſtare jam diem extremum. Hinc ubi calamitates quædam Eccleſiam ſubinde inundavere, ubi hæreſes quædam, ubi corruptio morum & diſciplinæ notabilis ſeſe exeruit, Antichriſtum jam adeſſe ſtatim dictum fuit. Sunt & veteres, qui ſtatuerunt, eundem ex virgine, virtute diaboli conceptum, naſciturum eſſe, alii, ex Judæis & quidem tribu Dan eum oriundum fore. Conferri poteſt, qui hæc omnia in unum jecit THOMAS MALVENDA, Ord. Prædic. in magno de *Antichriſto* opere, quod Lugduni A. 1647. in forma majore prodiit. Jam & conſtat, HENR. HAMMONDUM & HUG. GROTIUM textum

tum Paulinum in poſteriore ad Theſſalonicenſes de Simone Mago & Cajo Caligula explicâſſe, in contrariam ſententiam PETRO MOLINÆO, qui HIPPOLYTI FRONTONIS nomen ſumſit, & SAM. MARESIO, qui ſub pallio JO. SIMPLICII delituit, contra GROTIUM, contra HAMMONDUM verò PHIL. MORNÆO & TH. ITTIGIO itemque JO. CLERICO calamum ſtringentibus, qui poſterior per Antichriſtum rebelles Judæos intelligit, ipſorumque Ducem Simonem, non Magum ſed Gioræ filium, cujus hiſtoriam JOSEPHUS de *bello Iudaico* L. C. 28. recenſea., JO. LIGHTFOOTUM & HERM. VON DER HARDT per Antichriſtum ſynedrium Judaicum intelligere, huncque poſteriorem à V. E. LOESCHERO refutatum fuiſſe paucis addimus. Sententia BELLARMINI de Antichriſto hæc eſt: *Antichriſtum fore Iudaum, oriundum è tribu Dan diebus 1290. ſive annis tribus naturalibus cum dimidio ante adventum Chriſti. Adultum Judaos habituros pro Meſſiâ aut ſeipſum pro Meſſiâ geſturum magiciſque artibus ad miraculum uſque à Satanâ inſtructum tribus cum dimidio annis in templo Hieroſolymitano habitaturum, legatos per univerſum orbem ad ſeducendas gentes miſſurum, juge ſacrificium ablaturum, concitatis Ebrais Ægyptum invaſurum hâcque occupatâ Æthiopiam cum Lybiâ ſibi ſubjecturum ſandemque Judaam ipſam armis occupaturum. Venturos dein è terreſtri paradiſo Enochum & Eliam*

Eliam ſacris veſtibus amictos in Jeruſalem 1260. diebus contra Antichriſtum prædicaturos & miracula edituros ſed ab Antichriſto occidendos, quorum corpora tribus cum dimidio diebus naturalibus ſint manſura inſepulta, quarto verò die reſuſcitatos cunctis videntibus in nube cœlum aſcenſuros & trigeſimo ab horum obitu die Antichriſtum de monte oliveti in cœlum aſcendere tentaturum, quem tamen Archangelus Michael ſit interfecturus. Poſt ejus interfectionem quadraginta dies naturales ad extremum judicium ſuperfuturos ajunt. Sed apage nugas, quas dudum noſtri exſibilavere, BALDUINUS, qui SCIOPPIUM heic refutavit, HEILBRUNNERUS, DANNHAWERUS, MORNÆUS, HEIDEGGERUS. Notandum verò & id eſt jam in *libris* noſtris *ſymbolicis* Pontificem Romanum vocari Antichriſtum, in *Artic.* quippe *Smalc. p. 314. 315. 316.* imò ipſum diabolum. Verba enim ſunt hæc MART. LUTHERI: *In Concilio ſtabimus non coram Caſare aut politico magiſtratu ſicut Auguſtæ Vindelicorum, ubi Caſar clementiſſimum edictum promulgans benignè & placidè cauſam & rem ipſam audiri volebat, ſed coram Papâ & ipſo diabolo comparebimus, qui nihil audire vult ſed ſimpliciter indictâ cauſâ damnare & occidere & ad idololatriam vi cogere. Quare hîc non ſunt nobis exoſculandi pedes illius nec dicendum:* gratioſiſſimus Dominus es, *ſed quemadmodum in Zachariâ Angelus ad Satanam*

nam dicebat : Increpet te Dominus, Satana! „ Nec eſt quod ajas, ſi Pontificem Antichriſtum dicamus, crimen læſæ Majeſtatis contra Imperatorem, qui Pontifici Romano calculum ſuum utique adjiciat, committi. Non eſt, non eſt, quòd nos, qui Proteſtantes ſumus, venerationem, quam ſacratiſſimo Imperatori noſtro damus, ſic lædamus & pedibus conculcemus. Jam enim & nihil hîc præter veritatem dicimus, quæ fraudi ſanè nobis eſſe nequit, nec convitium quoque ſecum iſte titulus fert, ubi nec convitiandi animus adſpergitur, nec ipſi illi Principes Pontificem Antichriſt'aniſmo inhiare negaverint, in quos condemnationibus ſuis & excommunicationibus injuſtis ſubinde Pontifex involat, cui frenum quoddam injectum jam eſt, poſtquàm Proteſtantes tyrannidem iſtam ferre non valentes inde à duobus ſeculis ſeparatos ab Eccleſiâ Romanâ cœtus agunt. Et quid? num & illud crimen læſæ majeſtatis exſtitit, ubi tempore Conſtantii Imperatoris Ariani orthodoxi in Arium tanquàm hæreticum Eccleſiæque carcinoma involârunt? Non crediderim. Sed jejuna hæc ſunt, quæ NIC. HUNNIUS in *innocentiâ Lutheranorum* cum aliis probè dudùm diluit. Jam verò dudùm demonſtravimus, Pontificem Romanum & ex ſuâ quoque mente propriâ Antichriſtum eſſe. Scilicet vox Ἀντίχριστος non ſolùm adverſarium ſed & vicarium Chriſti, qualem Pontifex ſe eſſe dicit, ſignificat. Vide *La verité*

verité de la Religion Proteſtante p. 196. Qua
Judæi de Antichriſto, quem Armillum voci
tant, nugas ſomnient, ex EISENMENGER
entdektem Iudenthum P. 2. C. 13. p. 705. ſq
C. 14. p. 747. patet. Quod reſtat, in genere ho
notandum eſt, ea, quæ de Antichriſto in ſ
cris literis dicantur, ſuis ſubinde & tenebris in
voluta eſſe, prout omnia iſta, quæ in iiſden
exſtant, ubi futura Eccleſiæ fata nobis depin
guntur. Jam enim, ſi veteris Teſtamenti va
ticinia heic in ſyſtematis cujuſdam Propheti
ordinem compingere & cum hoc ſyſtemat
dein Apocalypſin conferre tuaſque heic explica
tiones affundere & ea, quæ nondum implet
ſunt, DETERMINARE & certa hîc principia
ubi & convictio quædam animo tuo ſubnaſca
tur, condere velis, neſcio, num ſtatim hi
finem tuum aſſecuturus & in portum certitud
nis theologicæ perventurus ſis? Tentârunt ut
que hæc Viri præſtantiſſimi ſuoſque heic com
mentarios nobis largâ manu dederunt. Qu
enim eſt, qui neſciat Theologorum noſtrorum
in libros Propheticos & Apocalypſin, quam
certatim explanârunt, & ubi CLUVERUS
HOE, LUCIUS, BRUNSMANNUS, HEL
NISCHIUS præcipuam quandam induſtriæ & per
ſpicaciæ laudem acquiſivere, operas. Quis eſt, q
neſciat inter Pontificios RIBERAM, SYLVE
RAM, ALCASAREM, PERERIUM, BO
SUETUM, qui à VITRINGA, BOYERIO
OLEARI

Digitized by Google

OLEARIO aliiſque refutatus fuit, DE LA CITARDIE, DUPINIUM, & NAT. ALBERTUM DE VERSE noviſſimumque Scriptorem AUGUST. CALMETUM? Quis eſt, qui neſciat diverſas Theologorum Anglorum, quas heic dedere, explicationes, HAMMONDI, MEDI, WHISTONI, quem tamen poſtremum Theologis Anglicanis annumerare non ampliùs licet? Quis neſcit ea, quæ Theologi Reformati, maximè Coccejani nobis hanc in rem dedere, queis addas velim MARKIUM, VITRINGAM, CRELLOTIUM, BOLDUCCUM, HORCHIUM, BIERMANNUM, HEIDEGGERUM, FORBESIUM A CORSE, DRIESSENIUM alioſque infinitos, maximè PETR. JURIÆUM, qui à Romanenſibus, maximè PELLISSONIO, BOSSUETO, VERSÆO, BASTIDIO aliiſque hìc peſſimè habitus fuit. Quis neſcit heic cogitata GROTII, LIGHTFOOTI, CALIXTI, VON DER HARDT, PETERSENII & PETERSENIÆ, in quæ excurrere nobis heic planè non licet, qui, ut lector heic & inter alia præſtantiſſimi Theologi JO. REINH. HEDINGERI *præfationem* eruditiſſimam *in Apocalypſin* legat, volumus. Quin ſanè omnes, qui Theologiam Propheticam excoluere, inter quos NIC. GURTLERUS eminet, hùc pertinent. Horum nempe eſt, futura Eccleſiæ fata enarrare, in quibus explicandis, diſponendis, evolvendis, inſpicien-

Digitized by Google

dis, recenſendis magnæ utique tenebræ nos circumfundunt. Id verò probabile omninò eſt, ſupereſſe adhùc meliora Eccleſiæ tempora, supereſſe adhùc inſignem Judæorum converſionem, reſtare adhùc reſurrectionem illam primam & millenarium Apocalypticum, poſteà bellum iſtud Gogi & Magogi & inſignem quandam Antichriſti revelationem ıeporemque diem ultimum præceſſurum, ſupereſſe denique adhùc complementum rerum ferè omnium, quæ in Apocalypſi prædicuntur. Nec tamen hæc ipſa, quæ jam dicimus, difficultate ſuâ carent, cùm Johanni ea fuerint à ſpiritu Prophetico dicta, quæ MOX impleri debebant. Sed nondum ſanè impleta illa ſunt, neque in Judaiſmo neque in Chriſtianiſmo. Quæ verò *Matth.* XIII. quæ & *Apoc.* II. & III. in epiſtolis illis ad Eccleſiarum Aſiaticarum Epiſcopos dicuntur, nolim Prophcticè intelligi. Videatur tamen HERM. WITSIUS in *Miſcell. Sacr. T. I.* ubi hæc Vir præſtantiſſimus enucleat, & quæ ex utrâque parte proferri poſſunt, argumenta exponit. Aſt ad tertiam de ſacramentis ſectionem vel tandem progrediamur.

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO TERTIA
DE
SACRAMENTIS NOVI TESTAMENTI, BAPTISMO ET SACRA COENA.

§. I.

DE ſacramentis Novi Teſtamenti peculiarem ut tractationem inſtituamus, rei dignitas expoſcere videtur. Quid ad ſacramentum in genere & quid ad ſacramentum Novi Teſtamenti in ſpecie requiratur, quàm & πολύσημος ſit ſacramenti vox, jam ſupra p. 322. ſatis enarravimus & conſultò jam repetere nolumus, niſi quod ſpicilegii loco pauca quædam ſaltem addere hæc conveniat. Qui pag. 324. allegatur locus *Rom.* III. 3. juxta contextum ſuum probare videtur, DEUM, etſi multi ſint, qui fœdere ipſius indignos ſeſe faciant, cum iis tamen fœdus ſervare

& prærogativas fœdere in ſuo promiſſas ipſis continuare, qui ſeſe ut genuinos DEI fœderatos præſtent. Quæ ipſa num & hanc poſitionem fundent: *ſacramenta ſunt vera & efficacia, etiamſi à malis adminiſtrentur*, alia quæſtio eſt. De intentione Miniſtri, de quâ mox quædam addimus, ita ſentiunt Theologi, Miniſtrum utique ſine ullo dubio obſtrictum eſſe, ut ſacramento adminiſtrando adferat animum ſanctum, non peregrinantem ſed præſentem preceſque & quicquid Chriſtianæ diſciplinæ ratio requirit, ſed ab hujus ſanctitatis præſentiâ vel abſentiâ tamen non dependere efficaciam ſacramenti, & quamvis abſolutæ neceſſitatis ſit, ut in actu externo intentio Chriſti Magiſtri opuſque operatum in ſacris literis præſcriptum à miniſtro ſervetur, non tamen requiri heic ad efficaciam ſacramento infundendam ne quidem ut cauſam ſine quâ non ſanctitatem Miniſtri vel intentionem faciendi, quod faciat Eccleſia, ſive actualem ſive virtualem, (habitualis enim nulla eſt) neque etiam ſacramenti efficaciam ſufflaminare intentionem miniſtri poſitivè contrariam, ſi ſaltem opus operatum ſervetur, quæ ſententia Romanenſium eſt. Rationes noſtræ hæ ſunt. 1. Si nulla qualitas Miniſtri in genere addit demitque aliquid ſacramenti integritati, nihil igitur eidem adimit in ſpecie intentionis defectus, nihil addit præſentia. 2. Sic infidelitas humana DEI fidem poſſet irritam reddere.

3. quò

3. quò major intentio, hoc quoque major eſſet effectus ſacramenti, 4. uti verbo audibili nihil addit adimitve effectus ſacramenti *Phil.* I. 17. ita nec verbo viſibili. 5. quia nemo ſic de accepto baptiſmo certus eſſe poſſet & per conſequens & in Eccleſiâ Romanâ nemo de baptiſmo & ſic nullus clericus de ordinatione ſuâ, nullus & de veritate Euchariſtiæ, quam adorat, abſolutè certus eſſe poteſt. 6. quia miniſter hic agit ut miniſter, aſt miniſtri intentio in actum non influit ſed Domini intentio. E. g. ſi Princeps quidam per miniſtrum alicui centum thaleros donaverit, ſi ſaltem miniſter opus operatum hic ſervaverit & centum thaleros reverà exhibuerit illi, ad quem hoc donum ex intentione Principis pertinet, donum rectè ſe habet, licet intentione ſuâ miniſter mortem collo illius, cui hoc exhibet, imprecetur. Intentio quippe & poſitivè contraria ſubſtantiam rei, quæ ritè conſecratur, non poteſt mutare. Sed ais, cur itaque rejicis Baptiſmum Socinianorum, ſi intentio miniſtri efficaciam ſacramenti ſufflaminare non poſſit. Reſpondetur, miniſter baptiſmi debet eſſe perſona habilis, non puer vel mente captus vel dormiens vel Angelus aut diabolus vel is, qui non ſit Chriſtianus, qualis eſt, qui Trinitatem h. e. Patrem, Filium & Spiritum S. negat. Neque enim hi omnes poſſunt eſſe miniſtri Eccleſiæ, quia ad cœtum Eccleſiæ non pertinent. At verò ſi

is, qui ad cœtum Chriſtianum pertinet, intentione quoque Socinianâ baptizaverit, ſi ſaltem formam genuinam externam ſacramento affuderit, ſacramentum verum eſt. Sed urges & ais: At enim Miniſter omnis malus non eſt Chriſtianus ſcil. coram DEO, utpote à DEO non vocatus & ſervus Diaboli, ubi, etſi ſanctitas miniſtri ſacramentum non faciat, tamen ſacramentum DEUS nonniſi in hac τάξει conferri vult, nempe ab ejuſmodi aliquo, qui ſaltem jus civitatis in regno gratiæ habeat. At verò hìc itidem argumenta priora repetenda veniunt idque addendum, reſpiciendum eſſe non præciſe ad miniſtrum ſed ad cœtum quoque, cujus miniſter quis ſit. Is verò ſi fideles alat vel alere idoneus ſit, in eo & gratia divina floret, quæ in ſacramentorum diſpenſatione ſeſe oſtendit. Poſſunt autem & miniſtri ſacramentorum eſſe ſervato tamen ordine laici & mulieres, utpote ſacerdotio omnes florentes, cujus exercitium ſaltem, ut ordo in Eccleſia juxta chariſmata, quæ DEUS diſpenſavit, ſervetur, reſtrictum eſt nec niſi in caſu neceſſitatis ſeſe exerit. Extra caſum verò neceſſitatis adminiſtrando ſacramento adhibendus eſt miniſter Eccleſiæ legitimè vocatus, ordinarius, mas, ab accipiente diverſus, orthodoxus. Pium verò (hoc jam nos ad τρόπον παιδείας communem tantiſper addimus) tùm in tùm extra caſum neceſſitatis requiſiverim, nec eſt, qui diſſentiat. Forma ſacramentorum dicitur eſſe

actio

actio externa circa rem terreſtrem & cœleſtem cujuſvis ſacramenti, quam conſtituunt actus formales in unâ totali actione indiſtractè ſe invicem ſubſequentes, conſecratio, δόσις, λῆψις. Norma adminiſtrationis ſacramentorum eſt verbum divinum, quod ipſum complectitur (1) verbum mandati & inſtitutionis (2) verbum promiſſionis de gratiâ DEI & remiſſione peccatorum ſacramentali ritui annexæ (3) verbum invocationis & (4) verbum applicationis & determinationis ad τὸ τί καὶ νῦν. AUGUSTINI eſt vulgatum illud: *Accedit verbum ad elementum & fit ſacramentum etiam ipſum tanquàm viſibile verbum. tr. 80. in Ioh. C. 15.* & de *cataclyſmo* C. 3. quod tamen ipſe ad baptiſmum ſaltem dum applicat, oſtendit, ſe excluſivè ad uſum & actionem circa elementum iſta non efferre. Sacramentum enim præciſè in actione circa elementum, non in elemento conſiſtit, aliâs aqua baptiſmalis poſt baptiſmum reſidua adhùc ſacramentum eſſet, quod nemo ait. Quemadmodum autem ad integritatem ſacramenti requiritur elementum, verbum ejuſque applicatio & uſus, ita, ut hic ſalutaris ſit, fides eſt neceſſaria vel ea ſaltem animi diſpoſitio, quâ ad fidem quis perduci ſe per ſacramentum patiatur. Qui ſacramenti effectus, quandocunque ſe exerit, ſemper bonus atque egregius eſt. Finis ſacramentorum denique eſt gratiæ Evangelicæ OBLATIO, (quod expreſ-

Digitized by Google

ſt Theologi ponunt, uti ſaltem apud KOENIGIUM & QUENSTEDIUM videre eſt) ad iſtam accipiendam EXCITATIO (vide omninò *Aug. Confeſſ. Art. 13.* ubi *ad excitandam & confirmandam* exſtat) & præparatio, gratiæ item collatio & obſignatio *Ioh.* III. 5. *Eph.* V. 26. *Tit.* III. 5. *Rom.* IV. 11. Eccleſiæ Chriſti à cœtibus incredulorum diſtinctio, memoriæ beneficiorum divinorum conſervatio *Ex.* XII. 14. ſqq. *Pſ.* CXI. 4. *Luc.* XXII. 19. 1. *Cor.* XI. 25. ſqq. & charitatis ergà DEUM & proximum accenſio 1. *Cor.* X. 17. Jam verò id, quod p. 325. de efficaciâ ſacramenti ex opere operato diximus, hîc repetimus quoque & dicimus, veteres quoſdam Scholaſticos crudius iſta pronunciâſſe quàm ut ſalvari poſſint, interim tamen declarationem Bellarmini haud eſſe malam, quâ dicit, idem eſſe conferre gratiam ex opere operato ac conferre gratiam ex vi ipſius actionis ſacramentalis, non ex merito agentis vel ſuſcipientis. Nec tamen velim conqueri Romanenſes, (inter quos hic BOSSUETUS eminet,) injuriam ipſis hîc fieri. Inſpiciant ſaltem iſti, rogito, HULSEMANNI *manuale* pag. 161. ſqq. & DANNHAWERI *myſterioſoph.* pag. 78. ſqq. De ſacramentis Vet. Teſtamenti id contra Romanenſes notandum, quòd & illa juſtificaverint *Gen.* XVII. 7. *Rom.* IV. 11. Addendum & hoc, ſacramentum, quatenus gratiam offert atque hominem excitat & præparat, nondum

dum eſſe ſigillum, quod evadit tùm demùm, ubi gratiam confert. Ad requiſita ſacramentorum N. T. p. 326. enarrata & hoc denique pertinet, ut actio ejuſmodi ſacra non ad certum tempus ſit reſtricta ſed ex inſtitutione divina durare debeat uſque ad conſummationem ſeculi. Juxta verò requiſita hæc duo ſaltem ſunt Novi Teſtamenti ſacramenta *Joh.* XIX. 34. ſqq. 1. *Joh.* V. 6. 1. *Cor.* XII. 13. ut analogiam ſacramentorum V. T. jam haud haud memorem *Col.* II. 11. Jam autem ſeptem numerant Romanenſes, quæ & ſupra p. 326. pònimus. Confirmatio eſt cærimonia, quà ſolus Epiſcopus defungitur, ubi oleo balſamo mixto, quod ipſe ſolus conſecravit, frontem confirmandi inungit ad formam crucis inſimulque verba iſta pronunciat: *Confirmo te chriſmate ſalutis in nomine Patris, Filii & Spir. S.* Quo facto Epiſcopus confirmatum leviter manu cædit. Atque hoc jam ſacramentum, uti & baptiſmus & ordo imprimunt characterem indelebilem, propter quem repeti illud neſcit, confertque juxta Romanenſium mentem gratiam gratum facientem, majorem illam, quàm quæ baptiſmi eſt. Jam præter ea, quæ hanc in rem de *originibus juris eccleſ. p.* 146. 147. 227. diximus, notandum, ritum hunc nec à Chriſto nec ab Apoſtolis inſtitutum aut in ſacris literis præceptum legi. Ea enim confirmatio miraculoſa, quam Apoſtoli non mediante ulla unctione ſed per

impoſitionem manuum adhibuere, Pontificia profectò non eſt. In ſacramento pœnitentiæ deficit hoc, quòd illa Novo Teſtamento non ſit propria atque elemento externo nullo gaudeat. Vide & ſupra *p* 326. 527. 528. In ſacramento ordinis deſideratur elementum externum à Chriſto vel Apoſtolis traditum & promiſſio gratiæ ordinariæ, fidelibus omnibus communis, ut taceam, efficaciam gratiæ, quam Romanenſes ordini adſcribunt, non eſſe gratiæ juſtificantis ſive gratum facientis ſed gratis datæ i. e. autoritatis adminiſtrandi ſacra ſeu doni miniſtrantis. In extrema unctione, ubi oleo ex baccis olearum expreſſo, quale quotannis ab Epiſcopo in die viridium conſecratur & exorciſatur, à Sacerdote homini probabiliter morituro ſeptem corporis partes oculi, aures, naſus os, manus, lumbi & pedes inunguntur cum epiphonemate: *Per iſtam ſanctam unctionem & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi DEUS, quicquid deliquiſti per viſum, auditum &c.* & cujus effectus eſſe dicitur (1) ſanitas corporis, ſi ita expediat animæ ſaluti, item (2) abſterſio reliquiarum peccati, in extrema inquam unctione deficit inſtitutio Chriſti & Apoſtolorum, cùm ab unctione miraculoſa ægrotorum *Marc.* VI. 13. & *Jac.* V. 14. ad unctionem extremam moriturorum ad ſalutem animæ maxime directam iiſque cærimoniis veſtitam, quæ in unctione Apoſtolorum miraculoſa

loſa planè haud fuere, non valeat conſequentia. In matrimonio denique notandum 1. id neque in Novo Teſtamento demùm nec à Chriſto ut Novi Teſtamenti autore inſtitutum fuiſſe, nec 2. externum & viſibile elementum habere nec 3. gratiam juſtificantem conferre. De charaƈtere indelebili, qui per baptiſmum, confirmationem & ordinem imprimatur & quid ille ſit, confer JO. MORINUM de *ſacr. Ord. Ex. 3. C. 1. 2. f. 25. ſqq.* & J. A. SCHERZERI *Anti-Bellarminum Diſput. 9. Th. 5. p. m. 482. ſqq.* librumque noſtrum de *originibus juris eccleſ. p. 44. 45.* Scilicet ex charaƈtere ſequitur initerabilibitas. Vt verò eò magis pateſcat, litem de numero ſacramentorum ſeptenario multum ex λογομαχίᾳ involvere, legas, velim, leƈtor & inſpicias BELLARMINUM in *diſp.* de *controv. Chriſt. fidei adverſus hujus temporis hæreticos T. 2. L. 1. C. 9. f. 26. ſqq.* etſi & definitionibus Bellarminianis omnia ſacramenta Pontificia non congruant. Numerum verò ſeptenarium quod attinet, ante ſeculum VII. nullibi apud Patres clarè elatum eum fuiſſe fatetur & ſilentium hoc ex diſciplinâ arcani deducit EMANUEL SCHELSTRATE de *diſcipl. arc. C. 7. Art. 1. p. 104. ſqq.* quem ſecutus eſt ANT. PAGIUS. Sequiorem ſeptem ſacramentorum epocham alii faciunt, qui vel Lombardo vel Hugoni de S. Viƈtore primam eorum mentionem adſcribunt. Adde TENZELII *exerc.*

ſel.

Digitized by Google

ſel. P. 2. p. 269. ſqq. Inter Græcos plurimi de ſeptem ſacramentis ſcripſere, inter quos recentiores iſti Simeon Theſſal. & Gabriel Philadelphenſis eminent. Ordinem eſſe ſacramentum LUTHERUS & MELANCHTHON aſſeruere, qui & abſolutionem inter ſacramenta refert, uti jam indicamus. Scilicet pro eo ac ſacramentum quidem definiveris, pronunciandum hìc tibi fuerit. At verò hæc de ſacramentis N. T. in genere ſufficiant.

§. II.

Et ſic ad tractationem de baptiſmo jam luculenta nobis via patet. Præmiſſâ autem πολυσημίᾳ baptiſmorum ſanguinis *Matth.* XX. 22. *Marc.* X. 38. *Luc.* XII. 50. flaminis *Matth.* III. 11. *Marc.* I. 8. *Luc.* III. 16. *Act.* I. 5. XI. 16. luminis *Matth.* XXI. 25. *Marc.* XI. 30. *Act.* XVIII. 25. 1. *Cor.* X. 2. & fluminis, ad quem retuleris & tranſitionem per mare rubrum 1. *Cor.* X. 1. & quamvis lotionem Leviticam *Hebr.* IX. 10. vel cærimonialem *Marc.* VII. 4. *Luc.* XI. 39. notamus paucis, hùc ſpectare baptiſmum N. T. ſive ſacramentum illud initiationis, quod eſt καθαρισμὸς 2. *Pet.* I. 9. *Ioh.* III. 25. περιτομὴ ἀχειροποίητος *Col.* II. 11. λουτρὸν τοῦ ὕδατος ἐν ῥήματι *Eph.* V. 26. λουτρὸν παλιγγενεσίας καὶ ἀνακαινώσεως πνεύματος ἁγίου

Tit.

Tit. III. 5. ἐπερώτημα συνειδήσεως ἀγαθῆς εἰς θεὸν 1. *Pet.* III. 21. Jam eamus per poſitiones. I. Baptiſmum DEUS inſtituit. *Matth.* III. 16. 17. XXVIII. 19. Chriſtus ſanctificavit & Sp. S. per baptiſmum œconomicè regenerat *Tit.* III. 5. Unde inſtitutio hujus ſacramenti vocatur conſilium DEI *Luc.* VII. 30. Adde quòd ſcriptura baptiſmum Johannis deſcribit tanquàm θεόσδοτον *Matth.* XXI. 25. *Luc.* III. 2. ſq. *Ioh.* I. 33. II. Baptiſta ſemper eſto Chriſtianus, Miniſter Eccleſiæ vocatus, ordinatus, orthodoxus, pius, ſanæ mentis & vigilans, non gentilis, non puer, quamvis, qui Athanaſio puero adſcribitur, baptiſmus falſus ſit, uti pec. *epiſt.* demonſtravit MONTEFALCONIUS. In caſu neceſſitatis baptiſmum quoque validè adminiſtraverit hæreticus, impius, laicus, fœmina, (ſcilicet & fœminæ olim circumciderunt *Ex.* IV. 25. 1. *Macc.* I. 62. 2. *Macc.* VI. 10. & laici quoque ſacerdotio ſpirituali florent & in caſu neceſſitatis docere poſſunt,) ſi ſaltem opus operatum adſit h. e. forma baptiſmi externa per Chriſtum inſtituta. Adde & librum de *orig. juris eccl. p.* 115. *ſqq.* 142. *ſqq.* Diſſentiunt verò hìc Reformati, qui laico, qui mulieri etiam in caſu neceſſitatis ut baptizent, haud permittunt, quod tamen extra caſum neceſſitatis Sociniani & Anabaptiſtæ ipſis largiuntur. III. In baptiſmo eſt res terrena & res cœleſtis. Res terre-

Digitized by Google

terrena eſt ſola aqua *Ioh.* III. 5. *Eph.* V. 26. *Matth.* XXVIII. 19. cœleſtis eſt vel verbum, quod eſt baptiſmi formula, vel Sp. S. *Ioh.* III. 5. vel ſanguis Chriſti, vel tota Trinitas, ubi nihil horum omnium excluditur & tamen terminativè Sp.S. pro re cœleſti hujus ſacramenti haberi poteſt. Conf. *Ioh.* III. 5. ubi vide τὸ ἐκ, quod materiam ex quâ innuit. Contrariam hîc ſententiam fovet JO. MUSÆUS *in der auſsfuhrlichen Erklärung ad quaſt. 85. ſqq. p. 681. ſqq. particulam* ἐξ *non ſemper eſſe notam cauſæ materialis ſed etiam adhiberi de cauſâ efficiente quidque hic (* ἐξ ὕδατος καὶ αἵματος*) non poſſit de cauſâ materiali intelligi, quia, licet aqua baptiſmi cauſa materialis ſit, non tamen materialis cauſa ſit regenerationis ſed efficiens inſtrumentalis, quia regeneratio non ſit aliquid ex aquâ & ſpiritu velut ex materiâ conſtans ſed actio & mutatio hominis ſpiritualis à Spiritu S. & aquâ efficienter dependens, à Spiritu S. quidem, ut ab efficiente principali, ab aquâ verò, ut à cauſâ efficiente inſtrumentali. Unde Paulus etiam doceat, DEUM nos* διὰ λουτροῦ *per lavacrum regenerationis Sp. S. ſalvare Tit.* III. 5. De ſanguine verò Chriſti idem MUSÆUS p. 682. ita habet: *Scripturam S. quidem dicere, quòd nos purget ab omni peccato* 1. *Ioh. I. 7. ſed ex eo non ſequi, quòd ſanguis Chriſti ſacramentaliter unitus ſit aquæ baptiſmi & ſacramentaliter nos abluat & mundet à peccato.* Quemadmo-

Digitized by Google

admodum autem MUSÆUS materiam cœleſtem baptiſmi negat, ita & LUTHERUS Megalander in *artic. Smalcald. P. 3. art. 5. p. 329.* & plurimi alii Theologi. Vide J. G. BAJERI *Theol. poſit. P. 3. C. 10. p. 877. ſqq.* qui & SCHERZERUM adducit obſervantem, *quod materiæ cœleſtis vox h. l. non in ἀκριβείᾳ Philoſophorum ſed in latitudine quâdam pro RE cœleſti accipiatur. Strictè enim loquendo neque Spiritum S. neque verbum neque SS. Trinitatem cauſam materialem eſſe aut dici poſſe.* Nihilominùs alibi SCHERZERUS idem obſervat, omninò ſtatuendum eſſe, quòd Spiritus ſit res cœleſtis baptiſmi, quemadmodum aqua res terrena, τὸ ἐξ *Ioh.* III. 5. aliàs duplicem ſenſum habiturum, quod implicet. IV. Forma baptiſmi conſiſtit tùm in hominis baptizandi in aquam immerſione ſive quod perinde eſt, in aquæ affuſione cum repetitione verborum inſtitutionis conjuncta tùm in λήψει ſive receptione aquæ affuſæ ſeu aſperſæ. Jam duo ſunt, quæ heic evolvenda veniunt. Primum eſt, ut de immerſione quædam dicamus, alterum, ut de formulâ baptiſmi mentem noſtram efferamus. Quod illam concernit, notamus, immerſionem antiquiſſimam myſterioque regenerationis aptiſſimam *Rom.* VI. 4. *Col.* II. 12. longeque uſitatiſſimam olim fuiſſe, donec in ſequioribus ſeculis mutata fuit. Vide JO. DALLÆUM de *cult. Lat. L. 1. C. 25.* Nec tamen

men negandum & adſperſionem olim adhibitam fuiſſe, quod ſatis probant HAMMONDUS, VOSSIUS, FORBESIUS, BEVEREGIUS, QUENSTEDIUS, nec diffitendum, vocem *βαπτίζειν* utrumque deſignare, mergere & abluere. *Marc.* VII. 4. coll. *Luc.* XI. 38. *Act.* II. 38. *Matth.* III. 6. Quin eouſque vadit JO. LIGHTFOOTE, ut immerſionem pro illicitâ & merâ *ἐθελοθρησκείᾳ* habeat, cùm (ut ille quidem habet) טְבִילָה ubi de baptiſmis V.T. uſurpatur, nonniſi adſperſionem ſignificet. Vide *vitam* ipſius *.*.*. 2. Una verò vel trina num ſit adſperſio vel immerſio, ad ſubſtantiam baptiſmi nil refert, trina tamen rectior eſt. Vide VOSS. *de bapt. diſp.* 2. Quod formulam attinet, etſi baptiſmus in nomine Chriſti factus verus ſit *Act.* II. 38. VIII. 12. 16. X. 48. XIX. 5. (id quod tamen pec. tr. Pariſiis edito inficiatus eſt JOAN. HARDUINUS,) rectè tamen itidem cum Eccleſia vetere inhæretur verbis è *Matth.* XXVIII. 19. depromtis. Peccarunt itaque Gnoſtici, qui baptizarunt in nomine ignoti Patris omnium, peccarunt Pauliniſtæ, Marcionitæ & Cataphryges, qui negarunt, in nomine Trinitatis eſſe baptizandum, & Ariani, qui in nomine Patris ſaltem baptizavere & Bernhardus Hugoque de Victore, qui approbarunt baptiſmum adminiſtratum ſub hac formula: *baptizo te in nomine DEI & ſanctæ crucis.* Peccant & Romanenſes & Sociniani, qui nullam certam formulam in Evangelio

gelio præſcriptam fuiſſe ajunt. Quin conſtat quoque, Zachariam Pontificem Romanum baptiſmum *in nomine Patria, filia & ſpiritua ſancta* a rudi ſacrificulo adminiſtratum ratum habuiſſe & Bonifacium taliter baptizatum rebaptizantem increpaſſe. *P. 3. Decr. diſt. 4. C. 86.*

VI. Effectus, qui cum actione, quæ ritè peragitur, conjungitur, eſt unio ſacramentalis aquæ cum SS. Trinitate, non relativa tantùm aut figurativa ſed typica ſed exhibitiva rei cœleſtis, in actu nempe baptiſmi, unde is eſt lavacrum regenerationis in verbo *Joh.* III. 5. *Eph.* V. 26. *Tit.* III. 5. 1. *Petr.* III. 21. ubi paucis notamus, *παράφρασιν* dicti Johannæi hanc eſſe: *Niſi quis proſelytus fiat,* (quod aquæ tinctione apud Judæos factum) *atque per eum, quem jam inſtitui, baptiſmum,* (Johannes enim, præambulo Chriſti baptizabat & diſcipuli Chriſti baptizabant,) *in diſcipulum meum evadat ſpirituque divino repleatur,* (qui & in me deſcendit, cùm baptizarer,) *regnum DEI ingredi nequit.* Nolim ergo, quod ſunt qui faciunt & contra mentem veterum id faciunt, locum hunc de baptiſmo impropiè ſic dicto ſumere. Jam obelo transfigi videas hic dogmata 1. Romanenſium, qui ſcil. ob ſententiam, qua dicunt, concupiſcentiam non eſſe peccatum, ſtatuunt in baptiſmo penitus tolli peccatum, qui & ajunt, baptiſmum conferre gratiam juſtificationis adeoque & fidem ex opere operato apud eos, qui non ponant obi-

cem, quod verò ſi rectè explicetur, ab orthodoxia noſtra non abludit, denique, qui ajunt, per baptiſmum characterem indelebilem animæ imprimi, cujuſmodi character phyſicus inane quoddam ſpectrum eſt, character ſpiritualis verò, qui in regeneratione hominis affunditur, facilè per peccata mortalia deleri poteſt. 2. Reformatorum, qui arbitrantur, baptiſmum externum ſignificare ſaltem id atque adumbrare, quod per baptiſmum internum, qui ſit regeneratio, perficiatur gratiamque baptiſmo objectivè ſaltem offerri, exhiberi & obſignari. Sunt tamen inter eos, quod probè obſervandum, & alii, qui ultra hoc vadunt. Quid de efficacia baptiſmi inter ELIAM SAURINUM & PETRUM JURIÆUM, qui poſterior baptiſmo effectum juſtificationis & ſanctificationis adſcripſit, diſputatum fuerit, exhibent *acta erudit. Lipſ. 1695. Maj. p. 196. ſqq.* ubi & memoratur, qui JURIÆUS hic tanquam conſentientes G. J. VOSSIUM, LUD. LE BLANC & SAMUELEM WARDUM pro ſe allegaverit. Conferri autem & hic meretur de baptiſmatis infantilis vi & efficacia diſceptatio inter eundem WARDUM & TH. GATAKERUM, quæ habetur ad calcem *operum criticorum* GATAKERI Trajecti ad Rhenum A. 1698. ab H. WITSIO editorum, qui & ipſe JURIÆO ſeſe oppoſuit in exercitatione de *efficaciâ baptiſmi in infantibus*, quæ eſt *num. XIX. Miſc. T. 2. p. 614. ſqq.* 3. Remonſtrantium & Socinianorum, qui baptiſmum tantùm divinæ gratiæ

gratiæ & profeſſionis ſignificationem eſſe aſſerunt. VII. Baptizandi ſunt omnes homines nati non reſiſtentes, vivi, ſine diſcrimine gentis, ſtatûs, ſexûs, ætatis adeoque & infantes. *Matth.* XXVIII. 19. *Gal.* III. 27. *Act.* VIII. 12. XVI. 15. De pædobaptiſmo ſententiam noſtram luculenter extulimus tr. in de *originibus Juris eccleſ.* p. 83. *ſqq.* ubi ex ſcriniis celeberrimi THOMASII quoque ſapuimus & in argumento, quod pro pædobaptiſmo formavimus, analogiam ex circumciſione quæ deſumitur, adponere neglximus. Cæterùm conſtat, quid de fide infantum noſtra ſentiat Eccleſia, quam & eadem ait per baptiſmum in infantibus accendi, negantibus quibuſcunque aliarum religionum ſociis, qui fidem certè actualem, (habitualem quidem & ſeminalem, ſecundum quam ſemen aliquod fidei in infantibus ſit, quod ſuo tempore apud eos adultos in actum erumpat, concedunt varii ex Romanenſibus & Reformatis,) qui & regenerationem propriè ſic dictam, quæ per baptiſmum fiat, infantibus denegant. Scilicet, exiſtimat eadem, liberos Chriſtianorum parentum, de infantibus enim, qui extra Eccleſiam ſunt, id ἐξαγώνιον eſt, etſi ſanctitate quadam externa & eccleſiaſtica polleant, quòd in gremio Eccleſiæ nati conſpiciuntur, *Rom.* XI. 16. 1. *Cor.* VII. 14. tamen ſanctitate nulla interna fulgere, quem errorem in Anabaptiſtis carpit *Formula Conc. p.* 623. 826. 827. At Reformati

unt, liberos fidelium ſanctos naſci & in fœdere DEI eſſe. Nos provocamus ad *Eph.* II. 3. *Hiob.* XIV. 4. *Pſalm.* LI. 7. *Joh.* III. 6. *Eph* V. 27. *Act.* II. 38. *Joh.* I. 12. 13. Diſſentientes verò ad *Gen.* XVIII. 7. *Act.* II. 39. *Rom.* XI. 16. 1. *Cor.* VII. 14. *Luc.* I. 15. *Ier.* I. 5. *Gen.* XXV. 23. *Rom.* IX. 13. *Gal.* II. 15. Jam & quæritur, num infantes non baptizati eapropter in æternum pereant & diſtinguitur inter eos, qui ſint in & qui ſint extra Eccleſiam. Illos perire pœna damni & abituros in limbum infantum Romanenſes ſentiunt, Proteſtantes ſalvari aſſerunt, cùm ſacramentorum neceſſitas non ſit abſoluta ſed hypothetica ſoluſque contemtus hic damnet. Ita enim Auguſtinus *L.* 4. *contra Donatiſtas C.* 32. *Non privatio ſed contemtus damnat.* Quin nec Chriſtus *Marc.* XVI. 16. non dicit, *quicunque non crediderit nec baptizatus fuerit, damnabitur.* Denique & precibus parentum aliquid hic tribuendum eſſe videtur, maximè cùm benevolentia DEI ſit univerſalis, cùm DEUS promiſerit, ſeſe futurum eſſe DEUM ſeminis fidelium *Gen.* XVII. 4. *Act.* II. 39. cùm denique aſſertio illa Chriſti, quòd infantum ſit regnum cœlorum, dicta ſit ſine conſtituto diſcrimine inter baptizatos & minus baptizatos. *Matth.* XIX. 4. Quod verò attinet extra Eccleſiam natos, magna Theologorum pars eos orco addicit, quò & inclinat *Apol. Aug. Conf. p.* 156. Sed diſplicet aliis hic rigor, qui miſericordiæ divinæ

vinæ illos tradunt & prudenter in re haud revelata ἐπέχουσι. Vide ven. Parentis noſtri diſſert. de *baptiſmo* §. 28. *p*. 15. 16. Sunt &, qui ad ſcientiam DEI mediam hîc provocent, ajantque, eos ſalvari, quos DEUS præviderit, Evangelio obſecuturos, ſi ad ætatem adultam perveniſſent, eos damnari, quos præviderit non crediturus. Ita HVTTERVS, ita HVLSEMANNVS. Sed hoc ficulneum eſt, cùm nonniſi incredulitas actualis damnet & nonniſi fides actualis ſalvet. Nec enim Tyrii & Sidonii ob pœnitentiam futuribilem ſalvati fuere. Jam & ſi protervia quoque futuribilis damnat, ad prævertendam eam omnis dierum abbreviatio *Matth*. XXIV. 22. *Marc*. XIII. 20. *Sap*. IV. 11. fruſtra foret. Cæterùm quoad fidem infantum (ad hoc enim redeundum eſt,) diſtinguunt Theologi inter fidem directam & fidem reflexam. Illam infantibus baptizatis tribuunt, quam nempe baptiſmus in iis operetur, hanc denegant. Argumenta noſtra hæc ſunt, petita nempe ex *Pſalm*. VIII. 3. *Matth*. XVIII. 3. 6. 10. XIX. 14. *Marc*. IX. 42. X. 13. ſqq. *Luc*. XVIII. 15. ſqq. ubi expreſſè dicitur, quòd infantes credant, quòd placeant DEO quod ipſorum ſit regnum cœlorum, quòd ſint ſub cuſtodia Angelorum. Et ſermo hîc de βρέφεσι, de infantibus ſtrictiore ſenſu ſic dictis eſſe dicitur. Sed vide, quid ad *Matth*. XVIII. 6. nos annotaverimus: *Contextus cùm doceat, de parvulis ætate talibus hîc quæſtionem eſſe,*

falluntur omnes ii, qui fidem puſillis denegant, quam Chriſtus illis clariſſimis verbis tribuit, talibus tamen, qui poterant σκανδαλίζεσθαι & quibus adeò rationis jam uſus tantiſper competit. **Πιςεύειν** *autem hic dicit* fiduciam *ponere, qualem fiduciam in iis collocare ſolent puſilli, quos ſibi faventes vident & experiuntur.* Et ad *Matth.* XIX. 14. dicimus: **τοιούτων**. *Vocem hanc ſi curatiùs inſpexeris, videbis, iis adſcribi regnum cœlorum, qui ſunt SICUT INFANTES, humiles quippe animo & ſimplices. Vide Matth. XVIII. 3. Aſt & parvulorum regnum DEI eſt, tùm ratione acquiſitionis tùm ratione applicationis, DEO & extraordinariè & ordinariè in iis pro ratione captûs operante. Unicum ſaltem id heic addimus, (1. non determinari præciſe poſſe, cujuſnam ætatis hæc* **παιδία** *fuerint, haud certè provectioris cùm Chriſtus dicatur* **ἐναγκαλισάμενος** *Marc X. 16. eademque* βρέφη *Luc. XVIII. 15. nuncupentur, (2) argumentum pro Pædobaptiſmo ex h. l. deductum magis illuſtrare rem quàm probare, cùm Chriſtus non baptizâſſe infante, ſed ipſis benedixiſſe legatur, etſi id ſaltem exinde pateat, idoneos eſſe, qui baptizentur, infantes, quod ſufficit.* Addimus jam hoc. Nemo eſt, qui negaverit, infantes anima rationali florere. Jam vità animæ eſt cogitatio per tres mentis operationes ſeſe exeren

& ſemper exerens, anima enim nunquàm dormit, etſi tùm conſcius iſtarum operationum homo eſſe nequeat, ubi corpus vel nondum vel malè vel ſecus diſpoſitum eſt, cogitat itaque anima in infantibus, nullumque eſt dubium, quin DEVM, cujus ideam inſitam illa habet, cogitet & ſæpius cogitet & ad fidem actualem, quæ per baptiſmum infundi ſupponitur, ſit habilis. Aſt & adſpergi hìc poteſt exemplum Joannis Baptiſtæ *Luc.* I. 41. Conſtat autem, quid de fide infantum, quam curatè ex civibus noſtris PFOSTIVS explicavit, ex VITRINGA ad Lancelottum nuper diſſeruerit celeb. THOMASIVS. Aſt ut ad pædobaptiſmum redeamus, novimus, quid ad *Matth.* XXVIII. 19. à noſtris reſpondeatur, ubi videtur inſtitutio prius requiri, antequàm ad baptiſmum procedatur, quæ verò non competit infantibus, novimus, inquam, quid heic reſpondeatur, μαθητεύειν non eſſe docere ſed diſcipulare, quod & per ſolum baptiſmum fieri poſſit, & *Marc.* I. 15. inſtitutionem utique in adultis, qui tùm maximè ad baptiſmum ſeſe oggeſſerint, prærequiri. Planè autem ex *Matth.* XXVIII. 19. pædobaptiſmum liquere WITSIVS in *œcon. fœd. DEI L.* 4. C. 16. §. 42. p. 892. oſtendit. VIII. Finis baptiſmi eſt collatio fidei & gratiæ fœderalis itemque regenerationis in infantibus, in adultis credentibus fidei & gratiæ confirmatio & obſignatio, Chriſtianorum à cœtibus infidelium di-

Digitized by Google

ſcretio & excellentiſſima ad ſanctificationem eaque ex fœdere, quod hic cum DEO pangimus, fluens excitatio. IX. Adjuncta baptiſmi ſunt, ſolennis adminiſtratio, neceſſitas & medii & præcepti *Joh.* III. 5. non abſoluta ſed hypothetica *Marc.* XVI. 16. irreiterabilitas, datur enim unus ſaltem baptiſmus *Eph.* IV. 5. qui eſt ſacramentum initiationis, quod tàm non repetitur quàm non repeti poteſt circumciſio, nec fœdus baptiſmale à patre DEI unquàm rumpitur 2. *Tim.* II. 13. ut taceam deciſionem veteris Eccleſiæ, quæ in Concil. Nic. anabaptiſmum damnavit. Vide lib. de *orig. juris eccl. p.* 145. & maximè VOSSIVM de *bapt. diſp.* 17. *ſqq.* Unde & rejiciendus venit anabaptiſmus, qui verò malè ſupponit, unicum ſaltem in mundo cœtum Chriſtianum eſſe, qui verus ſit, nempe anabaptiſticum, id quod inſulſum eſt, quia ſectarium eſt. Vltimum adjunctum eſt duratio. Baptiſmus enim, etſi apud Judæos proſelytorum ſaltem fuerit, tamen, prout in Eccleſiam Chriſtianam tranſlatus eſt, nullibi in ſacris literis ad Proſelytos Chriſtianorum reſtrictus eſſe legitur ſed potiùs ab Eccleſià Chriſtianà univerſali etiam iis, qui in gremio Eccleſiæ nati fuere, ſemper adminiſtratus eſt. Nec nos morantur, quæ Sociniani hìc, quæ & ANTONIVS VAN DALE habet. X. Baptiſmi neceſſitatem, hypotheticam illam, doctrinæque hujus fundamentalitem itidem hypotheticam malè negant Sociniani,

niani, malè negant Remonſtrantes. *Joh.* III. 5. *Matth.* XXVIII. 19. *Ebr.* VI. 2. XI. Baptiſmus Johannis à baptiſmo Chriſti num diverſus exſtiterit, quæritur. Diverſum exſtitiſſe ſtatuerunt Patres quidam, quos hodiè ſequuntur Pontificii & Sociniani. Eundem fuiſſe probant identitas originis, fuit enim & baptiſma Johannis à DEO *Matth.* XXI. 25. *Marc.* XI. 29. *Luc.* III. 2. VII. 30. XX. 4. *Joh.* I. 33. identitas materiæ, *Matth.* III. 11. identitas formæ, baptizavit enim in Meſſiam *Joh.* 2. 27. identitas effectus, in remiſſionem peccatorum *Matth.* III. 7. *Marc.* I. 4. *Luc.* I. 3. III. 3. 7. *Joh.* I. 37. Nec valet objectio ex *Matth.* III. 11. & *Marc.* I. 8. petita, cùm baptiſmus fluminis & flaminis, non baptiſmus fluminis utriuſque Johannis & Chriſti hic inter ſe opponantur. Quin nec *Act.* XIX. 3. 4. diverſitatem oſtendit, cùm nullus ibi anabaptiſmus inveniatur & comma 5. de baptiſmo à Johanne non à Paulo collato agat. Conf. autem hic celeb. FABRICII *Bibliogr. antiqu. C. 11. p.* 391. 392. XII. Exorciſmus in Eccleſiâ qui viget, ubi Sacerdos exſufflat ter in faciem baptizandi & dicit: 1. exi Satana, da honorem DEO vivo & vero 2. exi immunde ſpiritus, da honorem Filio ejus J. C. 3. fuge immunde ſpiritus, da locum Spiritui S. paracleto, eſt ſuperſtitioſus. Vnde, ubi cum grano ſalis exorciſmum noſtræ quædam adhibent Eccleſiæ, id quod vel maximè Reformatis diſplicet, ab eo quidem ri-

tu, quem in noſtris haud damnamus, nos rectè abſtinemus. Vide tamen Autores, qui de exorciſmi ritu ſcripſere apud FABRIC. in *Bibliogr. antiqu. C. 11. p. 389.* XIII. Chriſtus baptiſmo ſuo noſtrum commendavit & ſanctificavit, virtutem infinitam hàc quoque ratione ipſi promerendo & cærimonias omnes, qualis erat baptiſmus Johannis noviter à DEO præceptus, ſervando. Cæterum ipſe Chriſtus nunquàm baptizavit *Ioh.* IV. 2. ſcil. αὐτοχειρὶ, aliàs enim utique per diſcipulos baptizavit *Ioh.* III. 22. 26. Num & à quo Deipara & Apoſtoli fuerint baptizati, num omnes à Johanne Baptiſtà vel à ſe invicem, non liquet. Vide librum noſtrum de *orig. juris eccleſ. p. 42.* XIV. De ſponſoribus ſive patrinis eorumque antiquitate vide Autores apud FABRIC. in *Bibl. antiqu. C. 11. p. 390. 391.* XV. De baptiſmo pro mortuis confer pauca illa, quæ de *orig. juris eccl. p. 83.* diximus, eundemque FABRICIUM *C. 11. p. 392. 393.* XVI. De baptiſmo laicorum vide eundem librum de *orig. Iuris eccl. p. 142. 143.* XVII. Hiſtoriam dogmaticam, maximè de neceſſitate baptiſmi, quam Patres plurimùm evexere, unde & nata fuit iſta opinio, infantes ἀβαπτίστους perire, dedit G. J. VOSSIUS *diſputationibus* 20. de *baptiſmo*, quæ Amſtelodami A. 1648. 4. prodiere & GUIL. WALLIUS in *hiſtoriâ pædobaptiſmi.* Cæterùm de hæreticis, qui olim circa baptiſmum erravere, hæc pauca ſic habe.

Menan-

Menander ſtatuit, ſuum baptiſmum reddere immortales. Vid. IREN. L. I. C. 21. & TERTULL. de *animâ C. 50.* Carpocratiani ſtigmata auribus imprimebant in baptiſmo, ut exprimerent baptiſmum ignis. Vide rurſus IREN. L. I. C. 24. Valentiniani baptiſmi neceſſitatem negârunt, uti item Iren. habet L. 1. C. 18. L. 3. C. 2. Cerinthiani & Marcionitæ vivos baptizabant pro mortuis. Vide EPIPH. *hær. 28.* CHRYSOST. & AMBROS. in 1. *Cor.* XV. Adde TERTULL. L. 5. adv. *Marc. C. 10.* Marcionitæ mortuos baptizabant. Vide TERTULL. L. 4. *contra Marc.* C. 11. Idem factitabant Valentiniani, Montaniſtæ & Cataphryges, uti referunt Irenæus & Philaſtrius. Hinc Concil. Carthag. III. Can. 6. & 34. prohibet baptizare mortuos. Hieracitæ negavere, infantes baptizatos ſalvari. EPIPH. *hær.* 67. Quintilla rejecit baptiſmum in genere. TERTULL. de *bapt.* C. 1. Manichæi ajebant, baptiſmum nihil conferre utilitatis, hinc nec ipſi baptizabant. Confer AUGUST. de *hær.* C. 46. Adde tamen CYRILL. *Cat. 6.* Meſſaliani itidem exiſtimabant, baptiſmum eſſe inutilem. THEODORET. L. 4. C. 10. *Hiſt. tripart.* L. 7. C. 11. Archontici nullum baptiſmum habuere. Vide EPIPH. de Archonticis. Idem de Seleucianis vel Hermianis AUGUSTIN. de *hær.* C. 59. memorat. Marcion ſtatuit, unam eandemque perſonam ſæpiùs rebaptizandam eſſe, ſi nempe

in

Digitized by Google

in peccatum ceciderit. EPIPH. *hær.* 42. CRULLIUS in *the preſent ſtate of Muſcovy* C. 11. dicit, Moſcovitas rebaptizare hæreticos. Aſt BREREWOODUS C. 23. ait, baptiſmum iſtum non reputari pro ſacramento ſed ſaltem pro ritu receptionis. Et quæ alia hìc congeri poſſent. XVIII. Baptiſmum in temporibus Apoſtolicis ſubinde ſecuta eſt effuſio Spiritûs S. miraculoſa, quæ hodiè ceſſat. *Act.* II. 38. XIX. De baptiſmo Judaico velim præter eos Autores, quos nuper nominavimus, conferas vel maximè WITSIUM de *œcon. fœd. DEI* L. 4. C. 16. §. 4. ſqq. p. 873. ſqq. qui in iſtâ de baptiſmo tractatione profectò multa erudita habet. XX. Egregium id atque planè inſigne in vetere ritu baptiſmali eſt ἐπερώτησις illa & interrogatio longè antiquiſſima, ubi abrenunciatur Satanæ, & ſacramentum, quo Chriſto nos obſtringimus, vel maximè à Miniſtris Eccleſiæ in explicatione baptiſmi urgendum. Legi hanc in rem jam poſſunt TERTULLIANUS & CYPRIANUS. XXI. Myſterium baptiſmi egregiè l. c. exhibet WITSIUS, quem videas velim. Ita ait ille, immerſionem in aquam mortem veteris hominis adumbrare, moram ſub aquis ſepulturam corporis peccatorum repræſentare, emerſionem ex aquâ novi hominis ad ſpiritualem vitam ſuſcitati, imò reſurrectionis futuræ ſymbolum eſſe. Ablutione addit ſignificari purgationem animæ à ſordibus peccati, quam inſequa-

Digitized by Google

inſequatur indutio Chriſti, in cujus rei ſymbolum recens baptizati apud antiquos veſte candidâ induti fuerint, quam totâ à baptiſmo hebdomadâ geſtaverint neque depoſuerint niſi octavâ à Paſchate & Pentecoſte die, quæ idcircò dominica in albis dicta fuerit, uti illi candidati, albati. Adjicit denique officia baptizatorum WITSIUS erga DEUM, cui conſecrentur, erga Chriſtum, cui tanquàm capiti & ſponſo uniantur, in cujus mortem & reſurrectionem earundemque communionem & qui baptizati ſint, imitari eundem jugiter debeant, erga ſemet ipſos, quòd à peccato abluti in priſtinas ſordes recidere ipſos haud deceat, erga proximum, qui diligendus ipſis veniat, cùm in unum corpus in uno ſpiritu omnes baptizati ſimus. 1. *Cor.* XII. 13. *Eph.* IV. 3. 5. Sed hæc de baptiſmo ſufficiant.

§. III.

De altero N. T. ſacramento h. e. de Euchariſtiâ jam, quæ neceſſaria ſunt, agedum efferamus. I. Loca Scripturæ ſanctioris, ex quibus totus hic articulus extrahendus eſt, hæc ſunt *Matth.* XXVI. 26. ſeqq. *Marc.* XIV. 22. ſqq. *Luc.* XXII. 19. ſqq. 1. *Cor.* X. 16. 21. XI. 23. ſqq. Ubi ſanè Euchariſtia vocatur cœna dominica, communicatio corporis & ſanguinis Chriſti, menſa Domini, novum Teſtamentum, Græcis ipſo illo nomine εὐχαριστία, σύναξις, ἀγάπη, λειτουργία, θυσία, προσφορὰ,

φορὰ, μυςήριον. II. Chriſtus hoc ſacramentum inſtituit & ad analogiam cœnæ Paſchalis inſtituit. Rem ſatis deduximus in diſſ. de oblatione Euchariſtiæ §. 1. ſqq. ubi ſanè §. 5. ſub finem & verba τῦτό ἐςι τὸ σῶμά μȣ ex phraſi Judaicâ explicamus & dicimus : *Vox σῶμα ex Judaicâ φράσει debet derivari. Judæis enim agnus paſchalis aſſus inque menſâ poſitus olim dicebatur* גופו של פסח vel גופו של כבש הפסח corpus Paſchatis. (Non ſanè ſaltem figuratum ſed verum.) *Huc ſine dubio alluſit Chriſtus, ut innueret, diſcipulos quidem ſuos hactenùs corpus Paſchatis comediſſe, hoc eſt, typum Corporis ſui in mortem mox tradendi, nunc verò ſe ipſis dare verum* corpus ſuum, *in locum typorum veteris Teſtamenti tanquam complementum ſucceſſurum.* Atque ex his jam judicari velim de iis, quæ hanc in rem celeberr. THOMASIUS adfert in *cautelis circa præcognita Iurisprudentiæ* C. 19. ubi exhibet cautelas circa ſtudium theologicum §. 17. p. 325. 326. Addi verò omninò hic poſſunt debentque Autores à JO. ALBERTO FABRICIO in *Bibliogr. antiqu.* C. XI. §. 26. p. 398. citati. III. Euchariſtiam ſolus Eccleſiæ miniſter diſpenſare poteſt, nullus laicus, ne quidem in caſu neceſſitatis. Talis enim non datur, cùm ſacramentum hoc tantæ neceſſitatis haud ſit ac baptiſmus, ſed, ubi Mini-

Miniſter Eccleſiæ haberi nequit, illud Auguſtini valeat: *crede & manducâſti.* Theſis probatur ex 1. *Cor.* IV. 1. Debet tamen miniſter Eccleſiæ orthodoxæ Eccleſiæ miniſter eſſe. IV. Materia ſacramenti Euchariſtiæ eſt vel terrena vel cœleſtis. Terrena eſt panis, fermentatus, azymus, oblongus orbicularisve ſit, nihil intereſt, & vinum verum & naturale in quâcunque quantitate aut qualitate. Ubi panem dicimus, quemcunque panem deſignamus, ſive triticeum, ſive hordeaceum, ſive fabaceum. Num in Eccleſiâ antiquâ maximè latinâ panis fermentatus vel azymus adhibitus fuerit, longa lis olim apud olim eruditos fuit, SIRMONDO, LAUNOJO & TOMASIO pro fermentati uſu, MABILLONIO & LUPO pro uſu azymi contendentibus, BONA verò, qui tamen poſtea in MABILLONII ferè ſententiam abiit, & FLORENTINIO utrumque promiſcuè in uſu fuiſſe docentibus. Quin & JO. CIAMPINUS de *perpetuo azymorum uſu in Eccleſiâ latinâ* librum A. 1688. 4. edidit, cui adjungi debet, qui contrarium ſentit, JAC. BASNAGE in *hiſt. de l' Egliſe* L. 14. C. 3. Jam verò conſtat, Chriſtum, qui eodem cum Judæis die Paſcha comedit, azymo pane uſum, litemque de hoc argumento inter Eccleſiam Græcam & Latinam, Michaëlem Cerularium, Patr. Conſtanc. & Leonem IX. Pontificem Romanum ſeculo X. enatam eſſe, ubi Eccleſia Græca pro fermentato, Romana pro azymo ſtetit.

ſtetit. Qui pleniores hîc crateras anhelat, hau
riat, ſi velit, quævis egregia ex celeb. D. BUD
DEI *exerc. hiſt.* de *ſymbolis Euchariſticis p.* 8
ſqq. & addat *præfationem* ad *parerga hiſtorici
theologica* p. 13. ſqq. In his enim parergis di
ſertatio illa primo loco adparet. Inſpice ver
&, ſi placet, lector, celeb. FABRICII *Biblio
antiqu.* C. 11. §. 26. p. 201. 402. De pan
bus orbicularibus, quæ tamen frangerentur
in primitivâ Eccleſiâ uſurpatis velim conſu
eundem cel. BUDDEUM l. c. §. 13. itidemqu
in præfat. p. 22. ſqq. alios ut Autores, quo
FABRICIUS in *Bibl. antiqu.* C. 11, §. 26.
401. allegavit, taceamus. Chriſtum vetere
que vinum aqua dilutum conſecraſſe patet. V
de diſſ. noſtram de *oblat. vet. Euch.* §. 4.
ſqq. in *anecdotis Irenei* & vel maximè quoqu
diſſertationem illam BUDDEANAM §. 10.
21. 22. Quin hunc morem adhùc retinuer
LUTHERUS, uti conſtat ex *catechiſmo maj
re* de ſacramento altaris p. 553. In *Formul*
verò *Miſſæ Witteb.* T. 2. Jen. lat. f. 589.
nondum ſibi tunc (A. 1522.) conſtitutum
fuiſſe ait, miſcendane ſit aqua vino, quamvi
ad merum inclinet. Quamvis autem vinum
aquâ tantiſper dilutum adhiberi poſſit, neceſſa
rium tamen tale haud eſt, maleque eapropte
Armeni in Synodo Trullanâ damnati fuere
quòd mero vino in Euchariſtiâ uſi fuere. Ja
autem quis non horreat ad impuriſſima illa ve
[illegible] terum
[illegible]

rerum hæreticorum ſacra, quibus ſpurciſſima erat ſacramenti materies? Vide eundem D. BUDDEUM in eadem diſſ. §. 1. Idem & Cataphrygum atque Montaniſtarum ſcelus eucharisticum hùc pertinens §. 4. memorat. Artotyritæ panem & caſeum ad euchariſtiam adhibuere §. 5. Tatiani, Aquarii iidem & Hydroparaſtatæ ſive Encratitæ, ſolà aquâ adhibitâ, vinum in Euchariſtiâ proſcripſere, id quod plurimùm reprehendit CYPRIANUS. §. 6. Neſcio verò, numhùc referenda ſit quoqueOphitarum nefanda nequitia, qui oblationes Euchariſticas per ſerpentem lambentem ipſas & circumvolutantem ſanctificari credidere §. 3. aut, num & hùc pertineat mos ille antiquior, qui & olim in Eccleſiâ Romanâ & nunc in Græcâ adhùc viget, ubi panis in vinum intingitur & ſic cochleari euchariſtia participantibus præbetur exiſtimaturque, quòd vinum quoque nondum conſecratum ſic per attactum panis conſecrati conſecretur. Vide CHRIST. SONNTAGII *triphyllum aſſertionum hiſtorico-eccleſiaſticorum de intinctione panis euchariſtici in vinum.* Nec id planè negligendum, Sec. XIII. ne vel gutta è calice in terram labi poſſet, cannas & fiſtulas calicibus fuiſſe adaptatas, unde vinum Euchariſticum ſugere debebant bibentes, prout hoc adhucdum in Eccleſiâ Hamburgenſi aliiſque Eccleſiis Saxoniæ inferioris in uſu eſt. §. 11. Materia autem cœleſtis ſacramenti hujus eſt corpus & ſanguis

Chriſti vivi. Vide *Apolog. Aug. Conf. pag. 158.* Dicitur enim: *hoc* i. e. hoc, quod vobis porrigo, *eſt corpus meum.* Ubi ſanè τὸ ῥητὸν hîc urgendum eſſe noſtri dictitant, non quidem ſic, ut velint, corpus Chriſti naturale i. e. naturalibus ſuis qualitatibus veſtitum & actu naturæ ſuæ hîc adeſſe, tale enim ῥητὸν, talem literæ ſenſum ſana ratio reſpuit, quæ contradictoria nunquàm credenda eſſe dictitat, nec ita quoque hîc τὸ ῥητὸν urgetur, ac ſi nulla hîc metonymia, nulla ſynecdoche occurreret, quàm ſanè non excludunt noſtri, etſi figuras haſce grammaticas ſaltem adpellitent, nec tamen & τὸ ῥητὸν idem eſt cum ſenſu literali, qui utpote latior τῷ ῥητῷ & metaphoram involvit, quam τὸ ῥητὸν ſecundùm noſtros hîc excludit. Cæterùm inter veteres rem euchariſtiæ terrenam & cœleſtem ſic diſtinxere vel maximè Irenæus & Auguſtinus, quorum effata alibi adduximus & explicavimus. Quin & expreſſe hæc duo extrema ſecum invicem per confibulationem ſacramentalem unita nominantur 1. *Cor.* X. 16 qui locus ita & tranſſubſtantiationem Pontificiorum & figuram Reformatorum jugulat. Jam enim verba hæc *hoc eſt corpus meum* trifariam intelligi poſſunt. Vel ut dicatur, *hic panis in corpus meum eſt tranſſubſtantiatum*, vel *hic panis cum corpore Chriſti unitus* vel potius *hoc*, *quod vobis porrigo*, *eſt corpus meum cum pane unitum* vel denique, *hoc*, *quod vobis porrigo*, *hic panis eſt ſymbolum corporis mei.* Priores du-

e:

explicationes, ſi de corpore actu naturæ præſente accipiantur, abſurdiſſimæ ſunt & contra ſanam rationem militant, cui ſanè omnibus modis tranſſubſtantiatio contraria eſt, tùm quòd accidentia dicuntur remanere, ſubjecto, cui inhærent, annihilato, tùm quòd panis per afflatum vel admurmurationem certorum quorundam verborum in corpus Chriſti, quod ante XVII. ſecula jam exſtitit, verti non poteſt, cùm tale demùm hoc ipſo momento exiſtere incipiat, id quod adeò contradictionem in tempore involveret, tùm denique, quòd hîc eſt contradictio in numeris, quæ & præſentiam realem actu naturæ talem jugulat, cùm unum idemque corpus & quidem totum ſimul in pluribus locis eodem modo eſſe haud poſſit. Ita enim fingitur, corpus Chriſti totum in unâquâque hoſtiâ conſecratâ eodem modo præſens eſſe. Nec morantur hîc nos Romanenſium ideæ, qui dicunt, utique unum idemque corpus totum multis in locis præſens eſſe poſſe, uti e. g. DEUS in omnibus locis totus præſens ſit, id quod etiam de animâ noſtrâ affirmatur, quòd tota in unâquâque corporis parte exiſtat. Mallemque ego ſanè, ut nemo noſtrûm iſtis ſimilibus uteretur atque multipræſentiam corporis Chriſti inhæſivam ſtatueret aut ex Scholaſticis petita heic argumenta in rem ſuam verteret. Quæ ipſa & in diſſertatione *ſecundâ anti-Balianâ pag. 18.* jam diximus. Scilicet *totum* de eo, quod partes extra partes non

habet, dici propriè nequit, adeoque ad DEUM & animam non quadrat. Abſit itaque jam, ut iſta in abſurda præcipites cadamus. Quin maneat potius hoc, corpus Chriſti in Euchariſtiâ actu naturæ ſuæ finitæ, quam habet, & ſecundum quam id nonniſi in certo cœlorum πȣ̃ jam eſt, noſtris omnibus conſentientibus, maneat potius inquam hoc, corpus Chriſti diffuſivè, extenſivè, expanſivè, localiter, circumſcriptivè & naturaliter nullibi in terris neque etiam in ſacramento eſſe, ſed longè alio modo. Præſens enim omninò eſt, uti ex verbis 1. *Cor*. X. 16. exſtantibus, hoc eſt, explicatione illâ, quam Paulus verbis inſtitutionis affundit, ubi duo extrema corpus Chriſti & panem (quæ ambo utique ſic heic præſentia eſſe debent,) ſecum invicem in ſacramento jungi is ſupponit, patet. In hoc enim frangenti, ubi haud ſatis, inter tres explicationes quæ ſequenda ſit, illicò liquet, explicationem θεόπνευςον ut ſequamur, par eſt. Sit itaque corpus Chriſti in ſacrâ cœnâ realiter præſens. Aſt quo modo, quæris curioſulus? Reſpondeo, Theologi noſtri, quicunque rem rectè ponderant, ajunt, corpus & ſanguinem Chriſti in ſacra cœna juxta omnipræſentiam illam carni Chriſti beneficio unionis perſonalis communicatam præſentia eſſe & (id quod ex liberrima voluntatis divinæ diſpenſatione effluat,) cum ſymbolis Euchariſticis pane & vino ſacramentaliter unita, hoc eſt, ita unita eſſe, ut ex inſtitutione divina hæc ſymbola, hæ figuræ, figuræ & ſymbola ſint, non rei abſentis ſed præſentiſſimæ, corporis & ſangui-

ni:

nis Chriſti, non figurati ſed realiſſimi ſed ſubſtantialiſſimi. Ex quo ipſo patet, quî præſentia Eucharistica corporis Chriſti à noſtris & ex unione perſonali & ex libera DEI voluntate derivetur, quî & præſentia carnis Chriſti in quolibet loco & in toto mundo, eſt enim ea, ut novimus, certo modo omnipræſens, à præſentia reali euchariſtica omninò diſtinguendą ſit. Et verò præſentiam ejuſmodi realem & fulciunt verba inſtitutionis, quæ ſunt ὁριστικὰ, *definitiva*, διατακτικὰ *diſpoſitiva*, διαδοτικὰ *exhibitiva*, διαθετικὰ *ordinativa* & quidem teſtamentaria, juxta quæ in teſtamentis non bona metaphorica ſed realia legantur, quemadmodum & corpus Chriſti non figurativè ſed re vera pro nobis traditum & ſanguis ejus eodem modo pro nobis in cruce fuſus fuit, eademque & juxta præſentiam divinam carni communicatam in ſacra cœna ſunt præſentia, ut taceamus, in Novo Teſtamento exulare omnes figuras, ubi corpus præſens eſt, eaſque ſolùm admitti poſſe, quæ cum corporis præſentia conſiſtunt. Abſit itaque, ut nuda tantùm ſymbola hîc exhibeantur & ut corpus Chriſti ore tantùm fidei accipiatur, cum ſymbola ſacramentaria per conſecrationem evadant corpus Chriſti & cum eo juxta præſentiam divinam illocalem carni communicatam uniantur. At enim, ſi ita mentem tuam informaveris remque explicaveris, uti in ſe eſt & profectò ex conceſſis Theologorum noſtro-

Digitized by Google

rum accuratiſque principiis deducitur, Reformatus, qui ſaltem terminos intellexerit, facilè in hanc tecum ſententiam ibit & dicet, utique ſe ipſum quoque hac ratione fateri, corpus & ſanguinem Chriſti in ſacra cœna præſentia adeſſe, præſentiâ nempe non ſua & naturali & inhæſiva & circumſcriptiva & locali & diffuſiva & extenſiva, juxta quam corpora aliàs dicuntur eſſe præſentia, ſed præſentiâ divina, præſentiâ τοῦ λόγου, carni Chriſti per συνδύασιν, hoc eſt, per junctionem communicatâ, quæ à parte rei ſit ipſa divina Chriſti natura. Nec eſt, quòd regerat Reformatus: ita ergò amplius dici nequit, quòd corpus & ſanguis Chriſti ἀδιαστάτως ſymbolis ſint præſentia in ſacrâ cœnâ. Sunt enim præſentia & ἀδιαστάτως præſentia eâ præſentiâ, quæ non inhæret, ſed per συνδύασιν ſaltem carni competit & à parte rei ipſe λόγος eſt, qui ſic eſt omnipræſentia carnis. Quid ergò, ita addet Reformatus, ſi nihil aliud quàm hoc ſentiunt Evangelici, diſputamus & litigamus, qui Proteſtantes appellitamur? Ejuſmodi enim præſentiam facilè nos largimur nec unquàm negavimus. Sed verò hæc præſentia denominationem non fundat, niſi planè duriſſimam, & quæ ſaltem inani litigio occaſionem præbeat, in ſe autem nullum uſum habeat. Laici maximè, qui audiunt, corpus & ſanguinem Chriſti realiter in ſacramento cœnæ præſentia eſſe, nonniſi de præſentiâ

Digitized by Google

ſentiâ quâdam naturali cogitant, quam cùm oculis haud patere vident, in conceptus dein ſuimet ipſius jugulativos & verba, ſub quibus nullæ rerum ideæ latent, aſylumque illud commune, quo myſterium hoc imperveſtigabile dicitur, miſelli abeunt. Reſpondeo (1) in terminis, ſi pacem eccleſiaſticam amemus, ſimus faciles & duriores expreſſiones, ſub quibus bona mens latet, facilè condonemus. Reſpondeo (2) Quid verò, ſi noſtra denominatio in verbis *hoc eſt corpus meum* fundetur? Caveant ſibi viri præſtantiſſimi, ne ſcripturam duritatis hîc & contortæ denominationis accuſent. Taceo, ipſum JO. CALVINUM ſtatuiſſe, quòd corpus Chriſti in ſacrà cœna ſubſtantialiter præſens ſit, quam ſententiam etiam moderni Irenici tenent probeque notarunt ex Romanenſibus PELLISSONIUS & BOSSUETUS, taceo &, Theologos Anglicanos, ſub Eliſabetha qui vixere, quamplurimos præſentiam realem Chriſti, quæ & inſerta aliquando *Liturgiæ* ſed poſteà rurſus deleta fuit, ſtatuiſſe. Vide & diſſ. noſtram de *conſecr. vet. Euch.* §. *17. p. 464.* FABRICII *conſid. controv. pag. 388. ſqq. Acta erud. Lipſ. Suppl. T. 2. pag. 349.* & *the rights of the Chriſtian Church T. 1. C. 3. pag. 104.* Reſpondeo, (3) laicos igitur à Paſtoribus hanc in rem probè informandos & ſecundùm ejuſmodi quem heic tenemus, τρόπον παιδείας informandos eſſe. Unicum tamen jam reſtat, id quod hoc eſt, quod nobis eggeri poteſt. Etſi corpus Chriſti in S. cœ-

na ſit præſens præſentia divina *κατὰ συνδύασιν* carni Chriſti communicata, præſentiam tamen hanc divinam, quæ nihilominùs à *λόγῳ* ipſo differat, jam & IPSI CARNI competere, ita ut hæc indiſtanter jam ſymbolis Euchariſticis præſens ſit, nec cœlo incluſa eſſe dici poſſit utpote cujus præſentia ſeſe indiſtanter ad ſymbolaEuchariſtica terminet, ita ut non divina Chriſti natura (quod & ipſum implicaret) ſed corpus & ſanguis ipſius realiſſimè in ſacra Euchariſtia ore corporis ſumantur & accipiantur. Quæ ipſa ut diluantur, notamus hîc (1) diſtinctionem inter præſentiam *τοῦ λόγου* & ipſum *λόγον* formalem ſaltem, non realem eſſe, i. e. utique propter intellectûs noſtri imbecillitatem, qui omnia uno eodemque obtutu comprehendere haud poteſt, & ideis ſaltem analogicis hîc inhiat, præſentiam *λόγου* ab eſſentia *λόγου* diſtinguendam eſſe, etſi ea à parte rei non differant, niſi accidentia in DEO ponere ejuſque ſimplicitatem jugulare velis, (2) præſentiam iſtam divinam utique jam & carni competere ſed ſaltem, uti jam omnes Theologi fatentur, per *συνδύασιν*, (3) corpus Chriſti indiſtanter utique ſymbolis euchariſticis præſens & cum ipſis unitum eſſe per præſentiam nempe iſtam divinam, cui indiſtanter ipſum unitum eſt. Idem ſemper, quicquid oppoſueris, recurrit. (4) carnem Chriſti actu naturæ ſuæ & juxta præſentiam ſuam naturalem & definitivam utique ſaltem in cœlis præſentem eſſe. Quis hoc negaverit, qui ſanum ſynciput habet? (5) præ-

ſentiam

Digitized by Google

ſentiam humanæ naturæ, quæ divina eſt, utique indiſtanter ſe terminare ad ſymbola euchariſtica, imò ipſam humanam Chriſti naturam, mediante hac præſentia ſibi communicata ad eadem indiſtanter ſe terminare, (6) imò & corpus & ſanguinem Chriſti in Euchariſtia SIC præſentia h. e. ſymbola euchariſtica, quæ corpus & ſanguinem Chriſti per illam præſentiam ſic ſecum unita habent, tùm à dignis tùm ab indignis *ore corporis* heic accipi. Jam enim corpus & ſanguinem Chriſti in ſacra cœna *ſpiritualiter* accipimus, edim' & bibimus. Tametſi enim participatio illo *ore* fiat, TAMEN MODUS SPIRITUALIS h. e. non naturalis, non corporalis, non carnalis, ſed ſymbolicus EST, qualis & apud indignos utique eſt. Quæ ipſæ expreſſiones etſi orthodoxiſſimæ, ut ita dicam, ſint, tamen juxta eum, quem habent ſenſum, à quovis Reformato, ſi quidem is mentem hanc noſtram ſaltem capiat, facilè admittentur, cùm præſentiam corporis & ſanguinis Chriſti eorumque comeſtionem & bibitionem naturalem ambo toto corde horreamus. Vide omninò, quæ jam in hanc rem in *diſſertatione* 2. *anti-Balianâ* p. 17. ſqq. diximus. Quæ ipſa dum ſcribimus, patietur lector, ut ad probandam præſentiam corporis Chriſti realem euchariſticam, quam ex ῥητῷ verborum inſtitutionis, 1. *Cor.* X. 16. ex naturâ verborum teſtamentariorum, ex naturâ item N. T. quæ figuras omnes reſpuit & ſic veteri Teſtamento contradiſtinguitur, deduximus, adhuc argumentum quoddam ſatis

Digitized by Google

aliâs rarum (cumulanda enim in unum hîc omnia ſunt) illuſtrationis causâ addamus, ex 1. *Cor.* X. 21. petitum, quod hoc eſt. Confert hîc Apoſtolus Paulus, idolothytorum comeſtionem Chriſtianis illicitam eſſe probaturus, epulum Dominicum ita cum convivio ſacrificiali gentilium, ut ajat, non poſſe quem ſimul participem fieri menſæ Domini & menſæ diabolorum, alluditque hîc ad eam Gentilium opinionem, quâ credidere, ipſam dæmoniorum, quibus ſua ſacrificia offerant, ſubſtantiam ſeſe in ſacrificia inſinuare adeòque ab iis, qui epulo ſacrificiali interſint, comedi, ut hic ſit ſenſus: non decet eos, qui dæmoniorum ſubſtantiam comedunt, ad id epulum dein accedere, ubi carnem Chriſti Salvatoris accipimus. Vide omninò egregiam GOTTFRIDI OLEARII, Theologi nuper Lipſienſis præſtantiſſimi diſſertationem de *κοινωνίᾳ cum Chriſto & dæmoniis* Lipſiæ d. 5. Junii A. 1709. habitam & A. 1712. ibidem recuſam § 20. p. 32. ſqq. & adde H. DODWELLI *diſcourſe concerning the one altar and the one prieſthood inſiſted on by the ancients in their diſputes againſt ſchiſm* contra RICH. BAXTERUM Lond. 1683. 8. C. 7. ſect. 9. p. 166. ſqq. Jam enim ſacra Euchariſtia epuli ſacrificialis loco cenſeri poteſt. Id quod egregiè extulere duo autores Angli, RAD. CUDWORTHUS in *a diſcourſe concerning the true notion of the Lord's ſupper* London 1670. 8. & GEORG. HOOPERUS in *a diſcourſe concerning*

ning lent P. 2. C. 3. & 7. queis addi poteſt noſtra de *oblatione veterum euchariſticâ* diſſertatio §. 3. p. 169. 170. ubi & notamus, quî GEORG. HICKESIUS hanc notionem aggrediendo argumentum protulerit, quod, præſentiâ reali poſita, cadat. Jam verò convenit etiam, ut, ubi de præſentia reali corporis Chriſti in ſacra Euchariſtia agimus, memoremus quoque varias hujus præſentiæ quæ dantur, quæ & à variis excogitatæ fuere, ſpecies. Sunt verò hæ, quas jam in diſſ. de *conſecr. vet. euch.* §. 16. diduximus, quas & in JO. GOTTFR. OLEARII *ſylloge controverſiarum recentiſſimarum* de *ſacrâ cœnâ* ſub præſidio venerandi D. D. BUDDEI defenſa §. 23. ſqq. dein adoptatas vidimus, 1. aſſumtio. 2. augmentatio 3. impanatio, ad quam nolim referas ea, quæ in *cat. maj.* LUTH. p. 553. exſtant, cùm ibi non dicatur, quòd Corpus pani ſed quòd panis verbo DEI ſit incluſus. 4. conſubſtantiatio, 5. coëxiſtentia vel concomitantia, 6. unio, queis jam 7. commixtionem & 8. tranſſubſtantiationem adjicimus ſimulque conſuli hîc volumus, quæ circa aſſumtionem & augmentationem in diſſertatione *anti-Rogerianâ* p. 24. ſqq. & p. 55. & nuper in *diſſ. 2. anti-Bælianâ* p. 28. 29. diximus, & quæ de concomitantia in *primitiis Tubingenſibus* P. 2. p. 159. 260. ex occaſione celeberrimi LEIBNITII à nobis hîc diſſentientis adnotavimus. Scilicet nos rejectis omnibus reliquis præſentiæ realis euchariſticæ modis, ſolam *unionem* vi *librorum* noſtrorum

ſtrorum *ſymbolicorum* ſtatuimus, ſecundùm quam Corpus & ſanguis Chriſti actu perſonæ divinæ, in qua ſubſiſtunt, præſentia non ſaltem paraſtaticè ſymbolis euchariſticis adſunt ſed & ex inſtitutione divina ita cum iis in actu ſumtionis uniuntur & conjunguntur, ut eorum vehiculum & figura ſint & ab iis denominationem accipiant. Id verò jam repetimus, perperam eos omnes ex Reformatis facere, qui nobis conſubſtantiationem tribuunt, contra quam poſt BAIERUM, GERTMANNUM alioſque hîc ſolenniter proteſtamur. Quin nec impanationem nec concomitantiam ſtatuimus. Abſtineant, quæſumus, clariſſimi Viri à falſis ejusmodi imputationibus. Cæterum & BÆLIUS cum Theologis Anglicanis, inter quos heic maximè eminet ſcriptor quidam inſulſus THOMAS BRETTIUS, nobis conſubſtantiationem objecit eamque prodigioſum & abſurdum errorem adpellitavit in *Commentaire Philoſophique ſur les paroles de JEſus-Chriſt contrain les d' entrer* T. 2. p. 286. alibique paſſim, plurimaque contra præſentiam realem è ſcriniis Philoſophiæ ſcholaſticæ argumenta & ſomnia depromſit, quæ in *diſſ.* 2. *anti-Bæliana* nuper diſſlavimus & in fumos abire juſſimus. Concomitantiam perperam LUTHERO tribuit Theologus Sorbonenſis celeberrimus JAC. DE SAINTE-BEUVE. GUITMUNDUS olim *commixtionem* ſtatuit. Unione n multis Patribus ſtatutam fuiſſe ex *Bibl univerſ.* T. 19. p. 552. ſqq. & T. 15. p. 278.

liquet

liquet. Primùm ea apud nos in *Formulâ concordiæ Vitembergenſi* canoniſata fuit & dein in *formulam concordiæ Bergenſem* tranſiit. p. 729. Articulus enim X. *Aug. Conf.* ultra concomitantiam poſitivè nîl hactenùs infert. Verba IN, SUB & CUM è Patribus petita à LUTHERO, non ab ipſo excogitata eſſe, dudùm affirmavimus, locis Patrum hanc in rem adductis, quæ & augere jam plurimùm poſſemus, ſi vellemus. Vide diſſ. de *conſecr. vet. Euch.* §. 18. p. 471. ubi ſanè, uti & in diſſertatione *anti-Rogerianâ* hiſtoriam dogmaticam articuli de præſentiâ reali euchariſticâ pandimus, quam præcipuè inter Romanenſes BELLARMINUS, PERRONIUS, ARNALDUS, NICOLIUS, inter noſtros GERHARDUS maximè, inter Anglos COSINUS & TILLOTSONIUS, inter Reformatos MORNÆUS, ALBERTINUS, CLAUDIUS, LARROQUANUS & BASNAGIUS dedere, quos Autores ſi quis abſque partium ſtudio conſuluerit, videbit, nullam in hoc articulo traditionem continuam dari ſed Patres hîc miris modis variâſſe, id quod & obſervavere Viri acutiſſimi S. EVERMUNDUS & P. BÆLIUS, queis & jam CLAUDIUM, SPANHEMIUM, LACROSIUM, imò & VALLEMONTIUM, qui ad diſciplinam arcani miſer hic cum NICOLIO & SCHELSTRATIO recurrit, addimus. Quantum verò rei Proteſtantium hoc nocuerit, quòd Reformatores noſtri in jurgia iſta ſacramentaria ſtatim ab initio rerum dilapſi fuiſque

ſubinde

Digitized by Google

ſubinde & affectibus acti in mutua viſcera lapſi fuerint, patet. Primus, qui claſſicum cecinit, ANDREAS BODENSTEIN, Carlſtadius eam verba inſtitutionis interpretandi rationem excogitavit, quâ dicitur, Chriſtum per *hoc* proprium ſuum corpus, quod digito ſic monſtraverit, non ſacramentum indigitaſſe. HULDRYCHUS ZWINGLIUS dein *τὸ eſt* per *ſignificat* explicavit. JO. denique OECOLAMPADIUS, olim *Hauſſchein* figuratum Chriſti corpus hic deſignari aſſeruit. Hinc natæ primæ illæ eorundem cum Suevis, LUTHERO aliiſque lites, haud profectò ſopiendæ in conventu Marpurgenſi A. 1529. etſi poſtea *formula Concordiæ Vitembergenſis* A. 1536. inter LUTHERUM & BUCERUM componeretur. Recruduit poſtea lis, cùm terræ Palatinæ ad reformatam fidem tranſirent, cùm JO. CALVINUS in arenam procederet, cùm in Academiis Vitembergenſi & Lipſienſi, præeunte PHIL. MELANCHTHONE, Theologi ad irenica principia, quæ tùm crypto-Calviniana nuncupata fuere, delaberentur, medelaque rebus per *Formulam Concordiæ Bergenſem* adhibita fuit. Nec juvit multum heic conventus Francofurtanus irenicus A. 1558. habitus nec conſenſus Sendomirienſis, haud profectò late ſeſe extenſurus vel diu duraturus, nec conventus Lipſienſis A. 1631. nec Caſſellanus ille 1661 etſi in hoc inter Marpurgenſes & Rintelenſes Theologos pax particularis pangeretur Quin nec irenica illa conſilia, quæ Berolini & Franco-

Francofurti ad Viadrum in medium propoſita fuere, optatum eventum nacta ſunt, contradicentibus maximè Theologis Vitembergenſibus, qui ſcriptis hanc in rem editis diſſenſum ſuum latius teſtatum fecere, ita ut vel maximè lis illa de præſentiâ reali inter nos & Reformatos adhùc continuetur. Aſt quid quæſo diſputamus, ſi tota controverſia in nudam λογομαχίαν abit? quid in mutua ſævimus viſcera, qui pacis filii eſſe debebamus & qui ad ſervandam Eccleſiam, quam conficimus, bello omni civili exſtincto, pace communi opus habemus? quid, dum de verbis litigamus, dum in inutiles jejunaſque controverſias miſeri diffundimur, id, quod neceſſarium eſt, Chriſtianiſmum practicum & regnum DEI in animis hominum jurgiis quippe illis impediti erigere negligimus? Floreat tandem, DEO, qui veritatis, qui pacis autor eſt, in cordibus noſtris & veritas & pax h. e. adhibeamus quæſo rebus rectè inſpiciendis ſanioris nullâque affectuum violentiâ impediti judicii lucernam, ut nobis pateat, totum iſtud certamen nonniſi logomachicum eſſe, aut ejuſmodi circa expreſſiones verſari, ſub quibus nullæ rerum ideæ lateant & ubi de iis rebus diſputemus, quas ipſimet haud concipiamus perperamque adeò ad anathematiſmos mutuos provolemus, deinde verò, ubi heic animum noſtrum rectè compoſuerimus, calamum polemicum porrò ſeponamus & ſic in mutua, qui hactenus diſſenſimus, oſcula læti ruamus. Aſt, ais, quæ heic ponantur,

eſſe

eſſe ejuſmodi, ut à *γνησίως* orthodoxo & Lutherano ſcribi non poſſint, nec ab eo, qui ſinceram mentem ſubſcriptioni *Auguſtanæ confeſſionis* & *formulæ concordiæ* affuderit, olere enim hæc ipſa ſyncretiſmum quendam nefandum quo veritas evangelica prorſus ſubruatur & horrendo facinore pedibus conculcetur. Jam verò, ita addis, cùm ipſa religionis ſanioris arx præcipua jam petatur & proximus jam Ucalegon ardeat, non tolerandum hoc eſſe ſed omnibus id viribus agendum, ut hoc quicquid eſt, hæreſeos ſuffocetur & humi proſternatur conquaſſeturque & conteratur. Sed non eſt, quod excandeſcas & vana pericula ſomnies, mi lector! Abſit in æternum, abſit, ut unquam noſtro hoc calamo VERITATI EVANGELICÆ, quam uſque ad ſanguinis fuſionem ſemper adamabimus & pretioſiſſimarum unionum loco habebimus, quicquam periculi, quicquam damni creetur. Jam enim ipſe vides & perſpicis, mi lector, nos pro PRÆSENTIA REALI EUCHARISTICA eique non figuratâ ſed realiſſimâ probandâ multò plura argumenta attuliſſe, quàm quæ communiter afferri ſolent. Atque hoc ad orthodoxiam noſtram demonſtrandam ſufficit, quam qui adgredi heic voluerit, næ verò is ſapientibus quibuſvis profundè deſipere videbitur. Exoſculamur itaque jam heic, exoſculamur inquam dogma iſtud, quod in *A. C.* quod in *F. C.* elatum eſt, cui & ſinceriſſimam longè & poſitivam,

non

Digitized by Google

non hypotheticam ſubſcriptionem illico Imque adſperſimus. Id unum addimus, id, quod nos heic ſtatuamus, à putatitiis adverſariis noſtris itidem ſtatui, qui, etſi verbis heic à nobis diſſideant, eandem tamen nobiſcum mentem tenent & corpus Chriſti in ſacra cœna naturaliter & expanſivè eſſe negant, quod ipſum & nos negamus & pernegamus. Nec eſt, quod porrò oggeras, in hoc tamen nos peccare, quòd elenchum in *Aug. Conf. Art. X.* contra diſſentientes ſtrictum & in *Form. Conc.* repetitum rejiciamus. Reſpondemus enim, & nos omnes heic à nobis realiter diſſentientes rejicere. Sed neceſſum eſt, ut REALITER, non ſaltem verbaliter diſſentiant. Ubi tandem quæſtio tota ad litem hanc hiſtoricam deveniet, num Reformati hodierni, ſi noſtram ipſis ſententiam clarè, perſpicuè & diſtinctè affuſoque pacis eccleſiaſticæ ſale explicaverimus, eam tanquàm abſurdam & falſam rejecturi dictuique ſint, ſe adhucdum heic à nobis diſſentire? Profectò prorſus exiſtimo, omnes, qui terminos ſaltem mentemque noſtram intellexerint, aſſenſum ſuum facilè nobis daturos eſſe. Quod ſi ita ſe habet, omnis elenchus illicò ſuâ mole ruet atque libris ſymbolicis nihilominùs pleniſſima autoritas conſtabit, eadem ratione, ac ſi diſſentientes ſententiam mutaviſſent. Sed quò dilabimur, qui in prolixiſſimum hîc campum eumque polemicum præter intentionem noſtram dilapſi ſumus & medio in prælio, quòd inimus,

de pace heic tractamus? Pergamus vel tandem in poſitionibus noſtris, in quibus totum de S. Cœnâ argumentum evolvimus. Poſitio Vta hæc eſto. Forma Cœnæ Dominicæ eſt integra actio externa circa rem terreſtrem & cœleſtem hujus ſacramenti, conſiſtens in conſecratione, in δόσει ſeu diſtributione ſymbolorum & in λήψει ſive manducatione & bibitione. Quod conſecrationem attinet, quid de ea tenendum ſit, in diſſert. de *conſecratione veterum eucharistica*, quæ *anecdotis Irenæi* inſerta legitur, & in altera illa, quam contra Virum illuſtriſſimum, SCIPIONEM MAFFEJUM ſcripſimus & *primitiis Tubingenſibus* adjecimus, ſatis ediſſeruimus. Obſerva paucis (1) Chriſtum & Apoſtolos precibus conſecraſſe, quæ verba H. E. C. M. in diſtributione demùm dicta anteceſſerint, (2) primitivam poſtea Eccleſiam precibus itidem conſecraſſe, uti ex Liturgiis orientalibus & occidentalibus adparet, (3) ſecundum eaſdem veteres liturgias precibus conſecratoriis inſerenda eſſe verba inſtitutionis, (4) verba inſtitutionis conſecratoria vim heic habere non abſolutam ſed ordinatam ad totam actionem ſacramentalem, in quâ ſi quid deficiat, nec verba inſtitutionis vim ſuam exerunt, (5) pronunciationi Sacerdotis nullam virtutem heic adſcribendam eſſe verbaque à Chriſto dudùm pronunciata adhùc efficaciam ſuam in quâvis conſecratione exerere, (6) ἐπίκλησιν Sp. S. in S. Cœnâ, quâ veteres uſi ſunt, rejiciendam

ciendam haud eſſe magnamque, ſi rectè inflectatur, ædificationem ſecum vehere, (7) conſecrationem vel eſſe partialem vel totalem, deſtinativam vel unitivam, illam conſiſtere in précibus atque prælectione verborum inſtitutionis antecedaneâ, hanc in verbis, quæ in diſtributione dicuntur, totâque actione ſacramentali. Et hæc quoad conſecrationem. Quod diſtributionem concernit, quæritur, num neceſſaria hic ſit fractio panis ſive ἀρτοκλασία, quam Chriſtus adhibuit. Ita ferè Reformati. Nos autem dicimus, cùm fractionis finis ſit diſtributio, ſufficere fractionem per piſtorem factam, quemadmodum nec neceſſe ſit, ut ipſe conſecrans Sacerdos vinum in calicem infundat. Nec eſt, quòd urgeatur ſignificatio mortis Chriſti myſtica, quæ ſub fractione latitet. Corpus enim Chriſti fractum non fuit *Joh.* XIX. 36. niſi impropriè 1. *Cor.* XI. 24. Quin nec exemplum Chriſti nec Apoſtolorum *Act.* II. 42 46. XX. 7. moroſè urgere hîc convenit, quoniam, ſi quidem præcisè omnia, quæ ſubſtantiam ſacramenti haud tangunt, nobis imitanda eſſent, profectò & Euchariſtia noctu ſaltem & pedibus antea lotis & poſt cœnam & paſchali tempore & ab accumbentibus ſumenda eſſet. Quin & fractio diſtributionem ſaltem ſubinde in ſacris literis denotat. *Jeſ.* LVIII. 7. coll. *Ezech.* XVIII. 7. *Jerem.* XVI. 7. *Thren.* IV. 4. Porrò in diſtributione num & fieri debeat ἐγχείρησις vel μετάδοσις, iterum

Digitized by Google

quæritur. Illa in primâ Ecclesia fuit uſitata, hæc demùm in Concilio Rhotomag. A. 682. invecta, utraque indifferens. De λῆψει unicum hoc dicendum, quòd ſi hæc, hoc eſt, ſi manducatio & bibitio ſacramenti abfuerit, tota forma deficiat. VI. Effectus conſecrationis eſt unio rei terreſtris & cœleſtis ſacramentalis, quæ cùm primùm in *formulâ Concordiæ Vitembergenſi* A. 1536. ſtatuta fuiſſet, poſtea in *F. C. Bergenſem* tranſiit. Ea verò non eſt eſſentialis, non perſonalis, non naturalis, ſed ſacramentalis, ubi ſymbola euchariſtica cum corpore & ſanguine Chriſti per præſentiam illam divinam carni Chriſti communicatam hìc præſentibus indiſtanter uniuntur, exhibentur & accipiuntur. At verò de hàc unione alibi latiùs egimus. VII. Euchariſtia omnibus Chriſtianis cœtúſque Chriſtiani, cui nomen dedimus, membris, quæ vi conſtitutionum eccleſiaſticarum excludenda non ſunt, porrigenda eſt, quoniam eſt ſacramentum gratiæ univerſalis, ubi corpus Chriſti pro omnibus datum & ſanguis Chriſti pro omnibus fuſus exhibentur AD remiſſionem peccatorum (en terminum ad quem, uti in baptiſmo Johannis itidem excitatorio & præparatorio *Matth.* III. 8. 11.) ſive offerendam ſive obſignandam. Unde prorſus exiſtimamus, ſacramentum hoc eſſe ratione quidem eorum, qui nondum in ſtatu veri Chriſtianiſmi ſunt, ex intentione divinâ ſacramentum excitatio-

nis

nis & præparationis, ratione verò eorum, qui ſunt in ſtatu fidei, ſacramentum confirmationis. Nihilominus ſacramentum hoc, ſi ſub hâc τάξει non ſumatur, ut, qui nondum in ſtatu gratiæ verſantur, ſeſe per id ad converſionem ſuam ſanctificationemque excitari patiantur adeoque ſeipſos probent mortiſque Domini memoriam heic eo fine agant, ut & ipſi ad mortificanda impietatis ſuæ membra ſic manu quaſi per hoc ſacramentum ducantur, ſacramentum inquam hoc, niſi ſub hâc τάξει ſumatur, (ex opere enim operato id nec excitat nec præparat,) non eſt odor vitæ ad vitam ſed odor mortis ad mortem, uti verbum, quod ad judicium noſtrum audimus, cujusq & rei evadimus, niſi eidem obediverimus. Hinc Eccleſia noſtra non excludit niſi NOTORIOS PECCATORES, qui hoc ipſo oſtendunt, nolle ſe prorſus hoc ſacramento ad pœnitentiam excitari, cæteroſque omnes admittit. Quin fert communis ſententia, quæ & in *F. C.* p. 743. exſtat, Judam quoque primæ cœnæ ſanctiori interfuiſſe, cui utique ex intentione Chriſti Euchariſtia ſacramentum confirmationis haud eſſe potuit ſed ſaltem excitationis, etſi, uti dudùm diximus, collatis inter ſe Evangeliis NON LIQUEAT, num epulo ſacro is adfuerit. Jam & *A. C. art. 13.* expreſſè ait, *ſacramenta* in genere eſſe *ſigna & teſtimonia voluntatis DEI erga nos, ad EXCITANDAM & CONFIRMANDAM*

 fidem

fidem in his, qui utuntur, propoſita. Denique præcipua utique officia, quæ communicantibus hic injunguntur, ſunt, (1) ut ſemet ipſos probent, num ſint in ſtatu fidei & ſi ſecus id ſe habeat, ut omnibus viribus eò annitantur, ut in ſtatum ejuſmodi beatum perveniant, (2) ut mortem Domini annuncient, quorum utrumque & probatio nempe ſui ipſius h. e. examen ſui ipſius & annunciatio mortis Domini NB. ad pœnitentiam eodem modo excitare peccatorem poteſt, quo fidelem id in ſtatu gratiæ confirmare valet. Quâ verò ratione nos, quæ heic 1. *Cor.* XI. dicuntur, intelligamus, jam in tractatu de *originibus juris eccleſiaſtici* extulimus pag. 236. 237. 246. ubi omninò arbitramur, eam, quam heic dedimus, rerum explicationem ex contextu ſuo promtè fluere, etſi communis explicatio cum theſi noſtrâ ſtare omninò poſſit, cùm ſanè id certiſſimum ſit, eos iræ divinæ ſe ſubjicere, qui, ubi nullo adhuc ſanctimoniæ flore ornantur, heic ad reſipiſcentiam excitari ſeſe haud patiuntur. Cæterùm, quæ in diſſ. de *vitiis eorum, qui ſacris operantur S. 2. §. 4. p. 42. ſqq.* editionis primæ hanc in rem exſtant, juxta communem ſententiam, in cujus tamen ſoliditatem tùm nondum inquirere inſtitueramus, & juxta quam ſacramentum S. Cœnæ ſacramentum confirmationis ſaltem eſſe fertur, poſuimus, ubi utique oſtendimus, hoc principio poſito, Miniſtrum Evangelii in conſcientiâ obſtrictum eſſe, ut omnes eos, qui nondum

Digitized by Google

nondum in ſtatu veræ converſionis ſunt, à ſacrâ cœnâ excludat, nec magni admodùm ponderis eſſe illa JCtorum argumenta, quibus contrarium conficere & Miniſtrorum manus hîc ligare volunt. At verò, ſi communis cuipiam ſtet ſententia, quî ſalvâ conſcientia is iis, quos in ſtatu veræ fidei haud eſſe novit, cujuſmodi hominum major ſemper communicantium pars eſt, porrigere ſacram cœnam poſſit, id quod tamen ratione officii non facere non poteſt, egomet quidem haud perſpicio. Scilicet aut officio ſanctiore heic abſcedendum aut continua conſcientiæ vulnera infligenda ſunt. Si verò noſtram quis ſententiam adoptaverit, non eſt, quod vano terrore ſe ipſum ſemper agitet & multum hîc hæſitet, non eſt etiam, quòd continuis excluſionibus, quo impœnitentes à ſacra cœna abſtrahere conatur, Eccleſiam, imò rem publicam turbet atque inconſultis odiis & inimicitiis, quibus profectò cœtus ſacer haud ædificatur, omnia compleat. Unde, ut excluſiones illæ promiſcuæ pro præſenti eoque corruptiſſimo Eccleſiæ ſtatu tolerentur & permittantur, haudquaquam exiſtimaverim.

VIII. Hypocritæ & indigni ſubſtantiam ſacramenti etiam participant, licet fructum ejus non percipiant. Nemo, qui præſentiæ realis dogma ita, uti nos id explicavimus, mente conceperit, hac de poſitione dubitaverit, cùm utique & hypocritis atque indignis panis & vinum in Euchariſtia ſigna & ſymbola corporis & ſanguinis Chri-

ſti, localiter quidem abſentium ſed per præſentiam divinam carni Chriſti communicatam præſentium & cum externis & elementis vi inſtitutionis Chriſti ſic peculiari hoc modo unitorum ſint. Cæterùm poſitionem hanc communiter ex 1. *Cor.* XI. 27. probari conſtat. Quod reſtat, novimus, jam inde à tertio ſeculo uſque in decimum Euchariſtiam infantibus propter creditam abſolutam ſacramenti neceſſitatem idque vi loci *Joh.* VI. 53. malè intellecti datam eſſe, & hodiè adhùc apud Græcos dari, imò & mortuis olim in os intruſam ſubinde viatici loco fuiſſe. Queis de argumentis LARROQUANUM, BASNAGIUM alioſq; inſpicias velim. IX. Finis ſacræ cœnæ eſt hominum ad pœnitentiam & ſanctimoniam excitatio & præparatio, fidei fidelium confirmatio, arctiorque eorundem cum Chriſto unio, mortis Chriſti commemoratio, Chriſtianorum à gentibus ſeparatio peniciórque eorundem inter ſeſe conjunctio. X. Adjuncta S. Cœnæ ſunt ſolemnitas, locus, tempus frequentia, cærimoniæ. Scilicet, ubi in unum coëunt Chriſtiani, ibi euchariſtiam celebrant, in domibus quoque, quò euchariſtia olim per diaconos ad ægrotos tempore Juſtini M. miſſa fuit. Cæterùm Chriſtus ſacram cœnam celebravit nocte imminente. Succeſſit tempus antelucanum *Act.* XX. 7. in primitiva Eccleſia propter perſecutiones. Communiter verò poſt agapas ea celebrata fuit 1. *Cor.* XI. Poſteà conſtitu-

ſtitutum, ut impranſis illa præberetur. Omnis opera jam TERTULLIANI tempore data, ne quid in terram decideret. Ritus ex *Liturgiis* patent. Vide *Liturgiam Grabianam* à nobis *cum notis* editam. Quotieſcunque olim in unum coiere Chriſtiani, celebrata fuit & porrecta Euchariſtia. Unde communio quotidiana ſubinde emerſit. Hodierna verò conſuetudo, ubi ter vel quater in anno acceditur, firmatur maximè Canone 18. Concilii Agathenſis, qui ita habet: *Seculares, qui in die natali Domini, Paſcha ac Pentecoſte non communicaverint, catholici non credantur nec inter catholicos habeantur.* At verò de communione quotidianâ inſpiciendi ſunt autores plurimi, ii maximè, qui in Galliâ priore ſeculo hoc argumentum fuſè tractârunt, SESMAISONS, ARNALDUS, PETAVIUS, LAUNOJUS, poſtea & famoſus ille MOLINOSIUS, ex noſtris JOSUA ARNDIUS, ex Anglis FELLUS & BEVEREGIUS. XI. In cœnâ Dominicâ nulla ſtatuenda eſt tranſſubſtantiatio. Ratio, quia uti ſupra diximus, tranſſubſtantiatio, quæ demùm Sec. IX. præ unione & figurâ caput erexit & in concilio Laterano A. 1215. per Innoc. III. in articulum fidei evecta eſt, contradictiones involvit, quas vera religio non admittit, & quas egregiè poſt infinitos alios evolverunt ALBERTINUS, CLAUDIUS & TILLOTSONIUS, quia & teſtimonio ſenſuum, de cujus valore præcipuè ſcripſe-

re ABBADIUS, BASNAGIUS & PLACETTIUS, ſine quo & omnis, quem miraculis præbemus, fides & veritates quævis, quibus & in vitâ humanâ maximè opus habemus, incertæ redduntur & ad quod ipſe Chriſtus *Luc.* XXIV. 39. 40. *Ioh.* XX. 27. 28. provocavit; contradicit & nullibi in ſacris literis dicitur, panem in corpus mutatum eſſe ſed potius affirmatur, inter utrumque eſſe *κοινωνίαν* & unionem ſive *ἕνωσιν*, Patribus olim plurimùm quoque ſtatutam. Adde tractatum noſtrum gallicum de *veritate religionis Proteſtantium* C. 2. ſub initium, ubi vel maximè & hoc ex 1. *Cor.* XI. urgemus, panem adhuc poſt conſecrationem ibi memorari, itemque diſſ. noſtram *anti-Rogerianam*. XII. Non datur ſacrificium Miſſæ, de quo quippe verba inſtitutionis planè tacent. Ubinam quæſo exſtat, corpus Chriſti in Euchariſtiâ DEO Patri pro vivis & defunctis offerendum eſſe? Gratis hæc finguntur & creduntur. Ut taceam, Chriſtum ſemel ſeipſum obtuliſſe ad peccata noſtra tollenda *Hebr.* VII. 16. 27. IX. 12. 24. 28. Nec inter oblationem cruentam & incruentam hic diſtingui poteſt, cùm, quî oblatio ſanguinis incruenta fieri poſſit, haud capi queat atque ſine ſanguinis fuſione nulla contingat remiſſio *Hebr.* IX. 22. de oblatione quoque incruentâ corporis Chriſti ſcriptura ſanctior nullibi vel hilum memoret. Quin nec antiquitatis conſenſus hic allegari poteſt, cùm in tribus

Digitized by Google

tribus prioribus ſeculis quidem heic oblata fuerint panis & vinum ſed non corpus & ſanguis Chriſti, ubi ſanè ab uno ad alterum non valet conſequentia. Secula verò ſequiora, ex quibus verò itidem elegantiſſima veritatis teſtimonia depromimus, nos haud morantur. Vide tract. noſtrum Gallicum l. c. & diſſertationes noſtras de *oblatione veterum Euchariſtica*, ubi argumentum hoc ſatis luculenter tractavimus. XIII. Præſentia realis extra uſum non eſt durabilis, (1) quia omne ſacramentum non in elemento ſed in actione conſiſtit, (2) quia Chriſtus demùm, poſtquàm dixerat, *ſumite*, *edite*, addidit: *hoc eſt corpus meum* atque id ſaltem hìc dicitur corpus Chriſti, quod editur, & is ſaltem ſanguis Chriſti, qui bibitur, (3) quia aqua baptiſmalis poſt baptiſmum non amplius ſacramentum vel ſacramentale quid eſt, actione utpote jam factà, (4) quia ſaltem panis, QUEM FRANGIMUS, h. e. quem ſumimus & edimus, eſt communio corporis Chriſti Sed confer hìc omninò, quæ tùm in tr. noſtro gallico contra Romanenſes C. 2. §. 9. p. 93. ſqq. tùm in diſſ. de *conſecrat. vet. euch.* §. 15. p. 443. ſqq. diximus, quæ & proximè in novâ diſſertationis hujus editione novis obſervationibus ſupplebimus. At verò & velim omninò, ut lector noſter hìc conferat quoque, quæ in *primit. Tubing.* P. 2. p. 231. ſqq. hanc in rem diſſeruimus. Quæ ipſa, ſi perſpexerit ipſe, facilè quidem, quo lo-

co

eo nobis ſit aſſervatio, circumgeſtatio, expoſitio & adoratio Euchariſtiæ, in Eccleſiâ Romanâ quæ in uſu eſt, videbit. XIV. Concomitantia ſacramentalis nulla in ſacramento cœnæ datur, uti Romanenſes ſtatuunt, quòd nempe, ubi panem Euchariſticum accipimus, non ſolùm corpus ſed & ſanguinem Chriſti ACCIPIAMUS eademque ambo itidem ACCIPIAMUS, ubi ex calice euchariſtico haurimus. Inſtitutio enim Chriſti hùc vergit, ut panem accipiendo corpus Chriſti edamus & vinum accipiendo ſanguinem Chriſti bibamus, quicquid ſit de acceptione corporis vivi, quod ſine ſanguine eſſe nequit. Vult enim Chriſtus, ut corpus *edamus* & ut ſanguinem *bibamus*, quod ipſum in Eccleſiâ Romanâ non fit ab iis, qui ſub unâ ſaltem communicant. Nec eſt, quòd ajas, in ipſis *articulis Smalcaldicis* p. 330. hæc verba exſtare: *verum eſſe fortè poſſe, quòd ſub unâ tantum fit, quantum ſub utrâque* & quòd addas, in *confeſſ. Wirtemb.* p. 298. recentiſſimæ editionis, quam in actis & ſcriptis publicis Eccleſiæ Wirtembergicæ damus, exſtare expreſſa hæc: *Non negamus, quin totus Chriſtus tàm pane quam vino Euchariſtia DISPENSETUR.* Diſtinguimus enim inter concomitantiam naturalem & ſacramentalem, uti ex *libro* noſtro *commentario de actis & ſcriptis publicis Eccleſiæ Wirtembergicæ* p. 29. ſqq. videre eſt. XV. Symbola Euchariſtica non ſunt adoranda,

da , quemadmodum Eccleſia Romana id facit, quæ & cultum hîc latricum adhibet. Jam enim (1) non exſtat in verbis inſtitutionis : *reſervate , exponite , circumgeſtate & adorate hoc, quod vobis prabeo* ſed *ſumite , edite.* Stricté, quæſo, verbis Salvatoris inhæreamus in ſubſtantialibus, ne erremus ! (2) Nec Apoſtoli , nec Corinthii Euchariſtiam adoráſſe leguntur , nec quicquam hanc in rem in monumentis trium priorum ſeculorum exſtat. (3) Chriſtum etiam quoad humanam naturam ubique adeoque indeterminatè ad certum locum adorandum eſſe & adorandum eſſe , ubi ſacramentum ſumimus , ex loco de communicatione idiomatum conſtat. At determinatè ad certum πȣ̃ vel locum adorandus nullibi eſt, NB. niſi ubi definitivè vel localiter viſibiliterque verſatur vultque, ut adoretur. Id quod omne ad Euchariſtiam prorſus non quadrat. (4) Quicunque extra uſum Euchariſtiam adorat, creaturam cultu latriæ adorat , ſi & ſaltem accidentia concomitanter adoret atque, quod profectò aliter fieri nequit, cultum ſuum iis præcipuè utpote illi, quod heic eſt viſibile, affigat. Cauſantur profectò hoc nobiſcum, qui inter Romanenſes ſunt, Carteſiani, inter quos Philoſophus præſtantiſſimus PETRUS CAILLY in libro, quem adpellat *Durand commenté* ſtatuit , etiam ſecundùm Pontificiam ſententiam communem , quâ credantur adhùc ſupereſſe panis accidentia, adorari non poſſe ſine idololatria ſacramentum , vel ſaltem magnum incurri hîc in idolo-

triæ

triæ periculum, quia ſic etiam adorarentur pacis accidentia. Vide *l' hiſtoire des ouvrages des ſavans 1701. Oct. p. 441.* Mirum igitur cuipiam videatur, quòd PETRUS POIRETUS, Vir acutiſſimus, quem nuper deceſſiſſe amicus nobis retulit, ajat, Lutheranos, qui præſentiam realem credant, plurimùm contra decorum & leges civilitatis peccare, quòd Chriſti corpus, quod in Euchariſtia præſens eſſe putent, non adorent, nec ſanè adorationem, quam Romanenſes ſacramento præſtent, idololatriam eſſe, cùm & fides tranſſubſtantiare poſſit &c, ſi nulla quoque præſentia realis ſit, Romanenſes ſaltem in loco, non objecto, peccent. Id quod ſanè in cauſa fuit, cur multi ex Reformatis Gallis ad Pontificios in tempore perſecutionis defecerint, uti JURIÆUS obſervavit & de *Joſepho Saurino*, Academiæ ſcientiarum Pariſienſis Aſſeſſore, olim verbi divino Miniſtro Everodunenſi conſtat. Vide *factum ou memoire pour le Sr Saurin contre le Sr Rouſſeau* in *Anti-Rouſſeau p. 496. 497.* Et verò objectiones iſtas Poiretianas facilè quis ex ſuperioribus reique ipſius natura diluerit. Id etiam quoad adorationem ſacramenti memorandum reſtat, Romanenſes, ubi Euchariſtiam adorant, in perpetuo idololatriæ periculo & eapropter quoque verſari, quòd ab intentione Sacerdotis conſecrantis, de qua nunquàm certi eſſe poſſunt, atque à tot intentionibus antecedentibus, queis baptiſmus & ordo conſecrantis ſuperſtructa ſunt, præſentiam realem ſuſpendunt.

Jam

Digitized by Google

Jam & in hoc articulo de adoratione Euchariſtiæ nulla habetur traditio univerſalis, nulla naſcentis Chriſtianiſmi uſque ad ſeculum IV. & ab eo tempore tot habemus in contrarium teſtimonia, ut ſecuri prorſus hîc eſſe queamus. Nec profectò nos à primitivâ Eccleſiâ hic diſſentimus, quæ, ut à *ſtantibus* Euchariſtia acciperetur, voluit. Adde & RICH. SIMONIS *lettres choiſies Amſt. 1700. 12. lett. 28. pag. 200. 201.* Sed ajunt ex Pontificiis GEORGIUS CASSANDER, CHRISTIANUS LUPUS & EMANUEL SCHELSTRATE, non mirum eſſe, quòd adoratio in prioribus ſeculis non obtinuerit, quia nempe diſciplina arcani eo tempore adhùc floruerit. Ità Chriſtum in ſtatu exinanitionis à ſuis non ſemper actu externo fuiſſe adoratum, quoniam noluerit, ut, quis eſſet, omnibus innoteſceret. Aſt aliter rem hodiè ſe habere, ubi diſciplina arcani non amplius vigeat. Sed facilis eſt reſponſio, & Chriſtum non amplius in ſtatu exinanitionis verſari & diſciplinam arcani dudùm abrogatam eſſe nec ſanè heic valere, cùm ſacra cœna nonniſi coram fidelibus & ne quidem coram pœnitentibus nedum gentilibus olim fuerit celebrata, ita ut diſciplina arcani heic prorſus allegari non poſſit ſed potius ſic contrarium probet. Qui verò argumentum de expoſitione circumgeſtatione & adoratione ſacramenti penitius nôſſe voluerit, adeat CLAUDIUM ESPENCÆUM, JO. DALLÆUM, CHR. LUPUM, JAC. BOILEAU, JO. BAPT. THIERS, JAC. BASNAGIUM, qui

qui plenos hîc crateras dabunt. Jam & de elevatione & aſſervatione ſacramenti, ſatis antiqua, quî & id olim ad communionem ſignificandam peregrè miſſum fuerit, hîc agendum & de adoratione ejuſdem, quî apud Græcos iſta fiat, mens noſtra nobis efferenda eſſet, ſi quidem prolixiori calamo charta hæc exaranda foret. Sed confer tantiſper, ſi placet, *primit. Tubing. P. 2. p. 225. ſqq. 231. ſqq. & in anecdotis Irenæi p. 173. 286. 296. 448. 449.* Denique notandum hîc eſt, adorationem ſacramenti maximè ab Honorio III. ſtabilitam campanulaſque hanc in rem à Gregorio IX. in ſeculo XIII. adinventas eſſe. XVI. Calix euchariſticus juxta inſtitutionem Chriſti omnibus præbendus eſt. Quemadmodum enim is inſtituit panem, *ὡσαύτως ita* & vinum, ita ut, quemadmodum diſtributio panis non eſt cærimoniale quid, quod pro lubitu Eccleſia mutare poſſit, ita nec diſtributio vini. Quin & in Eccleſia Apoſtolica & Corinthiaca omnes, qui adfuere, clerici & laici & panem & vinum euchariſticum accepere. Et in primitiva Eccleſia calicem quoque laicis adminiſtratum fuiſſe nemo facilè negaverit. Et, ut ſaltem ex pelago obſervationum hiſtoricarum heic unam alteramque guttam ſumamus, conſtat, Leonem M. *ſerm. 4. de quadr. C. 4.* in eo reprehendere Manichæos, quòd ſanguinem redemtionis non hauriant, Gelaſiumque Pontificem Romanum mutilationem ſacramenti non ſine ſacrilegio grandi fieri exiſtimaſſe, uti videre

Digitized by Google

decretum Gratiani de *conſecr. diſt. 1. C. 7. & 12.* Aſt aliam omninò tibiam poſt inflavere Patres Conſtantienſes, qui ita Seſſ. 13. LICET *Chriſtus hoc ſacramentum poſt cœnam inſtituerit & ſuis diſcipulis adminiſtraverit ſub utrâque ſpecie panis & vini, licet etiam in primitivâ Eccleſiâ ſacramentum hoc reciperetur à fidelibus ſub utrâque ſpecie, tamen HOC NONOBSTANTE hæc conſuetudo ad evitandum aliqua pericula & ſcandala eſt rationabiliter introducta, quòd à conficientibus ſub utrâque ſpecie & laicis tantummodò ſub ſpecie panis ſuſcipiatur & nullatenus dubitandum, integrum Chriſti corpus & ſanguinem tàm ſub ſpecie panis quàm ſub ſpecie vini veraciter contineri. Quapropter dicere, quòd hanc conſuetudinem & legem obſervare ſit ſacrilegium aut illicitum, cenſeri debet erroneum & pertinaciter aſſerentes oppoſitum præmiſſorum tanquàm hæretici arcendi ſunt & graviter puniendi.* Hactenùs Concilium Conſtantienſe. Ubi hoc unicum addimus, apud Romanenſes calicem quidem exhaurire conſecrantem, iis verò, qui ſacramentum à ſacerdote conſecrante accipiunt, ſive ſint laici ſive ſint clerici ſive Preſbyteri ſive Epiſcopi aut ipſe Pontifex Romanus, tantùm panem euchariſticum dari. Calix enim, quem addunt, non eſt ſacramentalis ſed ſaltem ablutorius. Quod reſtat, non approbamus eam noſtratium quorundam ſententiam, qui dicunt, abſtemiis ſolum panem porrigi in S. cœna poſſe, id quod in caſu ne-

 ceſſitatis

Digitized by Google

ceſſitatis utique liceat. Certè & periculoſa quædam, quæ BRENTIUS in hoc articulo habet, cum grano ſalis heic accipienda veniunt. Notandum verò eſt, Pium IV. A. 1564. die 16. Apr. Breve edidiſſe, quo inſtinctu Ferdinandi I. Imper. & Alberti Bavariæ Ducis permiſit, ut in Germaniâ ſacramentum ſub utrâque permitteretur laicis, ſi credant modò, tantùm ſub unâ eſſe, quantum ſub utrâque, id quod Breve tamen per duo alia Brevia Pii V. & Gregorii XIII. poſteà revocatum fuit. Quod reſtat, de communione ſub utrâque, quam inter cærimonialia referunt Pontificii, quæ ab Ecclesiâ pro arbitrio vel ſtabiliri vel mutari queant, videri poſſunt ex Romanenſibus quidem JAC.BEN.BOSSUETUS, JAC. BOILEAU, DAVID AUGUSTINUS BRUEYS, PASCH. QUESNELLUS, ZEPH. DE PACE, qui concomitantiam refellit, ex Proteſtantibus JO. MELCHIOR, MATTH. LARROQUANUS, JAC. DUBOURDIEU, JAC. BASNAGIUS, HERM. HAMELMANNUS & GEORG. CALIXTUS. XVII. Miſſas ſolitarias ſive privatas olim haud in uſu fuiſſe uti nec iſtam, quæ hodie obtinet & linguâ populo ignotâ fit, Miſſarum demurmurationem, ex veteribus Liturgiis, tùm latinis, tùm Græcis, atque ex monumentis veterum omnibus patet. At verò iſta omnia ſanæ rationi & naturæ rerum adverſa eſſe quis non dixerit? Quid enim, quæſo, num Sacerdos ſacram cœnam

nam adminiſtrabit, ubi nemo præter ipſum communicat? Num dicet: *Dominus vobiſcum*, ubi nemo præter miniſtrum adeſt? Et cur demurmurat, cur ignotâ linguâ precatur? Scilicet ne intelligatur, quid agat. Cujuſmodi cultus neſcio num DEO placere poſſit. Aſt commendamus hic lectoribus noſtris liturgias veteres, quas nominamus, utpote ex quibus multa egregia ad veritatem rerum dignoſcendam erroreſque Eccleſiæ Romanæ detegendos peti poſſint. Scilicet in appendice diſſertationis noſtræ de *liturgiis* oſtendimus, quî tranſſubſtantiatio, ſacrificium Miſſæ, præſentiæ realis duratio extra uſum, purgatorium, meritum operum &c. ex canone Miſſæ deſtrui poſſint.

XVIII. Num Chriſtus ipſemet ſymbola à ſe conſecrata guſtaverit, inter PHIL. JO. TILEMANNUM dictum SCHENCK, Theologum Marpurgenſem, qui affirmativam tenuit, & JO. FAES, Theologum Stadenſem, qui negativam defendit, diſputatum eſt. Sed operam luſere Viri præſtantiſſimi, cùm Scriptura ſanctior nihil hic determinet. Cæterùm prorſus exiſtimamus, licere Miniſtro Eccleſiæ, ut in caſu neceſſitatis Euchariſtiam ſibi ipſe ſumat, nullo alio dante, id quod ſanè contra *artic. Smalc. p. 307.* non pugnat, cùm ibidem ſaltem communicatio ſui ipſius *extra Eccleſiæ communionem*, quæ in Miſſis privatis fieri ſolet, carpatur. Jam enim ipſe LUTHERUS in *formulâ Miſſæ*

Wittebergenſis expreſſe habet: *Sacerdos primò communicet ſe ipſum.* XIX. Ineptiunt ex adverſariis, quicunque ajunt, quòd LUTHERUS à diabolo ad abrogandam Miſſam fuerit inſtigatus. Vide diſſ. *noſtram anti-Rogerianam pag. 48. 49.* Tot ibi autores allegavimus, qui LUTHERUM heic defenderint, ut miremur, quî BÆLUS librum Abbatis DE CORDEMOY recenſens ſcribere potuerit: *Les Luthériens, qui ſont un ſi grand nombre de livres, en devroient faire un contre celui-ci.* Vide *Nouv. de la Rep. des lettres 1685. Août p. 925.* At implevit mox anno ſequente vota BÆLII SAGITTARIUS. XX. S. Cœnam non eſſe ſaltem ritum quendam indifferentem ſed neceſſarium eoque fine à Chriſto inſtitutum, ut perpetuus in Eccleſiâ ſit, ex 1. *Cor.* XI. 23. 25. patet. Vide JO. GOTTFRIDI OLEARII *ſyllogen recentiſſimarum de cœna controverſiarum* ſub præſidio celeberrimi BUDDEI defenſam §. 2. *ſqq.* XXI. Inter Philoſophos non eſt, qui præſentiam realem aggreſſus majore niſu fuerit PETRO BÆLIO, qui tùm in *critique generale de l' hiſtoire du Calviniſme de Mr Maimbourg T. 2. lett. 28. §. 17. p. 214. ſqq.* tùm in *dictionario hiſtorico & critico* T. 3., titulo *Pyrrhon*, notâ (B) f. 2431. ſententiam ſuam promſit, quam &, ſi quidem hæc Theologis A. C. Vir acutiſſimus oppoſuerit, in *diſſertatione ſecundâ anti-Bæliana* nuperrimè refutatam dedimus. XXII. Non poſſumus non ſub finem articuli hujus adſper-

adſpergere poſitiones quaſdam planè egregias aureaſque Viri celeberrimi JO. ALPHONSI TURRETTINI, Theologi Genevenſis præſtantiſſimi, quas in libellis ſuis academicis hanc in rem tradidit & quæ magnâ quâdam veritatis luce fulgent. En verò, quid ajat de præſentiâ naturali, locali, inhæſivâ & circumſcriptivâ Vir ſummus: *Senſui communi repugnat, unum idemque corpus eſſe ſimul unum & multiplex, certis limitibus circumſcribi & extra limites illos plus quàm ſexcenties millies reperiri, eſſe quatuor vel quinque pedes altum & ſimul puncto inviſibili includi, exſtitiſſe jam inde ab annis 1719. & incipere exiſtere hoc momento, eſſe ſe ipſo majus & minus, antiquius & recentius, ſuper throno DEI & ſub dente muris &c.* Addit haud multo poſt: *Falluntur, qui ſe credunt ejuſmodi* ἀσύςατα *credere. Jungunt voces, non ideas. Atqui credere propriè loquendo non eſt voces ſed ideas jungere.* Alibi de tranſſubſtantiatione ita idem infit: *Probrum eſt humani generis, eam doctrinam, quæ craſſiſſimas contradictiones involvit, & cujus falſitas, ut ita dicamus, viſu, guſtu, tactu percipitur, tot gentibus ac per tot ſecula perſuaderi potuiſſe.* Addit: *Ne ſplendidiſſimum quidem miraculum tranſſubſtantiationi fidem poteſt conciliare. Nam, ut miraculo credatur, fides ſenſibus habenda eſt: ſi verò ſenſibus fides habeatur, actum eſt de tranſſubſtantiatione.*

Et mox: *Quid eſt Euchariſtia Eccleſia Romana? An eſt ſacramentum? Sed ſacramentum ſine ſigno nullum eſt, hîc verò ſignum perit. An eſt miraculum? Sed miraculum ſenſibus uſurpari debet, ut fidem faciat. Hîc verò non modò ſenſus nihil monſtrant ſed & contra unanime ſenſuum teſtimonium credendum eſt.* Et iterum: *Quibus fidiculis totus Miſſæ apparatus ex planiſſimâ ac ſimpliciſſimâ Euchariſtiæ inſtitutione educi potuerit, res eſt miraculo proxima.* Nec malè & hæc habent: *Cùm Chriſtus dixit:* hoc eſt corpus meum, *nemini adſtantium transſubſtantiatio in mentem venire potuit, cùm paris enunciationis pariſve portenti ne unum quidem exemplum reperiretur.* Et illa: *Non dicendum eſt, verba euchariſtica ſenſu literali à Pontificiis accipi, ſiquidem ſenſus Pontificius non figuram modò ſed violentiſſimam figuram & cui par nulla eſt, inducit.* Id quod & DANIEL SEVERINUS SCULTETUS in *antididagmate* alicubi adſerit. Denique & de adoratione ſacramenti hæc effert: *Quî fit, ut primi Chriſtiani Ethnicis exprobrarent*, illos adorare id, quod comeditur, *ſeculo verò duodecimo Chriſtianis ipſis exprobret Averroës*, illos Deum ſuum comedere? *Horum ratio nulla dari poteſt, niſi quòd primis ſeculis illud Chriſtiani exſecrarentur, quod ſeculis ſequentibus inter ipſos introductum eſt.* Quò ſanè & pertinet id, quòd immediatè poſt iſta adſpergitur: *Peſſimè meren-*

Digitized by Google

merentur de Chriſtiano nomine, qui in cauſâ ſunt, cur Chriſtiani Anthropophagi, *imò &* Theophagi *dici mereantur.* Hactenus TVRRETTINVS, cujus cùm floſculos hoſce lectoris in gratiam heic decerpimus, id quoque addimus, nos eam jam præſentiæ realis euchariſticæ, quam Theologi *Auguſtanæ Confeſſionis* ſtatuunt, non obſcuram illam ſed claram & evidentem ideam heic efformâſſe, quam Vir præſtantiſſimus lubens meritóque (nulla enim prorſus, ut videtur, rei difficultas hîc ampliùs eſt,) nobiſcum ſic admiſerit. Vide *primitias Tubingenſes P. I. p. 256. 257.* ubi adhuc nodum in ſcirpo quæſivimus. Aſt jam & ſatis de S. Cœnâ mentem noſtram extulimus.

Digitized by Google

APPENDIX
DE
MAGISTRATU POLITICO
ET
CONJUGIO.

§. I.

SOlent & Theologi, lector benevole, in inſtitutionibus Theologiæ de magiſtratu politico & de conjugio agere, adeóque, ubi de ſtatu Eccleſiaſtico ſua enarravere, dein & ad ſtatum politicum & œconomicum enarrandum provolare. Ita enim, ut conſtat, illi Eccleſiam in ſtatum politicum, eccleſiaſticum & œconomicum diſtinguunt & diſtinguere adhùc pergunt, etiamſi à JCtis eapropter reprehenſi fuerint, qui cauſantur nec malè cauſantur, in Eccleſiâ ſaltem doctorum & audito-

Digitized by Google

auditorum ordines eſſe. Neque enim egomet negaverim, iſtam Eccleſiæ in ſtatum politicum, eccleſiaſticum & œconomicum diviſionem minus accuratam eſſe, etſi exiſtimem, eam rectè explicatam TOLERARI hactenùs poſſe, quoniam tam inolita eſt, ut dediſci amplius nequeat &,

quo ſemel eſt imbuta recens, ſervabit odorem teſta diu.

Vide quomodo ſententiam noſtram in libro de *originibus Juris eccleſiaſtici* hìc p. 8. enarraverimus. *Etſi per clericos nihil aliud quam Eccleſiæ doctores, per laicos nihil aliud quàm auditores ii intelligant, qui ſapiunt, etſi etiam ſtatus politicus & œconomicus ſub unâ auditorum claſſe contineantur, qui deinde, ſi, uti ſtatum civilem conficiunt, ſpectentur, vel imperantes ſunt vel parentes, ad quos etiam Doctores Eccleſiæ ut referantur, par eſt, etſi, inquam, hæc omnia ita ſe habeant, non tamen video, cur de* λόγῳ παιδείας *& de vocibus tantoperè decertandum ſit, ubi de re ſatis conſtat.* Quod reſtat, non diffitemur, argumenta iſta, quæ in manus heic noſtras calamoque hoc noſtro tractanda ſumimus, magis politica quàm theologica eſſe. Cùm tamen præcipuum quoddam ſit officium, quod Chriſtiani Magiſtratui politico debent, cùm porrò præcipua ſit iſta σχέσις, quâ Eccleſia tanquàm collegium ſub Magiſtratu politico ſtat, cui & jura ſua colle-

gialia exercenda apud Proteſtantes *A. C.* adhærentes ea tradidit, cùm etiam Eccleſiæ quoque ſit de rebus matrimonialibus diſpicere, utpote quæ leges hoc de argumento collegiales & conventionales juxta divinum jus in ſanctioribus contentum literis condit, patet, hanc tractationem & certo modo ad Theologos prorſus ſpectare. Age, veniamus in rem præſentem.

§. II.

De Magiſtratu politico hæc notanda paucis veniunt. I. Magiſtratus politicus h.e. ea ſumma quædam inter homines poteſtas, quæ omnia gubernat, quæ leges fert, quæ delinquentes punit, & jure vitæ ac necis itemque jure belli fulget, adque juſtitiam adminiſtrandam ſalutemque publicam promovendam ſua dirigit, à Deo eſt conſtitutus & quidem immediatè *Prov.* VIII. 15. ſq. *Rom.* XIII. 1. 2. 1. *Pet.* II. 13. 2. *Paralip.* XIX. 6. etſi perſonæ, quæ Magiſtratu iſto fulgent, non jam immediatè uti ſubinde in V. T. *Num.* XXVII. 18. *Deut.* III. 28. 1. *Sam.* IX. 16. 17. X. 24. XV. 11. 26. XVI 1. 13. factum ſed mediatè (quod tamen ipſum non impedit, quò minus idem à Deo quoque ſit *Joh.* XIX. 11. *Dan.* II. 37. 38.) conſtituantur, ſc. ubi homines magiſtratum eligunt ſpontaneaque hic ſubmiſſio intercedit, vel, ubi per hæreditariam ſucceſſionem in aliquem iſta poteſtas devolvitur, aut ubi jure belli

Digitized by Google

belli & ſubjectionis violentæ, cæteris paribus, eadem acquiritur. Hinc & magiſtratus *1. Pet.* II. 13. ἀνθρωπίνη κτίσις vocatur. Quæſtio itaque illa, ubi quæritur, num Magiſtratus ſit mediatè vel immediatè à DEO, facilè ſolvitur, ſi inter Magiſtratum in abſtracto, qui utique immediatè à DEO eſt, (vult enim DEUS, ut magiſtratus ejusmodi inter homines ſit, cùm aliâs humanum genus latrociniis mutuis jugiter expoſitum eſſet) & magiſtratum in concreto, ſive perſonam vel perſonas hoc officio fulgentes, quæ utique non immediatè à DEO conſtituuntur, diſtinxeris. II. Magiſtratus politicus in ſtatu lapſûs eſt prorſus neceſſarius ob rationem modò poſitam. *Prov.* XI. 14. *Judic.* XVII. 6. XXI. 25. III. Et clericos Magiſtratui politico DEUS ſubjectos vult. *Joh.* XIX. 11. *Rom.* XIII. 1. IV. Magiſtratui politico competunt jura ſacrorum abſoluta, non jura collegialia, niſi hæc à cœtu tradita ſint. Vide prorſus librum noſtrum de *originibus Juris eccleſiaſtici veràque ejuſdem indole* C. 4. ubi & diſquirimus, num jus epiſcopale Magiſtratui politico competat. V. Magiſtratum etiam Chriſtianus gerere poteſt. Primò enim habemus hic exempla Regum piiſſimorum V. T. Secundò magiſtratus eſt ordinatio divina & DEI miniſter ipſiuſque etiam vicem ſuſtinet *Rom.* XIII. 1. ſqq. *Pſ.* LXXXII. 1. *Deut.* XVI. 18. Tertiò magiſtratus in bonum univerſi generis humani conſtitutus eſt

eſt *Proverb.* VIII. 15. *Ieſ.* X. 1. ſqq. XLV. 1. *Ezech.* XXIX. 20. *Rom.* XIII. 1. ſqq. VI. Formæ magiſtratûs politici præter Theocratiam V. T. ſunt plures, monarchia, ariſtocratia & democratia, dantur & formæ ex his mixtæ, dantur & ſyſtemata civitatum confœderatarum reſque hæc variè ab hominibus inflecti poteſt. Nec ulla forma, cùm jus divinum nil hìc determinet, alteri præferenda eſt, nec vituperanda. Addimus hìc *ὡς ἐν παρόδῳ*, ita eſſe comparatas formas quaſdam, ut majeſtas, quæ in ſe quidem ratione definitionis ſuæ eſt indiviſibilis, tanquam totum aliquod poteſtativum in partes ſuas atque inter perſonas hìc dividatur, ut etiam huic competat majeſtas ſumma, huic ſaltem ſuperioritas territorialis, quæ tamen & ipſa majeſtatem licet ſequiorem dicit. Vide hìc omninò celeb. Viri GAB. SCHWEDERI *introd. ad Jus publ. Part. gen.* C. 2. §. 19. C. 4. §. 50. & *Part. ſpec.* ſect. 2. §. 3. VII. Magiſtratui omninò parere debent Chriſtiani. *Rom.* XIII. 1. 1. *Tim.* II. 2. 1. *Pet.* II. 13. *Tit.* III. 1. VIII. Officium Magiſtratûs deſcribitur *Rom.* XIII. 1. ſqq. *Ex.* XXIII. 6. *Deut.* I. 16. 17. XVI. 19. XIX. 18. 19. XXV. 1. 2. *Par.* XIX. 6. *Pſ.* LXXXII. 1. Cæterum velim hìc inter officia Magiſtratûs Chriſtiani & jura ejuſdem circa ſacra diſtingui. Utraque ſe extendunt ad Eccleſias & ad ſcholas, quarum bona conſtitutio Magiſtratui vel maximè curæ eſſe debet, cùm hìc boni cives gigni debeant. In genere

genere verò SALUS PUBLICA hoc eſt, civilis, Magiſtratui SUPREMA LEX ESTO. De officiis ſubditorum erga magiſtratum vide loca *Rom.* XIII. 4. ſqq. 1. *Pet.* II. 17. *Act.* IV. 19. V. 29. 1. *Tim.* II. 2. *Matth.* XXII. 21. IX. Magiſtratus conſcientiis dominari non debet, hoc enim ſibi DEVS reſervavit, nec hæreticos vel infideles vi debet ad religionem veram compellere, quoniam ſic nemo convertitur ſed ſaltem hypocritæ formantur, nec DEVS coactum cultum amat. Vide *primitias Tubingenſes P.* 2. *p.* 95. *ſqq.* Ex quo prorſus conſequitur, non peccare Magiſtratum, ſi hæreticos in ditione ſuà toleret, maximè cùm magiſtratui quà tali hæc diſquiſitio non competat. X. Magiſtratus, uti in genere jure ſibi proprio judicat, ita & jus vitæ ac necis habet *Gen.* IX. 6. *Exod.* XXI. 12. coll. *Levit.* XXIV. 17. *Exod.* XXII. 18. *Devt.* XVIII. 6. XX. 21. *Num.* XXXV. 33. *Matth.* XXVI. 52. *Apoc.* XIII. 10. *Rom.* XIII. 4. Quin neceſſum habet magiſtratus homicidas morte plectere, id quod ex his ipſis effatis ſubinde probant Doctores, ubi tamen velim, quid ſcriptores recentiores HANNEKENIUS, THOMASIUS & RECHENBERGIUS ſcripſerint, ut conferas. At confer omnino HOCHSTETTERUM noſtrum de *jure pœn. p.* 31. 96. *ſqq.* & cel. BUDDEI *Theol. mor. P.* 2. *C.* 4. *§.* 18. Habet & magiſtratus jus belli. Etenim DEUS in Vet. Teſtamento bella juſſit, ſpiritu fortitudinis

dinis heroas bellicos induit, ipſe leges bellicas præſcripſit, bella direxit & victoriis ornavit. Accedunt exempla eorum, qui in Vet. Teſtamento licitè bellavere, Abrahami, Jacobi, Moſis, Joſuæ, Judicum, Regum. Nec eſt, quod ajas, a Vet. Teſtamento ad Novum nullam hic valere conſequentiam. Johannes enim interrogatus à militibus, quid ſibi faciendum eſſet, ut iram DEI effugerent, non eos militiâ abire (quod utique ipſis ingerere debuiſſet, ſi militia injuſta exſtitiſſet,) ſed concuſſionibus abſtinere ſtipendiiſque militaribus contentos eſſe jubebat *Luc.* III. 14. Nec Chriſtus centurionem *Matth.* VIII. 9. nec Apoſtolus Cornelium militem *Act.* XI. 7. 48. rejecit, quin potius uterque loco citato laudatur, & Paulus præſidium militare non ſolùm admiſit ſed etiam adverſus vim Judaicam imploravit *Act.* XXIII. 17. 23. ſqq. ut taceam, gladium omninò Magiſtratui competere *Rom.* XIII. 4. XI. Jus regium 1. *Sam.* VIII. 11. ſqq. non uſurpativum eſt ſed divinitùs indultum taleque, quo Magiſtratus urgente Reipubl. conſervandæ neceſſitate ſalvâ conſcientiâ uti poſſit, etſi tributum non facilè colligendum ſit ſit cum ſubditorum lachrymis. Hæc HULSEMANNI, OSIANDRI, CALOVII, OBRECHTI aliorumque ſententia eſt. Alii de nudo facto exponunt. Alii de facto effectum juris habente ut GROTIUS, ut DANNHAWERUS Sed palmam omnibus neſcio num præripiam HOCH-

Digitized by Google

HOCHSTETTERI, Pater & Filius, qui ajunt, de regno fiſcoque Regis conſtituendo, id quod per media iſta licitè fieri poſſit, non conſtituto, ubi hæc non liceant 1. *Reg.* XXI. 2. 7. 19. ſermonem hîc eſſe. Vide *colleg. Pufendorf. pag.* 464. 465. & adde tamen cel. BUDDEI *Hiſt. Eccl. Vet. Teſtamenti T.* 2. *p.* 265. *ſqq.* XII. Magiſtratus legibus divinis ſolutus non eſt *Deut.* XVII. 18. ſqq. Vide egregiam celeb. BUDDEI diſſ. de *Principe legibus humanis ſed non divinis ſoluto.* Hinc & , ubi Magiſtratus aliquid præcipit legi divinæ contrarium, fas non eſt obedire *Act.* IV. 19. Idem & pactis cum ſubditis initis prorſus tenetur itemque pactis cum aliis magiſtratibus compoſitis. Cæterùm & hæreticis fidem ſervare debet Magiſtratus, quos certè morte plectere & eradicare non debet ſed hactenùs res eorum ipſis permittere, niſi rempublicam turbent. *Matth.* XIII. 30. *Luc.* IX. 54. 55. Quod reſtat, communis noſtratium ſententia eſt, magiſtratui ut tali tanquàm utriusque tabulæ cuſtodi jure divino religionis curam & jus circa ſacra non internum ſed externum competere , quale ſit miniſtros verbi idoneos vocare & conſtituere, eos honeſtè ſuſtentare *Jeſ.* XLIX. 23. ſcholas erigere & conſervare, ordines inter Eccleſiæ miniſtros conſtituere exemplo Davidis 1. *Paral.* XXVI. 1. XXIV. 4. 2. *Par.* XXIX. 25. XXXI. 2. in flagitioſos Eccleſiæ miniſtros animadvertere 1. *Reg.* II. 27.

leges

leges eccleſiaſticas 1. *Chr.* XIV. 4. ferre exemplo itidem Davidis promulgantis legem de reducendâ arcâ 1. *Paral.* XIII. 5. & de officiis Levitarum XXIII.6.itemque Joſaphati jejunium indicentis 2. *Paral.*XX.3. Confer & *Jona* III.7.& *Codicem tit.* de *ſummâ Trin. ac fide cathol.* de SS. *Eccleſiis*, de *Epiſcopis & clericis*, de *Epiſcopali audientiâ*, *hæreticis & Manichæis* &c. item *conſtitutiones Leonis* & *novellas Juſtiniani* &c. Fatetur ipſa gloſſa *decret. diſtinct.* 84. *quid ampliùs* 800. *à nativitate Chriſti annis Imperatores leges de rebus eccleſiaſticis non ſolùm tulerint ſed quòd Eccleſia etiam iis obediverit*. Unde ipſe Gregorius M. leges eccleſiaſticas Imperatorum *publicabat* & ad Italiæ Siciliæque Epiſcopos obſervandas tranſmittebat *L. 1. ep.* 43. & *l. 7. epiſt.* 11. quod teſtimonium adduxit ipſum *jus canonicum c. Legem. Diſt.* 53. Vide JUSTINIANI *novellam 3. cap. 1. Novell.* 6. 137. & *C.* 6. & adde *cod. canonum Eccleſiæ univerſæ à Juſtiniano Imp. confirmatum.* Quæ leges tamen non ſine conſilio Eccleſiaſticorum ſanciri debent exemplo Davidis,utut Prophetæ 1. *Paralip.* XIII.2.Sacerdotes &Principes populi in conſilium vocantis. Denique & id ſtatuunt noſtri, magiſtratum politicum bona eccleſiaſtica licitè diſpenſare 1.*Reg.*XV.15. 2.*Reg.*XXII.4.2.*Paral.*XXXI. XXXIV. 8. atque Eccleſiis etiam de tranquillitate proſpicere debere, eas exemplo Samuelis, qu[i] ſingulis annis Bethel, Gilgal & Mizpam 1. *Sam* VII.16

VII. 16. adivit, & Joſaphati 2. *Paralip.* XVII. 7. ſqq. XIX. 4. viſitando & ſynodos exemplo Davidis 1. *Par.* XIII. 1. 2. XXIII. 1. Salomonis 1. *Reg.* VIII. 1. Ezechiæ 2. *Par.* XXIX. 4. & Joſiæ 2. *Reg.* XXIII. 1. congregando. Quin & ad Magiſtratum quà talem noſtri ajunt pertinere, ut collapſum religionis exercitium reſtituat, in errores nimirum, hæreticos & ſeductores exemplo Jehu 2. *Reg.* X. 19. & Conſtantini M. inquirendo & animadvertendo atque idololatricos cultus exemplo Aſiæ 1. *Reg.* XV. 12. Joſaphati 2. *Paral.* XVII. 7. Ezechiæ 2. *Reg.* XVIII. 4. Joſiæ XXIII. 2. & Imperatorum Chriſtianorum abolendo. Vide omninò hæc ita elata à SCHERZERO in *ſyſtem. loco 26.* qui & ſolicitè diſtinguit inter internam & externam Eccleſiæ gubernationem, hanc magiſtratui, illam Clero vindicans. 2. *Par.* XXVI. 16. ſqq. Cùm, quæ noſtra hanc in rem ſit ſententia, ſatis ex originibus Juris eccleſiaſtici liqueat, non eſt, quòd luculentiùs hìc illam denuò ediſſeramus. Scilicet jura ſacrorum abſoluta cum juribus collegialibus hìc omninò confunduntur atque à Vet. Teſt. ad novum, à Theocratià ad ſtatum civilem ordinarium malè ſubinde arguitur, adeoque V. T. textus hìc malè applicantur. Unicum jam hoc addimus: num & tyrannicus magiſtratus à DEO ſit, cùm ferè contrarium ex *Hoſ.* VIII. 4. pateat, & num ejuſmodi Magiſtratui tamen parendum ſit? Reſpondetur, quod

ſic. Vide *Hoſ.*XIII.1.*Pet.*II.18.19. Quæritur &, num bella pro religione gerere liceat? Reſpondetur itidem, cæteris paribus, quòd ſic, cùm, quid impediat, quò minùs id liceat, non pateat. Nec minus ambigitur: Num Magiſtratus orthodoxus falſas religiones tolerare quoque in terris ſuis poſſit? Reſpondetur: quidni? cùm diverſæ religiones earumque toleratio ſaluti publicæ proficua magis ſit quàm noceat, uti in Belgio id patet, cùm & Magiſtratus conſcientiis jugum imponere haud poſſit ſemperque ſub judice, qui certè Magiſtratus in rebus religionis non eſt, lis ſit, quænam vera Religio ſit? Id quod etſi ſatis deciſum in ſacris literis ſit, ita ut quivis heic pro ſemetipſo judex eſſe poſſit, nemo tamen ut Judex perſonalis hodiè decidere poteſt, cùm omnes Judices, qui in mundo dari poſſint, ſint fallibiles nullique à DEO hoc juris datum ſit, qui ipſemet ſolus id in judicio extremo olim exercebit. Denique & quæritur, num Anabaptiſtæ, Sociniani & Quakeri in Republicâ ſint tolerandi? Atqui verò & hîc reſpondetur, quòd ſic, cùm juxta eorum principia obedientia paſſiva ſit ſtatuenda. Jam verò delicata hæc de obedientiâ activâ an paſſivâ h. e. num Principi tyranno reſiſtere liceat, eſt quæſtio, id quod ſanè nonniſi eo in caſu licet, ubi MANIFESTISSIME is teſtatum facit, ſe rempublicam penitus deſtruere velle & peſſundare. Quod qui facit, ſimul declarat, ſe

ſe nolle amplius ut Magiſtratum ſed ut hoſtem publicum conſiderari. Exiſtimem tamen, nunquam licere, manus ut etiam manifeſtis ejuſmodi rerum publicarum hoſtibus, qui magiſtratum aliquando geſſere, inferantur, quoniam ſunt uncti Domini, etſi hæc ratio quoad V. T. ſaltem militare videatur adque ſtatum Theocraticum referenda eſſe. Aſt ſatis jam de magiſtratu politico diximus, ubi màximè quidem Romanenſes, qui duo capita abſoluta, Pontificem & Magiſtratum, queis obedire debeant, agnoſcunt, & Monarchomachos, qui illicò, ubi Magiſtratus ad plebis nutum ſe haud componit, dejici eum poſſe ſtatuunt, peccare videmus, magis certè ac Anabaptiſtas, Socinianos quoſdam, Quackeros & Weigelium, qui Magiſtratum à Chriſtianis geri poſſe & jus vitæ ac necis illi competere perperam inficiantur. De Monarchomachis, queis Machiavelliſtæ ſive fautores tyrannidis opponuntur, qui in alterum extremum labuntur, vide JO. NIC. HERTIUM *opuſcul.* T. 1. JO. FR. BUDDEUM in *hiſt. Juris naturæ*, quæ in *ſelectis J. N. & G.* exſtat, §. 52. p. 77. ſqq. & A. A. HOCHSTETTERUM in *colleg. Puſendorf.* p. 504. Adde & GUIL. NICHOLSONII *the Scottiſh hiſtorical library* p. 37. ſqq. *Obſerv. Hal. ſel.* T. 6. *Obſ.* 1. n. 3. ſqq. P. BÆLII. *diſſ. pec.* ad calcem *Dict. hiſt. & crit.* t. 3087. ſqq. & *Acta erud. Lipſ. 1686.* p. 315. ſqq. De officiis ſummorum imperantium

tium & civium confer omninò eundem celeberr. BUDDEUM in *Theol. mor.* P. 2. C. 3. *Sect.* 7.

§. III.

Jam, quæ de conjugio dicenda ſunt, paucis itidem ſubſtringamus. I. DEUS conjugium inſtituit *Gen.* I. 27. 28. II. 18. *Matth.* XIX. 4. 1. *Tim.* II. 15. Antichriſtianum igitur eſt matrimonium damnare. *Ebr.* XIII. 14. 1. *Cor.* VII. 27. 28. 1. *Tim.* IV. 3. Quin neceſſarium iis hoc eſt, qui non continent 1. *Cor.* VII. 9. II. Conjugium eſt legitima & indiſſolubilis duorum in unam carnem ex mutuo conſenſu & pacto conjunctio. III. Ad legitimam & validam conjunctionem requiritur conſenſus liberrimus, plenus & juſtus *Gen.* XXIV. 7. contrahentes, qui pollent jure & facultate pactum ejuſmodi ineundi, (hinc ſponſalia contracta contra conſenſum Parentum vel eorum, qui eodem loco ſunt, ſive clandeſtina ab iis, qui domo eorundem nondum exiere, nulla ſunt, etſi Parentes hic moroſi eſſe non debeant *Exod.* XX. 12. *Epheſ.* VI. verſ. 2. *Coloſſ.* III. 20. *Ex.* XXII. 16. 17. XXXIV. 16. *Deut.* VII. 3. XXII. 19. *Jerem.* XXIX. 6. *Eccleſ.* VII. 27. 1. *Cor.* VII. 38. hinc & ea ſponſalia, quæ primùm contrahuntur, iis omnibus anteferenda ſunt, quæ poſtea contracta fuere, etiamſi imprægnatio aut etiam aliud quid aceeſſerit, niſi quidem leges matrimoniales hic, quod ubique ita habet, aliter diſponant,) & abſentia metûs, doli & erroris. Ubi enim hæc interveniunt,

Digitized by Google

niunt, pactum eſt nullum, ſi quidem dolus aut error ipſam rei ſubſtantiam vitiet præcipuique momenti ſit. IV. Matrimonium antecedunt ſponſalia ſive promiſſio de matrimonio contrahendo, ubi nota א ſponſalia conditionata minus conditionatis non debere cedere, niſi conditio impleri non ampliùs poſſit, ſaltem nulla adſit probabilis perfectio, quî impleri poſſit, qui enim iniit ſponſalia conditionata, abſoluta inire ampliùs nequit, non enim amplius ſui juris eſt. ב Nec ſponſalia privata publicis cedere debent, ſi ſui juris ſint, qui ea ineunt, ſi & verus & liber & plenus adſit conſenſus reſque hîc ſatis pateat. Jam autem, ſi matrimonium quoque ab iis conſummatum ſit, qui conſentire non potuere, diſſentientibus parentibus, vel qui jam alia ſponſalia inierant, illud ne matrimonium quidem eſt adeoque diſſolvi poteſt, niſi jura eccleſiaſtica aliter pronuncient. ג Diſtinctio inter ſponſalia de præſenti, indiſſolubilia hæc, & de futuro, quæ in Jure Canonico exſtat, nulla eſt adeóque è foris Proteſtantium matrimonialibus penitùs eliminanda. ד Sponſalia poſteriora prioribus ſemper cedunt, jurata licet, cùm hæc contrahi non amplius jure poſſint. ה Aliud eſt conſenſus ſponſalitius, aliud nuptialis. Cæterùm ad deciſionem hujuſmodi quæſtionum ad leges eccleſiaſticas nihilominùs ſemper reſpiciendum eſt, quæ hîc & nunc florent. V. Conjugium ſaltem inire poſſunt homines numero duo, mas

Digitized by Google

& fœmina ad obtinendum conjugii finem, qui eſt procreatio ſobolis, idonei adeoque puberes & extra prohibitos conſanguinitatis & affinitatis gradus conſtituti. Vide *Gen.* II. 18. *Matth.* XIX. 4. *Levit.* XVIII. XX. Benè heic notandum eſt, inter perſonas ad matrimonium inhabiles, ubi procreatio ſobolis obtineri nullâ ratione poteſt, matrimonium nullum contrahi poſſe, ſi verò contrahatur contra legem divinam de gradibus prohibitis, illud impediendum ſemper & in linea rectâ &, ubi reſpectus adeſt parentelæ, & inter fratres & ſorores ſemper dirimendum eſſe. VI. Finis conjugii primarius eſt humani generis per ſobolis creationem & educationem conſervatio *Gen.* I. 27. 28. *Tob.* VIII. 9. 1. *Tim.* II. 15. ſecundarius mutuum adjutorium *Gen.* II. 18. *Eccleſ.* IV. 9. 10. & remedium adverſus vagas libidines 1. *Cor.* VII. 2. VII. Adjuncta ſunt neceſſitas non quidem abſoluta ſed hypothetica *Matth.* XIX. 12. 1. *Cor.* VII. 9. dignitas *Hebr.* XIII. 4. etſi dignior ſit cælibatus 1. *Cor.* VII. 7. ſqq. 35. *Matth.* XIX. 12. *Apoc.* XIV. 4. utilitas, benedictio ſacerdotalis, antiqua illa, de quâ ſcripſere PFANNERUS, HILDEBRANDUS, BOEHMERVS, MULLERUS, quæ &, etſi in ſacris literis haud ſit præſcripta, tamen lege eccleſiaſticâ cum introducta ſit, neceſſaria eſt ad effectum quoque civilem gignendum, qualis eſt indiſſolubilitas matrimonii & jus in

in corpus & bona &c. Denique & ad adjuncta matrimonii pertinet imago illa ſanctiſſimæ & arctiſſimæ unionis myſticæ, quâ DEUS unitur cum hominibus, interprete Paulo *Eph.* V. 31. 32. 1. *Cor.* VII. 17. Unde ſanè ajunt Romanenſes, matrimonium eſſe ſacramentum. Sed in gratiam maximè ampliſſimorum DD. JCtorum, qui hoc de argumento tàm prolixi ſunt & reliquias ſacramenti ubique venantur, paucis notaverimus, in puram putam logomachiam totam hanc quæſtionem abire (quod enim de charactere indelebili hîc quidam ajunt, qui ſecundùm Romanenſium mentem hîc imprimatur, nullum id eſt, cum matrimonium iterari poſſit, vide & *tr.* noſtrum de *originibus Juris eccleſ. p.* 45.) & totam hanc litem diſſlari ſtatim, ubi quæſiveris, quid intelligatur ſub termino ſacramenti. Si enim nihil aliud heic ad ſacramentum deſideraveris quàm tria hæc puncta, quæ BELLARMINUS requirit, quòd ſit res ſenſibus ſubjecta atque à DEO inſtituta, ut ſit ſymbolum vel repræſentatio rei ſacræ habeatque divinæ gratiæ promiſſionem, quæ & certo ordine hîc conferatur, in ſenſu hoc, qui longè generaliſſimus eſt, utique matrimonium Chriſtianorum dici poteſt ſacramentum. At verò ſi ſacramentum ſit actio divinitus inſtituta, quâ DEUS per certum inſtitutionis verbo ordinatum elementum cœleſtia ſua bona diſpenſat, ſi etiam, ubi de ſacramen-

tis Novi Teſtamenti eſt quæſtio, illud ſolùm in Novo Teſtamento florere debeat, non in Vetere, non extra Eccleſiam, vel ipſimet Romanenſes hoc ſenſu matrimonium eſſe ſacramentum negaverint. Characterem verò indelebilem per matrimonium imprimi, uti diximus, iidem ipſi Pontificii negant. Ultimum adjunctum matrimonii, quod à Theologis recenſetur, eſt nuptiarum ſolennitas, ubi hoc unicum ὡς ἐν παρόδῳ notamus, convivia iſta & pompas & oblectamenta nuptialia, quæ tàm impia ſubinde ſunt & benedictionem divinam novis conjugatis præripiunt, utique à magiſtratu politico ut limitentur tantiſper aliterque inflectantur, optandum eſſe. VIII. In conjugio omni ex jure Chriſtiano pactum initur, quod involvit promiſſionem continuæ cohabitationis mutuamque ad iſtam obligationem, promiſſum item de corpore alii non concedendo, denique, quod poſt ſe trahit imperium mariti in uxorem. *Gen.* II. 24. III. 16. 1. *Cor.* VII. 4. *Eph.* V. 22. ſqq. 1. *Cor.* XI. 3. XIV. 34. *Col.* III. 18. 1. *Tim.* II. 12 1. *Petr.* III. 1. IX. Pugnantia cum conjugio ſunt polygamia, cælibatus, mors *Rom.* VII. 2. viduitas, divortium & malitioſa deſertio, concubitus cum menſtruatâ præpoſteruſque omnis & perverſus membrorum uſus, mollities, adulterium, ſcortatio, inceſtus, ſodomia, beſtialitas. Adverſatur verò conjugio primùm digamia vel polygamia, non ſucceſſiva *Ezech.*XLIV. 22. *Matth.*

Digitized by Google

Matth. V. 32. XIX. 9. XXII. 28. ſqq. 1. *Cor*. VII. 28. ſqq. XI. 3. 1. *Theſſ.* IV. 4. 1. *Cor*. VIII. 39. *Rom*. VII. 2. 3. 1. *Tim*. V. 4. ſed ſimultanea, tùm virilis tùm muliebris, quæ poſterior legi naturæ, illa verò legi divinæ univerſali N. Teſtamenti dicitur eſſe contraria. Ita enim ex *Matth*. XIX. 4. ſqq. mediatè (immediatè de divortio ibi ſermo eſt, non de polygamiâ) concludimus, ita & dictum, quod exſtat 1. *Cor*. VII. 2. 4. non ſaltem pro *συγγνώμῃ ἀποστολικῇ* ſed pro *ἐπιταγῇ Κυρίου* vſ. 6. reputamus. Scilicet cùm Chriſtus eum, qui uxore per injuſtum divortium dimiſſâ aliam ducit, adulterii reum pronunciet, multò magis is adulterii reus eſſe videtur, qui durante adhùc cum priore matrimonio aliam ſuperinducit. Porrò cum DEUS nonniſi unum maſculum & unam feminam creaverit & inter ſe junxerit, cenſetur utique indicâſſe, matrimonium inter unum virum & unam feminam eſſe debere. Vide tamen, quid QUENSTEDIUS hìc habeat in *Theol. did. pol.* P. 4. C. 14. *Sect*. 2. *f*. 461. b. Omnis enim inſtitutio divina inſtar legis eſt, quam nemo niſi ipſe DEUS mutare vel diſpenſare poteſt. Nec obſtant exempla Patriarcharum polygamorum Deoque chariſſimorum, quæ ex Vet. Teſtamento allegantur. Primò enim à Vet. ad Novum Teſtamentum non valet conſequentia. Secundò DEUS hìc vel diſpenſavit vel toleravit vel etiam in iis puniit polygamiam, immiſſis ob

 eam

eam commiſſam calamitatibus temporalibus. At verò non ſequitur, ſi DEUS toleraverit vel diſpenſaverit polygamiam in Patriarchis, ergò illa hodiè tolerari debet, ergò hodie imperantes circa illam diſpenſare poſſunt. Quod reſtat, hiſtoriam eorum, qui polygamiam defenderunt, recentiorum nempe, invenire eſt in celeberr. BUDDEI *Theol. mor. P. 2. C. 3. Sect. 6. §. 9. p. 553. ſqq.* Addi poſſunt SINCERUS WARENBERGIVS *in dem kurzen Geſpräch von der polygamie*, JO. BARTHOLDVS HEROLDUS in diſſ. politico-Juridicâ de *polygamiâ ſimult. & ſucceſſ. ejuſque juſtitiâ interna*, ex recentioribus SAM. FRID. WILLENBERGIUS. Iis verò, qui contra polygamiam à Viro ſummo allegantur, adſpergi poſſunt Chriſtianus Vigil, MELCH. ZEIDLERUS, BRVNSMANNVS & in *polygamiâ triumphatâ*, MENZERVS, SIRICIVS, ADAMI, WEIKMANNVS, SCHELWIGIVS. Cæterùm benè notandum eſt, nondùm confectum eſſe, quòd LVTHERVS Megalander digamiam PHILIPPO Magnanimo, Haſſiæ Landgravio, permiſerit, cùm eò ſaltem ipſius & Melanchthonis Bucerique aliorumque vadat conſilium, hypotheticum illud, ut, SI quidem omninò vellet *Margaretham* illam *de Sala* conjugi ſuæ ſuperinducere, faceret id clanculum, ne ſcandalum tantum eſſet. Vide *acta* à LAVR. BEGERO primùm, poſt à J. B. BOSSVETO & aliis, maximè & PRUCKNERO, denique à JO. BACMEISTERO

STERO noſtro edita. Sed hæc de polygamiâ ſufficiant. Jam de divortio quædam dicenda ſunt. Prohibetur id expreſſè à Chriſto tanquàm primitivæ matrimonii inſtitutioni contrarium *Matth.* XIX. 10. 1. *Cor.* VII. 10. etſi id anteà per Moſen permiſſum eſſet, quam permiſſionem Chriſtus hìc delet, atque ita delet, ut in ſolo adulterii aut ſcortationis caſu licitum eſſe divortium ajat. At verò hæc & ita explicanda eſſe, ut cauſæ æquipollentes adulterio non excludantur, patet, cùm & ob deſertionem malitioſam fieri poſſe divortium Paulus affirmet 1. *Cor.* VII. 15. Nec eſt, qui è Theologis diſſentiat, licet delicatum dein ſit, determinare, quænam adulterio & malitioſæ deſertioni æquipolleant, ubi ſunt, qui laxiora, qualia celeberrimus BOEHMERVS aliique adoptavere, ſunt &, qui ſtrictiora principia fovent, quæ Theologis omninò familiaria heic ſunt. Nec ſanè cauſas divortiorum nimis extendendas eſſe oſtendit formula Chriſti: *παρεκτὸς λόγυ πορνείας Matth.* V. 32. & *εἰ μὴ ἐπὶ πορνείᾳ.* In Ebræo *Devt.* XXIV. 1. ubi de libello divortii agitur, dicitur, *ſi vir in uxore ſuâ invenerit* ערות דבר turpitudinem rei *& ſcripſerit illi libellum repudii.* Heic ſchola Schammæana, quæ in divortio concedendo fuit rigoroſior, per ערות דבר intellexit *libidinem*, *laſciviam*, *impudicitiam*, quæ in hominibus conjugatis communiter adulterii notam innuit vel cum juſtà ejus ſuſpicione con-

junƈta

juncta eſt aut ſaltem crimen ferè æquale ex impudicitiâ maximè profluens, uti liberiorem converſationem, quæ ſcandalum parit, dicit. Schola verò Hilleliana, quæ ob quamvis cauſam, ob quam mulier viro diſplicere poterat, ſi e. g. non benè morata aut modeſta eſſet, ſi cibos nimiâ ſalſedine aut nimiâ toſtione perderet &c. divortium fieri poſſe aſſeverabat, verba iſta diviſim accepit ac ſi dictum eſſet או ערוה או דבר *aut turpitudinem aliquam aut rem* aliam fœdam, quod deinceps de moribus quibusvis inconcinnis aut parum decoris iſta explicavit. Vide *tract. Talm. Gittin C. 9.* & adde JO. BUXTORFIUM de *ſponſalibus & divortiis pag. 89. ſqq.* JO. LIGHTFOOTUM in *hor. Hebr. & Talm. ad Matth.* V. 31. XIX. 3. JO. SELDENUM in *ux. Hebr. L. 3. C. 21. p. C. 331. ſqq* Patet verò, illud ערות דבר ſtrictè de adulterio ſumi non poſſe, cùm juxta *Deut.* XXII. 22. adulterium mortis inflictione puniendum ſit, ubi deinde nulli amplius repudii libello; locus ſupereſt, atque aliàs Moſis permiſſio per Chriſtum non eſſet ſublata ſed confirmata, denique & generalitas vocis id non permittat. **Πορνεία** itaque τῷ ערות דבר non æquipollet ſed deſignat hìc ſcortationem & adulterium, diſſentitque adeò hìc Salvator ab utràque ſcholà, cùm & Schammæanâ videatur eſſe rigidior. Non eſt itaque, quod jam in JO. MILTONI ſententiam quis præceps ruat, qui divortium à conjuge ob aſperos mores

mores conceſſit ipſemetque fecit. Divortia verò quoad torum & menſam neceſſariò ſæpiùs & rectè à magiſtratu politico conceduntur. Confer verò hic omninò B. D. HOCHSTETTERI *Colleg. Pufendorf. p. 409. 410.* Ipſe verò DEVS & aliquando divortia mandavit *Eſdr.* X. 3. 4. 44. Nec tamen mutuo diſſenſu ſolvi poteſt divortium, uti aliud pactum, cùm DEUS indiſſolubilitatem matrimonio adjunxerit, cùm & matrimonium fœdus DEI ſit *Proverb.* II. 17. *Mal.* II. 14. De adulterio hæc notari velim, eſſe id violationem tori conjugalis in univerſum, ubi fides conjugalis vel ab utroque vel alterutro peccantium violatur. *Matth.* V. 27. XIX. 9. Stante itaque polygamiâ adulterium non exſtitit concubitus mariti cum ſolutâ *Deuter.* XXV. 5. Aliter ſe habet divortium illegitimum *Matth.* XIX. 9. & concubitus cum uxore alienâ. Scortatio & vagam libidinem & quemvis concubinatum ad certam licet perſonam reſtrictum, ſi is nec perpetuus neque ad procreationem educationemque honeſtam ſobolis directus ſit, quâ ratione is ſanè conjugium evadit, denotat. Divortium enim, uti vidimus, prohibitum eſt & omnis concubitus, ad procreationem & honeſtam ſobolis educationem qui haud dirigitur, jure divino eſt illicitus. Mirum autem eſt, in primis Chriſtianiſmi temporibus concubinatum non adeò exoſum fuiſſe. Vide librum noſtrum de *ori-*

gin.

Digitized by Google

gin. juris eccleſ. p. 165. Cæterùm concubinatum illum, qui perpetuus & ſolus eſt, qui & ad procreationem ſobolis dirigitur, nemo facile tanquàm juri divino contrarium reprobaverit, cùm inter matrimonium & concubinatum ejuſmodi nulla ſit in ſubſtantialibus diſtinctio. De inceſtu jam, qui conſiſtit in illegitimâ conjunctione perſonarum, quæ contra legem divinam de gradibus prohibitis fit, paucis agendum eſt. Lex iſta exſtat *Levit.* XVIII. & XX. nec eſt ſaltem forenſis Judaica, quoniam (1) hic & gradus prohibentur in lineâ rectâ & ubi reſpectus parentelæ eſt, qui & in jure naturæ prohibiti ſunt, (2) Cananæi ob eam legem non obſervatam puniti & exſtincti fuere, ex quo Theologi olim legem moralem poſitivam, recentiores verò legem poſitivam univerſalem, quæ ab illâ ſaltem voce diſtat, extraxere, etſi dici poſſit, א hanc legem & Judæis & Cananæis olim à DEO dari & promulgari potuiſſe, licet omnibus hominibus haud promulgata fuerit omneſque adeò haud obſtrinxerit, ב verba *Levit.* XVIII. 24. vel ad immediatè præcedentia ſaltem referri vel ex canone illo logico explicari poſſe, ſecundùm quem à potiori fieri dicitur denominatio, ג à lege poſitivâ univerſali Vet. Teſt. ad legem poſitivam univerſalem N. T. non valere conſequentiam. Scilicet & Sabbatum aliàs adhùc in N. T. valeret. Et profectò de legum harum

in

in N. T. continuatione nihil uſquàm exſtat. Quæ enim *Matth.* XIV. 4. & 1. *Cor.* V. 1. habentur, eorum illud quidem adhuc ad V. T. & ad adulterium, hoc ad inceſtum referendum eſt, ita ut utrumque & contra jus naturæ militet. At egregium omninò eſt, quòd leges illæ ex Levitico à Chriſtianis univerſaliter adoptantur. Cùm enim in N. T. major à nobis requiratur ſanctitas, quidni ejuſmodi leges, quæ libidines heic coërcent, adoptaverimus & luculenter meritòque adoptaverimus? Cui ſanctimonia converſationis curæ eſt, is ejuſmodi conjugia, quæ jure divino univerſali poſitivo prohibita eſſe creduntur, ne quidem inire unquàm deſiderabit ſed id, quod tutiſſimum eſt, ſtatim apprehendet. At verò medelam facilè rebus hic conſtitutiones eccleſiaſticæ adferunt. Jam autem duplex hic ſententia communiter jam tenetur (1) omnes has prohibitiones, quæ *Lev.* XVIII. & XX. habentur, vel eſſe juris naturalis vel juris divini poſitivi univerſalis, quod omnes homines obliget & vel maximè Chriſtianos, ita ut heic nullus Magiſtratus diſpenſare poſſit, (2) prohibitiones ſtas Moſaicas non tantùm perſonas expreſſè nominatas ſed etiam gradus æquè diſtantes complecti. Quæ ubi ponimus, notandum eſt gradus eſſe vel conſanguinitatis vel affinitatis. Illa eſt ea perſonæ proximitas, quæ pro fundamento habet deſcenſum ex communi ſtipite.

Affinitas

Affinitas verò eſt ea propinquitas perſonæ, quæ mihi accreſcit ex conjugio conſanguinei, uno verbo: conſanguinitas generatione, affinitas nuptiis contrahitur. ב Computationem graduum (quâ tamen abſolutè opus haud habemus) eſſe vel civilem, ubi, quot in univerſum ſunt generationes, tot ſunt gradus, id quod valet tùm in lineâ rectâ, tùm in collaterali, tàm æquali quàm inæquali, vel canonicam, ubi tres ſunt regulæ 1. in lineâ rectâ, *quot ſunt perſonæ, tot ſunt gradus, unâ demtâ* vel ſupremâ vel infimâ, at verò heic concordant Jus civile & Jus canonicum, 2. in lineâ collaterali æquali, *quot gradibus in lineâ collaterali æquali una perſona diſtat à ſtipite, tot etiam gradibus inter ſe diſtant*, vel potius à communi ſtipite (propter cujus nempe propinquitatem vel diſtantiam earum quoque conjunctiones vel licitæ vel prohibitæ ſunt) abſunt Heic verò inter Jus canonicum & civile magna eſt differentia. 3. in lineâ collaterali inæquali *in lineâ collaterali inæquali tot gradibus inter ſe diſtant, quot gradibus à ſtipite diſtat ille qui ab eo eſt remotior.* Jam & heic, uti patet, iterum inter Jus civile & canonicum maximum eſt diſcrimen. Obtinet verò, quod benè notandum, in cauſis matrimonialibus in foro eccleſiaſtico computatio canonica, ut in civili civilis. in materiâ de ſucceſſionibus, hæreditatibus, tutelis &c. etſi c vil

vilis videatur eſſe accuratior, quia juxta computationem canonicam in lineâ collaterali inæquali neceſſum eſt fieri, ut una perſona diſtet æqualiter à multis inæqualiter à ſtipite diſtantibus. Jam quod affinitatis gradus attinet aut potius quaſi-gradus, gradus enim ſeries generationis eſt, ubi paucis præmonuerimus, conſanguineos conjugis fieri affines alterius, ita ut conſanguinei mariti fiant affines uxoris & conſanguinei uxoris fiant affines mariti, quod tamen inter conſanguineos mariti & uxoris ſe ita non habet, qui inter ſeſe affines non fiunt, quia maritus & uxor per carnalem copulam fiunt una caro, quod tamen de cognatis utriuſque dici nequit, ubi inquam paucis hæc prælibaverimus, hanc jam theſin ponimus: *quoto gradu cognationis conſanguinei junguntur marito, toto gradu affinitatis junguntur ipſius uxori* & vice verſâ. Maritus enim & uxor ſunt una caro. Sunt verò genera affinitatis tria. Primum oritur ex nuptiis mei cognati & cognatæ, unde ſororius meus i. e. ſororis meæ maritus eſt mihi affinis in primo genere. Secundum oritur ex novis nuptiis mei affinis, ut, ſi ſororius meus poſt ſororem meam defunctam aliam ducat uxorem, ea fit mihi affinis in ſecundo genere. Tertium oritur ex novis nuptiis affinis hujus meæ in ſecundo genere v. g. ſi altera uxor ſororii mei, defuncto ipſo alteri nubat, is mihi evadet affinis in tertio genere. Sed ſola affinitas

tas primi generis impedit matrimonium. Jam hiſce præmiſſis, præmiſſis & hiſce regulis 1. quòd in lineâ rectâ matrimonia in infinitum ſint prohibita 2. quòd in lineâ collaterali prohibita ſint matrimonia in gradu primo lineæ æqualis & gradu ſecundo lineæ inæqualis, cum iis enim, qui loco parentum ſunt & ubi reſpectus parentelæ (cujus locus immediate ſub ſtipite eſt) intercedit, conjugia itidem in infinitum ſunt prohibita 3. quòd, quæ prohibitio valet in conſanguinitate, eadem etiam valeat in affinitate, ſeu quoto gradu conſanguinitatis ſint prohibitæ nuptiæ, toto etiam gradu affinitatis prohibitæ cenſeantur, præmiſſis inquam & hiſce nominandæ nobis veniunt perſonæ juxta Leviticum in conſanguinitate prohibitæ, quæ ſunt ſeptem, mater, (i. e. in linea recta matrimonia in infinitum ſunt prohibita,) ſoror ex utroque parente, (jam verò & jure naturæ hoc, quicquid dicatur de propagatione generis humani ex fratribus & ſororibus, prohibitum eſt, ubi genus humanum jam in multitudinem excrevit,) ſoror ex patre vel matre, quam quippe pater vel in vel extra matrimonium genuit *Lev.* XVIII. 9. (non enim de matrimonio comprivignorum hic quæſtio eſt, uti putavit BOHLIUS,) neptis ex filio vel filiâ, (aſt hæc duo jam prohibita fuere, ſi perſonæ gradus ſignificent, in primâ,) amita & matertera, (vide heic reſpectum parentelæ, ubi

ubi nullum eſt dubium, exemplis hiſce & omnia ea matrimonia, ubi idem reſpectus militat, prohiberi,) in affinitate verò prohibitæ leguntur novem, noverca, non mater; quæ alibi jam nominata erat, (& hæc eſt in primo gradu affinitatis,) uxor patrui (quæ pertinet ad ſecundum gradum affinitatis in lineâ collaterali inæquali) nurus (pertinet hæc ad primum gradum affinitatis lineæ deſcendentis,) fratria (ſpectat hæc ad primum gradum affinitatis, exceptionem verò affert hîc leviratus *Devt.* XXV. 5. qui in Novo Teſtamento ceſſaſſe communiter dicitur ex *Matth.* XIV. 3. etſi ibi Philippus adhuc vivus ſupponendus veniat,) ſocrus (eſt prohibitio primi gradûs in lineâ rectâ aſcendente,) privigna (primus gradus in lineâ rectâ deſcendente,) filia privigni & privignæ,(privigni nimirum filia eſt caro vitrici,propterea quia vitricus cum matre privigni eſt una caro. Et hæc eſt prohibitio gradus ſecundi in lineâ rectâ deſcendente. At verò dubitaverit quis, num intercedat hîc affinitas, cùm potius, uti inter novercam & privignum, ſit conſanguinitas dicenda, quia pater & noverca fiunt una caro,) denique uxoris ſoror, vivente verò adhuc ſorore, (neque enim *Lev.* XVIII. 16. de polygamiâ agit, atque hîc eſt primus gradus affinitatis.) Hæc quoad jus divinum. Jam in jure civili tres gradus & in canonico quatuor, in Wirtembergico verò tres juxta computationem canonicam, reſervatâ ſemper Principi in prohibitionibus è lege divina haud

Digitized by Google

manantibus diſpenſatione, prohibiti ſunt; valetque ſemper ubique hæc regula: *Quoto gradu matrimonium prohibitum eſt in conſanguinitate, toto & in affinitate.* Canonicum jus diſpenſat & perperam quidem, ubi reſpectus parentelæ eſt, non in lineâ rectâ vel collaterali inter fratres & ſorores. Idem Jus canonicum & compatres matrimonio prohibet. Comprivignorum conjugium jure divino haud illicitum communiter putant Theologi, negantibus hactenus SAM. BOHLIO & CHR. THOMASIO, eo caſu, ſi pater ex noverca prolem ſuſceperit, & H. GROTIO, ſi vitricus privignam adoptaverit. Conſobrinorum conjugia etſi olim in Conciliis & Germanorum legibus prohibita fuerint, jure tamen divino prohibita non ſunt. Jam & certum eſt, juxta *Levit.* XVIII. & XX. in iis legibus, quæ jus naturæ reſpiciunt, ubi e. g. de matrimoniis in linea recta, item in reſpectu parentelæ agitur, non ſaltem perſonas ſed & gradus ſimiles prohibitos cenſeri. Aſt quod attinet illos caſus, ubi nullum jus naturæ intercedit, e. g. ubi matrimonium cum fratria prohibetur, non exiſtimaverim, eouſque procedendum, maximè, cum jus leviratûs exceptionem hîc faciat. Nec eſt, quòd שאר בשר *carnem carnis* aliter quàm de reſpectu parentelæ exponas, uti hoc ipſo capite exponitur, etſi aliâs φράσις generalior ſit & dilatari plurimùm poſſit. Ex quibus & id clareſcit, non omnia matrimonia, quæ illegitima ſunt, ſtatim irrita eſſe. Extra enim matrimo-

trimonium in linea recta & ſtatu parentelæ atque inter fratres & ſorores quæ ſunt, haud diſſolvi videmus. Vide tamen de ſtatu parentelæ *Levit.* XX. 19. ſqq. Addimus & hoc, ea & heic à nobis ad jus naturæ referri, NB. quæ abſolutè ex ſanctitate divina haud effluunt, ſed, ubi ſaltem ex lumine naturæ homini patet, hoc vel illud haud licere confuſionemque quandam ſummam decorique omnis ſupinum neglectum hodiè generi humano adferre. Quale quid in matrimonio inter fratres & ſorores & in caſu parentelæ eſt. Cæterùm ea ſaltem matrimonia conſummata, quæ DEUS non toleraverit, diſſolvenda eſſe, cætera ſuo loco relinquenda, etſi gradibus in Levitico prohibitis ſint contraria, vix quiſquam ſine ſalis adſperſione cenſuerit. Ita DEUS toleravit, imò præcepit matrimonium inter liberos Adami. Notus eſt & Lothi cum filiabus concubitus *Gen.* XIX. 36. permiſſioque ejuſdem, ut Sodomitæ ſtuprarent filias, ne committerent Sodomiam maſculam *Gen.* XIX. 8. Abrahami polygamia & conjugium cum ſorore conſanguinea Sara, Jacobi polygamia & conjugium cum duabus ſororibus, Judæ concubitus cum nuru Thamare, Rubenis inceſtus cum noverca, Amrami conjugium cum amita, Amnonis concubitus cum ſorore Thamare 2. *Sam.* XIII. 14. qui tamen ultimus ſtatim fuit punitus, reliqua ſaltem ita tolerata, ut nullum judicium divinum fuerit inflictum, quemadmodum in Cananæos. Aſt non negaverimus, inextricabiles in

quoad conjugium Sacerdotum Romanenſes. In argumentis de *concubinatu & de divortiis* evolvi poterunt THOMASIUS & BOEHMERUS, item de *benedictione ſacerdotali*, ubi & adſpergendus PFANNERUS, & quæ nos hanc in rem in libro de *origin. Jur. Eccl.* dedimus. Polygamiam ſimultaneam Judæis, Muhamedanis, Chinenſibus, Anabaptiſtis aliiſque recentioribus probari notat SCHERZERUS. Polygamiam ſucceſſivam reprobavere quidam Ethnici, eodem monente. Sadducæi conjugium morte non abrumpi ſed tantùm interrumpi credidere. *Matth.* XXII. 28. Cataphryges & Novatiani ſeu Cathari nuptias ſecundas, Syriani quartas damnavere, quod & Ruſſi faciunt. Cætera apud SCHERZERUM videantur, qui & ait, divortiorum licentiam ſtatutam olim Bogomilis, Montano, Cataphrygibus & Pepuzianis itemque Ebionitis & Meſſalianis atque EUGENIO IV. & JO. MILTONO fuiſſe. Divortium verò & in caſu adulterii non licere, ita ut liceat ad alias nuptias tranſire, Romanenſes ſtatuunt, quos hîc ſequitur JO. PRIDEAUX, olim Epiſcopus Vigornienſis Anglus. Aſt conferendi vel maximè de hoc articulo nobis heic ſunt LUTHERUS, CHEMNITIUS, GERHARDUS, BEUSTIUS, BIDENBACHIUS, HAVEMANNUS, MUSÆUS, BECHMANNUS, PRUKNERUS, ex Anglis SELDENUS, ex Belgis MEYERUS, JCti Halenſes STRYKII, THOMASIUS, BOEHMERUS eorumque Antagoniſtæ, imò & conſilia theologica à Dedekenno collecta, item Witteber-

genſia, denique & Speneriana. Addi velim & celeb. BUDDEI *Theol. moral. P. 2. C. 3. ſect. 6.* Jam & allegari hîc poſſent Autores particulares, qui de hoc vel illo caſu ſcripſere, uti de matrimonio cum defunctæ uxoris ſorore, BUCHOLZIUS, HAVEMANNUS, STRAUCHIUS, GOEZIUS, KETTNERUS, alii. Sed manum abſtrahimus, ne diffundamur. X. Officia conjugum generalia ſunt, ut mutuo eoque ſincero ſe invicem proſequantur amore *Eph.* V. 28. 29. 1. *Cor.* VII. 10. 33. 34. ut fides in matrimonio data ſanctè ſervetur *Ebr.* XIII. 4. & denique debita conjugalia utrinque præſtentur 1. *Cor.* VII. 5. ſqq. ſed ita, ut conjunctio iſta corporum fiat *ἐν ἁγιασμῷ καὶ τιμῇ* 1. *Theſſ.* IV. 4. Speciatim mariti officium eſt, protegere ac defendere uxorem, conſiliis ac monitis eandem regere & ipſi, quæ ad vitam neceſſaria ſunt, ſuppeditare *Eph.* V. 28. 29. Uxoris autem eſt, in rebus ad familiam ſpectantibus obtemperare marito, eum honore debito proſequi, eodem cum illo uti domicilio & mutuum auxilium tùm in educanda ſobole tùm in curanda re familiari ipſi præſtare *Eph.* V. 22 24. *Coloſſ.* III. 18. 1. *Pet.* III. 5. 6. Atque hæc ultima egregie ita Rever. BUDDEUS *in Theol. morali P. 2. C. 3. S. 6. §. 24.* poſuit, quem velim omninò hîc ut conſulas atque etiam, quæ G. ARNOLDUS in *dem ehelichen und unverehelichten leben der erſten Chriſten* ſcripſit, adſpergas. Jam enim vel tandem calamus dogmaticus hîc ſeponendus nobis & moralis in manum ſumendus atque illicò intingendus venit.

INSTI-

Digitized by Google

INSTITUTIONES

THEOLOGIÆ MORALIS.

ANTECESSIO.

QUi itaque jam campum Theologiæ dogmaticum haud prolixo admodùm itinere peragravimus primaſque rerum lineas pro ratione inſtituti brevioris dedimus, ad Theologiam Moralem jam tranſimus, &, quæ heic tradenda nobis eſſe videntur, non multa quidem ſed neceſſaria tamen & quæ ædificationis potius quàm eruditionis ſtudium ſapiant, πρακτικώτατα tibi, lector benevole, exhibemus. Neque enim, uti arbitror, Theologia moralis & practica atque aſcetica in theoreticum quoddam rerum ſyſtema redigenda eſt, quod qui legerit & perlegerit, nullo tamen divinioris gratiæ tactu heic afficiatur. Practica, ſic exiſtimo, practicè quoque tractanda nec in artis theoreticæ formam fundenda ſunt. Unde &, ubi hæc jam conſcribimus, inter tot Autores & veteres ſive

Græcos ſive Latinos & modernos, quos conſulere hîc poſſemus, & inter quos præcipuo quodam jure ſuo heic eminet Academiæ Jenenſis Theológus hodiè celeberrimus nobiſque æſtumatiſſimus JO. FR. BUDDEUS, Vir planè inſignis, vix quemquam, hoc tamen, quem poſtremùm nominavimus, ex ordine reliquorum excepto, inſpiciemus, nec quæ vel Myſtici ex Romanenſibus, vel alii ex iiſdem, qui Theologiam moralem egregiè excoluere, ſive Galli ſive alii, ſive dein à theoria rerum trita illi haud abeant ſive novam hîc ſemitam philoſophicam ſibi confecerint, vel Theologi quidam Anglicani vel Reformati vel Remonſtrantes vel Anti-Trinitarii hîc dixere, in unum congeremus aut examinabimus. Satius id nobis erit, ea, quæ ex proprii pectoris fundo, quæ ex meditatione propria effluent, heic eâ, quâ decet, ſimplicitate & modeſtiâ tradere atque ab eruditis omnibus ſubtilibuſque diſceptationibus calamum operamque prorſus abſtrahere. Jam verò præcipuum, quod agemus, hoc erit, ut primùm quidem profunditatem corruptionis humanæ & tres illos hominis ſtatus, ſecuritatis, ſervitutis & gratiæ probè conſideremus diverſoſque eorundem characteres ita, uti par eſt, indicemus, ut porrò veri interníque & practici Chriſtianiſmi indolem, excellentiam, ſuavitatem, neceſſitatem & poſſibilitatem, jugulatis penitus præjudiciis illis hominum carnalibus in adverſum hîc euntibus probè depingamus, ut denique

que ἀσκήσεως Chriſtianæ officia eâ, quâ fieri poterit, brevitate tantiſper delibemus. Hæc enim ſi tradiderimus, non video, quid pro inſtituti, quod tenemus, limitibus deſiderari amplius heic poſſit, niſi, quòd is, qui ſolus per Spiritum ſuum corda hominum vertere novit, rogandus venit, ut pro eo, quo nos omnes complectitur, miſericordiæ & amoris effectu planè eximio largiſſimum cœleſtis gratiæ cumulum in nos effundere menteſque noſtras præſtantiſſimo ſpiritualis ſanctimoniæ flore imbuere atque beare jam benignus dignetur.

SECTIO PRIMA.

NOn verò jam eſt, quòd doctrinam de homine, de intellectu ipſius & voluntate & conſcientiâ modo quodam philoſophico evoluta heic tradamus, aut, quòd affectus humanos & deſideria illa, quæ mentibus innata eſſe videmus, luculentiùs heic evòlvamus. Id novimus, (ſaltem enim quædam heic dicenda nobis veniunt,) id ſentimus, eſſe nos creaturas & corpore hoc, quo circumvolvimur, & mente rationali prædıtas, hoc ipſo ſanè in ſtatu, in quo naſcimur, adeò non beatas, ut, quamvis luculentiſſima planè divina

vinæ bonitatis teſtimonia in nobis habeamus, profundiſſimæ tamen corruptionis documenta triſtiſſima quoque in nobis experiamur. Jam verò ſi primùm corpus noſtrum conſideremus, quod ſapientiſſimè quidem conformatum atque confibulatum conditumque eſt magnumque profectò & planè diviniſſimum Creatorem arguit, tanta tamen ejus eſt miſeria, quanta vix ullius, quod in hoc univerſo vivit, animantis eſſe conſpicitur. Cùm enim animal ferè quodcunque ſtatim ac in dias id luminis auras prodiit, ſibimet ſufficere victumque præbere valeat, vides ecce hominem, qui ſine aliorum miniſterio mox periturus eſt diuque profectò fovendus & educandus, donec vel tantiſper ſe ipſum adjuvare valeat. Non dicam de tot morborum generibus, quibus iſte objicitur, nec de miris illis calamitatatum, queis exponitur, & miſeriarum variationibus, nec de neceſſitate moriendi metûque, quam præfixam omnes nobis videmus, tanquàm ii, qui, ubi ad mortem condemnati ſunt, locum ſupplicii jam in oculis gerunt. Aſt ipſa mens noſtra adhùc miſerior eſt. Gaudemus quidem intellectu, gaudemus voluntate eâque liberâ, gaudemus præſtantiſſimis divinæ gratiæ donis, quibus & ad cognitionem DEI creatoris noſtri noſtrique ipſius & univerſi hujus & ad amorem DEI creaturarumque evehimur & manu ducimur, ita ut ſuaviter quoque in bonis, quæ guſtamus, quæ ſentimus, aliquando nobis acquieſcere detur.

At

At quantulumcunque quæſo id eſt, quod heic ponimus, ſi id cum eo, quod nos non vexare non poteſt, comparemus atque conferamus. DEUM eſſe omnium rerum initium & conditorem, omnium bonorum datorem, Judicem &, qui malos puniturus ſit, novimus. Dicimus & eum independentem, æternum, optimum, juſtiſſimum, ſanctiſſimum, omniſcium, omnipotentem, ſapientiſſimum & prorſus in omni virtutum genere incomparabilem & beatiſſimum. Aſt eundem DEUM, qui omnis beatitudinis noſtræ fons eſt, non ſentimus nec eodem fruimur hactenus aut ſatiamur. Ideæ, quas de ipſo volvimus, ſunt emortuæ, frigidæ, umbratiles, penè dixerim falſæ, multiſque ratiocinationum, quibus immergimur, labyrinthis, è quibus nullus exitus patet, involutæ. Æternum dicimus & æternitatem, quam hîc ipſi adſcribimus, ſine duratione, quæ eam jugulat, haud concipimus. Optimum dicimus. Unde ergò tot in mundo mala, tot miſeriæ, tot calamitates, unde & id eſt, quòd tàm miſeri naſcimur & quòd tot malarum cupiditatum vi perpetim agitamur? Juſtiſſimum dicimus. Cur ergò, qui talis eſt, graſſantem in mundo injuſtitiam haud impedit, haud punit? Sanctiſſimum dicimus. Cur ergo malum iſte non præpedivit, cur id non uno momento tollit, cùm poſſet? Omniſcium credimus, qui determinatè omnia præſciat. Unde ergò contingentia rerum, quæ contingentia non eſt, ſi certò præſcitur? Omnipotentem eum aſſerimus. Si verò omni-

omnipotens is eſt, cur malum omne is uno ictu haud deſtruit? Recurrit, uti vides prior quæſtio, malum enim naturæ ejus contrarium eſt. Sapientiſſimum denique eum prædicamus, & qui is rebus hominum totiuſque univerſi caſſis, ſalvâ creaturarum libertate, non illicò ſubveniat, haud comprehendimus, &, ubi paupertate rationis noſtræ acti nobis conſulere ſic haud valemus, vel tandem in majeſtatem DEI ſummi ſic involamus & de TANTO ENTE, quod in ſilentio ut veneraremur, nos oportebat, ſtolida & inſana in medium proponimus. Itaque, ſi, quod verum eſt, dicere hic velimus, DEUM ipſum, cujus emortuas quidem ideas animo impreſſas habemus, NON NOVIMUS. Ratio eſt, quia nullà mentis noſtræ umbratili imagine ſed ſolo ſenſu & tactu interno, quo nos afficit, cognoſci is poteſt & vult. At verò miſeram mentem, quæ beatiſſimo hoc & interno DEI ſenſu naturâ caret! Uti verò mens noſtra heic miſerrima eſt, quod DEUM illa non novit, ita nec ſemetipſam illa novit. Ait, ſe ſpiritum eſſe & neſcit, quid ſit ſpiritus, tota umbris & ſpectris corporeis, quanta quanta eſt, involuta. Neſcit &, num corpore in pulverem abeunte & ipſa diffiletur & pereat? Num & poſt hanc vitam futura ſit alia & quænam illa, conjectando haud prorſus adſequitur. Qui DEUS colendus ſit, ignorat & nullos incredulitati, nullos & ſuperſtitioni limites ponere novit ſed vel præjudicio pravæ religionis dein inepta inhiat vel inter tot religiones,

Digitized by Google

ligiones, quas dijudicare neſcit, miſera fluctuat. Denique ergò &, quid bonum, quid optimum in hoc mundo ſit, haud capit, ſed nubem pro Junone, bonum imaginarium pro vero maximo ſuo damno adprehendit. Voluntas enim illa, quâ prædita ipſa eſt, impreſſionem pravorum, queis ſubjacet, affectuum præceps ſequitur, & ſponte quidem & liberè, quod miſerrimum eſt, prava iſta, queis circumvolvitur, deſideria ſequitur. Certè enim, quod ſponte, quod liberè agamus, ex intimo ſpontaneitatis & libertatis, quo floremus, ſenſu nobis conſtat. Sunt verò deſideria illa, queis obruimur, trium ferè generum. Vel enim ex voluptate ſenſuum, vel ex ambitione vel ex avaritiâ promanant. Scilicet experitur mens noſtra ad præſentiam certorum quorundam objectorum titillationem quandam, quæ ipſi naturaliter ita arridet, ut, ſi quidem titillatio ſuavis ſit, ei non adhinnire & ipſa non poſſit, ſi verò ſecus res ſeſe habeant, objectum hoc injucundum ipſa non averſari non poſſit. Jam illi voluntatis motus, qui titillationem iſtam ſequuntur, *affectus* & *paſſiones* vocantur, omneſque ad duo quædam ſumma genera referri poſſunt, vel ad amorem vel ad odium. Et hùc certè omnes affectus, qui nos agitant, quadrant, ſpes, fiducia, lætitia, audacia, irriſio, gloriæ cupido, æmulatio, indignatio, metus, deſperatio, triſtitia, tædium, puſillanimitas, ira, commiſeratio, invidia, pudor, zelotypia,

pia, pœnitentia, conſcientiæ morſus, quibus omnibus ceu tot furiis voluntas noſtra agitatur atque intellectus obnubilatur. Jam verò, quod poſteriores hoſce affectus attinet, miſeriæ humanæ iidem documenta longè certiſſima ſunt animumque hominis lancinant horrendum in modum & cruciant. Nec priores profectò meliores ſunt. Nihil enim, quod in mundo eſt, deſideria hominis, quæ infinitam, ut ita dicam, felicitatem anhelant, perfectè ſatiat & jucundiſſimam quamvis titillationem mœſtitia & nauſea vel cupido majoris cujuſdam boni, quod tamen obtineri nequit, ſequitur. Quin, ſi quidem deſideria iſta, queis inhiamus, omni niſu adimplere contendimus, vel tandem duo hæc emergunt, vitia primùm, quibus nos involvimus, & tùm contra legem divinam peccamus, tùm conſcientiæ noſtræ vulnera infligimus, tùm omnem converſationem noſtram conſpurcamus, qualia, ſi voluptatis exceſſus ſpectes, ſunt intemperantia, laſcivia, pigritia, commoditatis nimia cura, ſi ambitionem conſideres, ſuperbia, contemtus aliorum, odium, ira, pugnacitas, ſi avaritiam, injuſtitia, rapacitas, ſordities & quæ alia ſunt, quæ ipſa vitia dein non poſſunt non inſequi calamitates plurimæ, malarum quarumvis actionum individuæ pediſſequæ; conſcientiæ morſus & terrores, perſecutiones plurimæ hominum, qui odio ſic nos proſequuntur, morbi bonorum, queis floruimus, dilapidatio, & de-

nique

nique pœnæ humanæ, quibus nos, ubi in adimplendis pravis deſideriis noſtris exceſſerimus, ſic exponimus. Et verò prava deſideria iſta, quæ ad tria maximè capita Johannes Apoſtolus 1. *Joh.* II. 16. ad voluptatem, ambitionem & avaritiam refert, ut mala eſſe ſeriò credat, ut peſtem malam ea eſſe exiſtimet, vix ſibi perſuadere homo naturalis poteſt. Amat, quicquid ſenſus titillat, amat ſeipſum reliquiſque præfert eoſque præ ſe contemnit, amat & bona mundi hujus, fluxa licet & fragilia, atque ad horum deſideriorum & cupiditatum decempedam totam converſationem ſuam dirigit. Ubi tamen haud diffitendum, quòd id, quod conſcientia communiter vocatur, quæ & innata homini eſt, eandem tantiſper moderetur. Scilicet innata ſunt homini principia quædam moralia, quæ ipſi, quid bonum, quid malum ſit, tantiſper dictitant, ubi dein, quando contra principia hæc aliquid ille patrat, terrorem ipſi conſcientia malè facti incutit ſignificatque, malum id eſſe, quod fecerit & quod ſanè impunè DEUS haud ſit laturus. Jam & hoc intellectûs noſtri judicium practicum, ſi certa tibi veritas ſit, conſcientia recta, ſi probabilis ſaltem, probabilis, ſi falſo fundamento, quod credis, ſuperſtruatur, erronea, ſi inter rationes ex utrâque parte anxius fluctues, dubia, ſi benè actorum tibi conſcius ſis, bona, ſi malè actorum, mala, ſi ad audiendum ejus dictamen haud attendas, laxa & dormiens, imò & cauteriſata, ſi inanes

tibi ſcrupulos & dubia formes, ſcrupuloſa & anguſta nuncupatur, ubi ſanè & contra conſcientiæ erroneæ (quæ profectò pro rectâ reputatur,) dictamen & dubiâ conſcientiâ nihil agendum eſſe ex rei naturâ liquet. Cæterùm, cùm ſubinde id contingat, ut homo quoque naturalis conſcientiæ ſuæ dictamen ſequatur & hactenus quoque iis virtutibus fulgeat, quæ ex notitiis naturalibus de DEO, quarum lux, quæ modica eſt, nobis connaſcitur, effluunt, probè tenendum eſt, eas, quæ ita ſeſe habent, animi diſpoſitiones, eas virtutes, quibus & gentiles olim polluere, non omninò nullas eſſe ſed & DEO ſubinde placere & ab eo laudari præmiiſque donari, nec tamen in regno gratiæ quicquam valere, ubi Spiritus S. qui ejuſmodi virtutes & opera non operatur, ubi commercium cum DEO perpetuum, ubi regenerationis & ſanctificationis Chriſtianæ flos utramque paginam facere debet. Scilicet, quicquid agat homo naturalis, miſerrimus planè is eſt, & quod ſcriptura ſanctior ait, in peccatis mortuus, & tenebræ meræ, miſer, inquam, & miſerandus, & pauper & cæcus & nudus, ſine DEO in hoc mundo, ſine ſenſu, ſine vitâ ſpirituali, ſine fide, ſine divino lumine & ſine ſpe futuri ſeculi. Quæ omnia cùm non cognoſcat ille nec credat ſed in contraria omnia abeat & ſibi ſapiat & tamen felicem ſe eſſe hactenùs ſomniet, facilè patet, ſtatum ipſius planè deplorandum atque miſerrimum eſſe.

SECTIO

Sectio Secunda.

EST autem primus ille, in quo homo naturalis ſibique relictus verſatur, ſtatus ſtatus ſecuritatis, in quo, qui ſibi ſuiſque pravis deſideriis ita relictus eſt, homo, conſcientia nondum expergefacta ſecurus in utramque aurem dormit & ſe in periculo quodam verſari nullus putat, ubi & exercitio pravorum ſuorum deſideriorum totus indulget bonumque DEUM eſſe ſomniat aut negligentem, qui vel iſta non videat vel non puniturus ſit, aut, dum craſſiore à crimine quovis pedem retrahit, dum & corruptionis, quæ ipſum urit, profunditatem haud cognoſcit, arbitratur, ſe ſanctum jam eſſe eoque in ſtatu exiſtere, qui DEO placeat. Atque hæc quidem poſterior animorum diſpoſitio priore longè periculoſior eſt. Scilicet, qui nullos planè impietati ſuæ & voluptatibus limites ponit, ſed quavis data occaſione cæteris paribus pro ingenii malè conſulti lubitu in quævis vitia ſeſe præcipitem dat, is facilè quidem convinci atque, ſi quidem primùm DEUM, ſi ultorem, ſi vitam futuram crediderit, in angores & turbas verti poteſt. Aſt, qui exiſtimat, divitem ſe eſſe, ſatiatum ſe eſſe & nulla

re egere, is, ut paupertatem, ut corruptionem, ut miſeriam ſuam agnoſcat, vix adduci unquàm poterit. Id quod ii profectò nôrunt, qui carnalia Chriſtianorum principia eaque prorſus communia & omnibus ſectis familiaria debellare nôrunt. Scilicet ita ferè fert hominum in ſtatu ſecuritatis exiſtentium mens, ad verum Chriſtianiſmum ſufficere, ſi peccata craſſiora inque oculos occurrentia vitent & dein cultui publico cærimoniiſque eccleſiaſticis jugiter inhient, aut, ſi peccaverint, ſtatim, præeunte utique contritione quadam, quam ſuo niſu ſibi infuderint, abſolutionem ſibi annunciari curent. Non dici poteſt, quantoperè hoc præjudicium, quantoperè hæreſis hæc mentes Chriſtianorum ubique vaſtet. Sed enim ita profecto cogitare neceſſum habent omnes ii, qui veri Chriſtianiſmi indolem haud, uti par eſt, capiunt & frigidis hîc jejuniſque principiis inhiant. At verò, ubi aliam hîc hominibus ideam ingerimus, ubi legem divinam ipſis ob oculos ponimus, à quâ cor ipſorum & converſatio omnis penitus abludat, ubi ipſis oſtendimus, quòd peccata ſubtiliora craſſioribus reatu haud cedant ſed hæc certo modo quoad periculum, quòd inde enaſcitur, ſuperent, ubi receſſus pectoris, quo laborant, pravi ipſis eviſceramus, ubi veræ reſipiſcentiæ, veræ fidei, veri Chriſtianiſmi, veræ ſanctimoniæ, ſine quâ nemo Dominum viſurus ſit, rationes ipſis evolvimus, ubi præſtantiam

Digitized by Google

tiam & neceſſitatem & poſſibilitatem veri Chriſtianiſmi ipſis ad oculum & ad convictionem animi demonſtratam damus, ubi miſeriam illam, in quâ verſantur, ſummam & prorſus deplorabilem, ubi nullus in ipſis beatitudinis & felicitatis univocæ cujuſdam ſenſus, nullum cum ſanctiſſimo Creatore commercium, nulla mentis quies, nullum ſpirituale gaudium, nulla ad ſuperanda quævis mala ſpiritualis fortitudo apud ipſos eſt ſed potius acedia quædam ſpiritualis rerumque & meditationum ſanctiorum faſtidium & nauſea mentem occupat, ubi inquam miſeriam iſtam, in quâ verſantur, ipſis retegimus atque revelamus, ita, ut contraniti ampliùs vix valeant, ipſiſque jam declaramus, quòd, ſi hoc quidem in rerum ſuarum ſtatu miſerrimo perſeveraturi ſint, nec per iſtos reſipiſcentiæ angores, per certamen iſtud ſpirituale, quo mors veteri Adamo infertur & prava concupiſcentia dominio ſuo privatur, ubi & Domino penitùs nos vertendos mutandoſque tradimus, ituri, in æternarum calamitatum horrendum barathrum præcipites caſuri ſint, ubi denique viſcera miſericordiæ divinæ in Chriſto JESU ipſis diſtendimus atque ipſos certiores reddimus, adeſſe Dominum, qui brachia ſua ad eos recipiendos extendat, qui ſummo, quo poſſit, amore eos complectatur, qui beatitudinis ſuæ ipſos participes facere velit, qui divinâ ſuavitate atque

gratiâ mentem ipſorum perfundere geſtiat, qui, ſi ſaltem pravis ſuis deſideriis, ſi ſaltem peccatis, ſi ſaltem carni, ſi ſaltem mundo & pompis ejus nuncium mittere velint, ſi ſaltem abnegare voluptates & DEO ſpirituique ipſius totos ſe tradere cupiant, pleniſſimam peccatorum remiſſionem ipſis affuſurus, in filios ſuos ipſos adoptaturus & præſtantiſſimis gratiæ ſuæ donis eos perfuſurus inque ſtatum longè beatiſſimum deducturus ſit, ubi inquam hæc omnia ipſis pandimus & enarramus & divinâ quâdam, quæ corda vertit, vi in animos ipſorum irruimus dulcedinemque Domini ipſis guſtandam præbemus, tunc profectò, niſi quidem peccator prorſus ſeſe obduraverit, turbæ emergunt in mentibus & angores & accuſare ſemetipſum incipit homo, qui veritatem rei ſentit & perſpicit, & intrat in cor ſuum, quidque jam faciendum ſit, quid agendum, ſecum ipſe deliberat, &, qui divinum quendam in pectore ſuo tactum jam ſenſit, quem ſuffocare vel diſſimulare nequit, qui videt, neceſſarium utique eſſe, ut, ſi ſalvus evadere cupiat, & mentem & converſationem mutet, qui verò & ex alterâ parte voluptatum & mundi amore adhùc capitur atque tot bona, tot commoda, queis hactenus inhiavit, abnegare & pedibus conculcare neſcit, jam in bivio quodam ſtat, &, ſi quidem ſapiat, in ſtatum veræ converſionis deduci ſe patitur, vel ſi cor inter DEUM mundumque dividere velit, in ſtatum

Digitized by Google

ſtatum ſervitutis miſer delabitur. Jam enim contingere ſolet, ut, ubi ſic homines tanguntur, ubi in angores quoſdam ac turbas hîc aguntur, illicò quidem in hanc ſententiam abeant, velle ſe converſationem ſuam aliter inflectere, velle ſe exceſſibus cupiditatum ſuarum non amplius indulgere, velle ſe exercitiis pietatis operam dare, velle ſe pravis cordis ſui motibus reſiſtere & quæ alia ſunt, unde & in eos, qui adhuc in ſtatu ſecuritatis manent, debacchantur & neſcio quo zelo induti de inſigni, quâ homines communiter laborant, corruptione multa effutiunt, qui ipſimet mortem voluptatibus ſuis haud inferunt, qui ſub continuis legis, quæ in ipſis reviviſcit, ſub continuis conſcientiæ, quæ ipſis declarat, quòd nulla apud ipſos ſinceritas ſit, quòd opera ipſorum quævis hypocritica & nulla ſint, ſub continuis denique gratiæ caſtigantis ferulis vitam agunt, qui vivam ſemper in ſe legem, vivas quoque in ſe voluptates, quæ cum niſu illo naturali, quo reprimuntur, luctantur & pugnant, experiuntur animumque ſuum ſub intolerabili jugo ſic verſari miriſque modis lancinari & vaſtari ſentiunt. Hinc quippe enaſcitur iſte tenebrarum ſtatus, queis homines, qui & boni ſanctique ſubinde reputantur, immerſos videas, hinc emergit lucta illa, ubi ligneis hoc eſt naturalibus armis in prava deſideria noſtra involamus eaque ſupprimimus, ne erumpant, hinc proficiſcitur pietas illa

ὀφθαλμόδουλος, ubi in externam quandam ſanctimoniæ formam pro ratione loci, temporis, perſonarum, quæ præſtò ſunt, aliarumque circumſtantiarum nos fingimus, hinc emanat involutus ille animæ ſtatus, ubi mox è principio conſcientiæ, mox è principio voluptatum adhùc in nobis dominantium agimus, hinc denique & id eſt, quòd vim quandam ſemper afferre nobis neceſſum habemus, ubi bonum agimus & quòd niſu noſtro naturali ſanctimoniam nobis adſpergimus atque affundimus, quam & exteriùs fingimus, ubi tamen nobis conſtat, quòd cor noſtrum ſpirituali quâdam carie, quæ ſemper magis magiſque ſerpat, laboret. Alia verò longè eorum ratio eſt, qui in ſtatum veræ converſionis per tactum illum gratiæ ſpiritualem deduci ſe patiuntur. Heic enim, ubi primi illi conſcientiæ angores, ubi illa tempeſtas pœnitentialis, ubi nubila illa, ubi lachrymarum illarum imber præteriit, ſtatim voluptatibus & carni & mundo ULTIMUM VALE dicitur luculentiſſimaque & pleniſſima reſolutio in pectore noſtro capitur, nos, qui ſemel gratiam Domini ſuavitatemque ipſius & bonitatem incomparabilem guſtaverimus, nos, qui jam, quantus ſit in omni peccato & in omni voluptate amaror, ſenſerimus, nos, quos tanta mundi & bonorum ipſius nauſea, tantum tædium capiat, Spiritui divino jam in nobis agenti & florere ſic in mente noſtrâ incipienti & ductui ipſius ſua-

viſſimo

viſſimo & jucundiſſimo prorſus nos tradere converſationemque noſtram penitus ad nutum divinum componere velle. Non verò deſcribere tibi jam poſſum, mi lector, quantus poſt iſta nubila heic Phœbus, quanta lux, quanta lætitia, quanta diffuſio jam in animo oriatur, ubi DEUS, ubi JESUS CHRISTUS hic præſentem ſe jam nobis ſiſtit, ubi gratiæ ſuæ cœleſtis theſauros luculentos nobis iſte adſpergit, ubi cor novum nobis creat, ubi alacritatem vitamque ſpiritualem nobis infundit, ubi regnum ſuum in nobis erigit, ubi ſanctiſſimum illud commercium nobiſcum init, quo macti ubera gratiæ ipſius perpetuò ſugimus & continua ipſi oſcula figimus & novam ſemper ab ipſo virtutem accipimus, quâ aucti, qua ornati novas cottidiè victorias de voluptatibus noſtris, de mundo & de calamitatibus quibuſvis & malis externis, quæ nos tangunt, reportamus. Et verò tantoperè hîc jam apud nos rerum ſcena mutatur, ut vi divina, quanti quanti ſumus, animati non poſſimus non bonum facere &, qui in ſpiritu vivimus, etiam in ſpiritu ambulare, ut alacritate quadam ſumma venæ noſtræ ſpirituales & membra noſtra & intellectus & voluntas noſtra & facultates omnes perfundantur, qua quicquid cogitamus, quicquid concupiſcimus, quicquid anhelamus, DEUS eſt, in cujus præſentia ambulamus, cujus commercio continuo floremus, cujus delicias ſine intermiſſione guſtamus, cujus vi-

tá miris modis in nobis efflorefcit atque ita efflore-ſcit, ut in imaginem ipſius prorſus transformemur & ſanctificata ſic mens noſtra & deſideria quævis noſtra nil niſi DEUM iſtum, quo animamur, quo ſatiamur, quo gaudemus, quo tripudiamus, quo exultamus, ſpirent. Credisne verò adhùc, o lector, Chriſtianiſmum rem tàm miſeram, tàm inſulſam, tàm jejunam, tàm impoſſibilem eſſe nec fieri unquam poſſe, ut Chriſtianus carnem ſuam vincat & bona quævis ſine magnâ difficultate operetur? E contrario dixerim jam egomet, eos, qui, nulla planè voluptate ſibi reſervata ſic ad Dominum convertuntur & in beatiſſimo hocce & feliciſſimo ſtatu verſantur, ſupervincere omnia in eo, qui eos adamat, qui in ipſis floret & qui in ipſis ita vivit, ut unus ipſi cum illo ſpiritus ſint, JESU Chriſto. Jam enim beata illa, quam agunt, vita tantam ſecum dulcedinem fert, ut contemtus, ut nauſea mundi & pomparum ejus & voluptatum quarumvis carnalium facilè eos jam capiat, ut & calamitates, quas patiuntur, facilè vincant, utpote quæ dulcedine illa ſpirituali plurimùm diluantur, ut virgam Domini, quæ ſaccharo condita eſt, ſeriò exoſculentur, ut quæcunque, quæ carni noſtræ etiam longè amariſſima ſunt, per mala magna cum fortitudine perdurent, ut denique lubentiſſimè mortem oppetant, utpote quæ velum oculis rorſus detrahat & in amœniſſimum novæ beatitudinis campum eos deducat. Lucrum hæc omnia fidelibus

Digitized by Google

delibus ſunt. Hinc tantum eos futuri ævi deſiderium, tantum præſentis faſtidium tenet, hinc rident cum ineptiis & ſtultitiis ſuis mundum & ſancto quodam enthuſiaſmo correpti in mare miſericordiæ & amoris divini penitùs ſe ingurgitant atque gratiam poſt gratiam pleno ore & diſtentis pectoris faucibus heic hauriunt. Nolim verò jam, mi lector, ut dicas, eſſe hanc digreſſionem quandam homileticam, quæ in libro erudito locum occupare haud debeat, pertinere hæc ad cathedram eccleſiaſticam nec inſerenda eſſe Theologiæ moralis inſtitutionibus, ubi in artis formam res compingenda & eruditis obſervationibus acuminibuſque philoſophicis floſculiſque ex hiſtoria literaria & ex omni eruditionis campo petitis ornanda ſit. Etſi enim exiſtimem, hæc ipſa ſua quoque laude donanda eſſe, etſi credam, Viris doctis, qui ita rem pertractaverint, deberi multum plurimaque illis encomia accinenda eſſe, ita tamen & ſimul mentem meam informo & ita animum induco meum, medullam hanc, quam hîc damus, Theologiæ Moralis Chriſtianæ eſſe, quam, qui neglexerit, nucleum heic fracto licet cortice neglexerit. Quin ſi quidem ſolidi quid in hoc campo agere volueris, tres iſti ſtatus ante omnia probè tibi à ſe invicem diſtinguendi erunt ſuique unicuique characteres dandi, quos hîc, licet numerum eorundem haud iniverimus, utique tamen dedimus. Atque hùc vel maximè jam Miniſtro Eccleſiæ abeundum

erit,

Digitized by Google

erit, qui niſi in omnibus ſermonibus eccleſiaſticis monitiſque, quæ vel publicè vel privatim fundit, tres iſtos hominum ſpirituales ſtatus ita diſtinguat & juxta eos ſermonem ſuum inflectat, prorſus nihil agit oleumque & operam perdit. Sed hæc quidem omnia melius experientia ſpiritualis quàm calamus hic noſter, qui ſaltem ſigna rerum exhibere aptus eſt, tradit.

SECTIO TERTIA.

SCilicet, ſi quidem, quid propriè loquendo Theologia moralis ſit, ſolidè nôſſe aveas, ſciendum tibi hoc fuerit, Theologiam Moralem nihil aliud eſſe quam veri ejusque practici Chriſtianiſmi notitiam non ex inani quadam theoria, cui & hypocrita quiſque inhiare poſſit, ſed ex experientia ſpirituali profluentem. Nec eſt, quòd ajas, tàm proletariam hanc ſcientiam, tàm communem eſſe, ut Theologo indigna illa atque ad eos, qui catechizandis rudibus operam dant, releganda eſſe videatur. Deplorandum enim oppidò hoc eſt, quòd & ipſi illi, qui magnos in Iſraële Magiſtros ſe eſſe putant, diſciplinam hanc ne à limine quidem ſalutaverint, & dum præjudiciis ſuis carnalibus & pædantiſmo

pædantiſmo academico atque ambitioni literariæ zeloque inconſulto indulgent, à veris ſanctioris Chriſtianiſmi actibus ſeſe prorſus removerint. Quotusquiſque enim quæſo eſt, qui indolem veri præſtantiorisque Chriſtianiſmi in luce divina intelligat eundemque ardore quodam ſpirituali animatus ſuis commendet jugiter atque inculcet? Quotusquiſque, quæſo, eſt, qui, quod ore profitetur, & vita exprimat ſuoque exemplo comprobet? Quicunque itaque jam Theologiæ morali & practicæ ediſcendæ atque deguſtandæ animum tuum adſpergis, id tene, id ante omnia prorſus credas fac, nucleum ſcientiæ hujus in veri Chriſtianiſmi cognitione conſiſtere. Quid eſt verò, inquis jam, o mi, verus ille Chriſtianiſmus? Reſpondeo: non externa Chriſtianiſmi profeſſio, non externus ille cultus, cui, qui Chriſtiani vocamur, inhiamus, non illa à criminibus & peccatis notoriis abſtinentia, hæc enim omnia & hypocritis quibuſvis competere poſſunt, non nuda ſaltem contritio & de peccatis commiſſis dolor, ſi vel cum deprecatione quadam nequitiarum is conjunctus ſit, non imaginaria ſaltem quædam, qua Chriſtum pro nobis eapropter eſſe mortuum nobis firmiſſimè perſuademus, ut morte ſua peccata noſtra expiaret, ſed ea hominis totalis converſio atque mutatio, qua homo, inſpecta miſeriæ ſuæ & corruptionis naturalis profunditate, inſpecta carie illa horrenda, quæ mentem ipſius hactenus aduſſit, inſpectis conſcientiæ

ſcientiæ ſuæ horrendis vulneribus, queis miſera illa laborat, inſpecta denique miſericordiarum divinarum imperſcrutabili abyſſo, quæ omnem quoque legis maledictionem, omne, quod hinc in nos manabat, anathema prorſus abſorbet, conteritur & compungitur doletque maximoperè, quòd tanta hactenus inſania actus fuerit, qua bonitatem DEI ſpreverit & immani cuidam exitio ſeſe mancipaverit, quòd & peccatum, tanta ſecum mala quod ſecum vehit, quod in calamitatum temporalium & æternarum barathrum quoddam nos detrudit, quod denique, etſi dulce id primùm nobis eſſe videatur, poſteà tamen amarum evadit nauſeamque & faſtidium, dolorem certè, parit, adamaverit, eamque vel tandem ſibi mentem induit, velle ſe prorſus, ſequeſtrata omni carnis voluptate, ſequeſtratis omnibus mundi pompis, eoque, quod jucundiſſimum ipſi hactenùs fuerit, prorſus abnegato, velle inquam ſe novam penitus converſationem inire, & cùm jam peccatum nauſeet atque odio penitùs habeat, novam iſtam vitam induere, quæ nova ipſi deſideria, novos motus, novas facultates infundat, quo facto ecce ſpiritus ille ſanctior, qui corda vertit penitus immutatque, jam adeſt & cœleſti rore mentem perfundit, & omnipotente ſua diviniſſimaque & jucundiſſima virtute animum tangit, & eum, qui ſpiritualiter mortuus erat, ex profundo ſomno ſuſcitat, & oculis ipſius adapertis diſpulſiſque tenebris

nebris lucem ampliſſimam ipſi infundit, & novam facultatem ſpiritualem, novam vitam in homine ſic creat, quâ mactus ille totum ſe DEO tradat, ex ampliſſimis gratiæ divinæ per JESUM Salvatorem partæ theſauris luculentiſſimas, ad luctam ſpiritualem quæ neceſſariæ ſunt, vires hauriat, voluptates quaſvis carnales mundumque & ipſius illecebras omneſque, quæ ipſi ſuboriuntur, calamitates magnâ cum fortitudine vincat, ſuaviſſimum cum DEO & Redemtore ſuo commercium ineat atque intimæ cum eo unionis vinculo jungatur, denique ſummâ quâdam ſpiritûs alacritate ad abnegandum ſemet ipſum, ad militiam ſpiritualem ineundam, ad officia quævis veri Chriſtianiſmi explenda animetur. Heic verò non exprimi poteſt, quàm beatus ille ſit, qui ſic in nobis florere incipit, animi noſtri ſtatus. Qui enim ſauciâ hactenus conſcientiâ laboravimus, qui variis affectuum atque deſideriorum, quæ expleri non poterant, turbis agitati fuimus, qui Judicis iram nobis jugiter impendentem ſenſimus, qui impotentiam noſtram ad agendum bonum maximo cum dolore noſtro perſpeximus, qui peccati & voluptatum miſeriam atque tædium longum hactenùs devoravimus, qui denique facile vidimus, ita comparatas eſſe vitæ noſtræ rationes, ut, nonniſi dira olim mors & tremendum judicium nos inſequi poſſit, ad quod & hactenùs horruimus, jam ecce! plurimùm gaudemus, in melius res

noſtras

noſtras mutatas & DEUM placatum & turba omnes diſſipatas & motos fluctus compoſitos & tranquillitatem menti reſtitutam & gratiæ divinioris ſtellam ipſi obortam & alacritatem ſpiritualem, quâ bonum jam ſponte & haud moniti agamus, nobis infuſam, & cœleſtia nobis deſideria indita & ipſum DEUM cum omni gratiarum ſupernarum plenitudine nobis donatum noſque in filios DEI & futurorum bonorum hæredes adoptatos eſſe & intimo cum DEO commercio florere atque amore quodam ſummo in tantum Redemtorem Salvatoremque jugiter ferri atque ita ferri, ut omnia illa, quæ extra bonum hoc ſummum, quo fruimur, quo ſatiamur, ſunt, nauſeemus, voluntasque noſtra in nullâ aliâ re quàm in DEI ipſius poſſeſſione acquieſcat nihilque aliud, quàm ipſum DEUM velit, cupiat, deſideret atque anhelet. Jam itaque ex hâc veræ converſionis verique Chriſtianiſmi deſcriptione eâque practicâ facilè pateſcit, quantus & quàm pernicioſus illorum error ſit, qui exiſtimant, pœnitentiam & converſionem eſſe ſaltem actum quendam tranſeuntem, qui facilè, qui ſæpiùs, qui nullo negotio repeti poſſit, qui & à nobis dependeat totieſque iterari queat, quoties id quidem nobis lubet, qui denique ſaltem in idearum noſtrarum directione quâdam ex naturalibus viribus noſtris oriunda conſiſtat. Etſi enim nemo facilè ex noſtris ſit qui ita quidem rationes ſuas ineat &, qui hoc modo

modo mentem ſuam efferat, nemo tamen & eſt, ſi vel tantillum ille lucis habeat, qui neſciat, commune quoddam hoc præjudicium eſſe, practicum illud atque eò periculoſius, quo homines heic agitentur. Jam & exinde, quod tàm ineptam Chriſtianiſmi practici ideam homines ſibi formant, perſpicere eſt, qui fiat, ut tàm difficile id ſit, eos de verà ſtatus ſui ſpiritualis ratione convincere. Maxima enim pars ſe divitem ſatis eſſe, ſe ſatiatam eſſe, ſe nullà re egere, ſe regnare jam & medio in divinitatis gremio verſari putat, nec miſeriam ſuam ſpiritualem & paupertatem ſuam & ſtatum miſerrimum comprehendit. Quin & ſi, quis verus ille, qui ſolus beatos nos reddat, Chriſtianiſmus ſit, hominibus cum curà enarretur declareturque, ſtatim ajunt, quibus haud volupe eſt, eam in ſui abnegationem converſationiſque mutationem omnimodam deſcendere, moroſam hanc eſſe & triſtem, quam commendemus, quam poſcamus, vivendi rationem, nec poſſibile, nec neceſſarium eſſe, ut ſic vivatur, tot eſſe impedimenta, quæ nos circumſtent, quò minus ita res noſtras componere queamus, denique, ſi ita quidem vivendum nobis ſit, nos in ipſiſſimum enthuſiaſmum & fanatiſmum, malam illam peſtem, quæ tot in mundo turbas dederit, detruſum iri. Vides itaque jam, lector, hìc præjudicia illa carnalia & hæreſes illas, quæ profectò fundamentum fidei prorſus ſubruunt,

 quas

Digitized by Google

quas Satanas, quas caro maleſana, quas mundus hominibus ad meliora adſpirantibus jugiter oggannit. Pauci ſunt, qui præſtantiam, qui ſuavitatem, qui neceſſitatem, qui poſſibilitatem, qui gloriam, qui bona, quæ verus Chriſtianiſmus ſecum fert, capiunt & profundis heic tenebris, profundâ heic ignorantiâ immerſos ubique homines heic videas. Jam verò miris modis hallucinantur, quicunque ajunt, Chriſtianiſmum ſic fore rem miſeram, quæ omni lætitiâ homines privet eoſque ſic moroſos & melancholicos reddat. Haud quippe capiunt homines miſeri & terque quaterque miſeri, commercio illo, quod nobis cum DEO, cum JESU CHRISTO, Salvatore noſtro intercedit, ſpe illâ & fide illâ, quæ futura bona arripit, illâ animi, quâ fruimur, tranquillitate nihil eſſe ſuavius, nihil jucundius, & quia nunquam hæc ipſa ſenſere ſed inter ſuavia ſomnia eadem inepti reputant, id non capiunt. Tanta velim ſcias, lector, Chriſtianiſmi veri eſt excellentia, tanta ſuavitas, tanta jucunditas, tanta dulcedo, ut, qui ſemel eam guſtaverit, nauſeâ mundi & odio peccati impleatur illicò nec ad ſiliquas mundanas unquam redire cupiat, utpote cui voluptates carnis non dulces amplius, non jucundæ ſed amaræ, ſed inſulſæ ſint. Præſtantiſſima enim ſunt, queis jam, qui renati ex DEO ſumus, fruimur, bona, cœleſtia illa & æterna & diviniſſima, pax illa & tranquillitas animi, quæ omnem hominum rationem tranſcendit, communio

munio illa cum DEO, ENTE EXCELLENTISSIMO, amor DEI intenſiſſimus, ubi in oſcula ejus, quem amamus, jugiter ruimus & largo ſemper gratiæ ſuaviſſimæ imbre ab ipſo perfundimur & Spiritu S. ornamur, futuræ, quæ nos exſpectat, gloriæ arrhabone. Hinc & eſt, quod ſemper in Domino lætamur, quod mediis in calamitatibus tripudiamus & quod, ſi vel in triſtitiæ quendam paroxyſmum DEUS ſubinde nos immergat & luculentiſſima ſolatia ſua nobis tantiſper ſubtrahat, id non aliâ ex ratione idem facit, quàm ut, quæ deinde rurſus nos occupant, gaudia ſpiritualia eò vividiore tactu nos afficiant vel ſaltem eò major deinde pax oſſa noſtra & venas noſtras intret. Quòd itaque maleſani homines moroſum eſſe Chriſtianiſmum & melancholicum & miſerum eſſe exiſtimant, ex ignorantiâ rei & Chriſtianiſmi ipſius contingit. Sed addunt, non eſſe poſſibile, ut quis ejuſmodi in ſtatum perveniat, eſſe has ideas Platonicas, quæ entia ſint rationis, quæ ſint febricitantium ſomnia, non vixiſſe unquam mortalem, qui in ſtatum tàm beatum pervenerit, circumfundere homines peccatum & labem originalem & tot mundi illecebras & tot calamitates, ut in iſtam ſui abnegationem, in iſtam converſationis mutationem & ſanctimoniam deſcendere nequeant. Mallem verò jam ego, ut cogitarent homines, quòd & heic *audentes fortuna juvet*. Caveant ſibi, quicunque ita rationes ſuas componunt,

ne in bonitatem, ne in gratiam divinam, quæ maxima eſt, involent eamque deprimant atque limitibus, quos tamen ea non agnoſcit, coërceant. Non enim, qui beneficiorum terreſtrium mos eſt, in capeſſendo munere cœleſti menſura ulla vel modus eſt. Profluens largiter ſpiritus nullis finibus premitur nec coërcentibus clauſtris intra certa metarum ſpatia frenatur, manat jugiter, exuberat affluenter. Noſtrum tantum ſitiat pectus & pateat. Quantum fidei capacis hìc afferimus, tantum gratiæ inundantis haurimus. Meminiſſe ſcilicet nos oportet, qualis ea virtus ſit, quæ nos convertat, num noſtra, num finita illa, num infirma, num ad tantum opus perficiendum inepta? Erraverit ſanè & infinitis modis erraverit, qui ita ſecum putaverit. Divina illa eſt, potentiſſima illa eſt, ſuaviſſima illa eſt, eadem virtùs illa, quâ mundus creatus, quâ lux accenſa, quâ & JESUS CHRISTUS ex mortuis reſuſcitatus atque ad dextram Patris poſitus eſt, quam ſanè ut deſcribat & depingat ſatis & exprimat & definiat, verba vix invenit Apoſtolus Paulus, vir entheus & divino ſpiritu prorſus mactus. En verò, quid ajat ille & quid, ſi ex ipſo, quænam virtus illa ſit, quâ credamus, quæſiveris, reſpondeat: eſſe eam ὑπερβάλλον quoddam μέγεθος τῆς δυνάμεως τοῦ θεοῦ εἰς ἡμᾶς τοὺς πιστεύοντας κατὰ τὴν ἐνέργειαν τοῦ κράτους τῆς ἰσχύος αὐτοῦ, ἣν ἐνήργησεν ἐν τῷ Χριστῷ, ἐγείρας αὐτὸν ἐκ νεκρῶν καὶ ἐκάθισεν ἐν δεξιᾷ αὐτοῦ

ἐν

ἐν τοῖς ἐπουρανίοις κτλ. eſſe eam *immenſam magnitudinem virtutis* DEI in nos, qui credamus ſecundùm *operationem virtutis roboris* ejus, quam *operatus fuerit* in Chriſto, ubi ipſum ex mortuis ſuſcitavit & poſuit ad dextram ſuam in cœlis, & quæ ſequuntur. Exiſtimaſne jam igitur, o homo, qui ſic ineptis, non eſſe poſſibile, ut vita iſta nova in te exciteur & ſplendeat, ubi præſtantiſſimâ virtute ſuâ DEUS eam in TE ſic operari cupit. Exiſtimaine inquam, nullum eſſe gratiæ divinæ brachium, nec eo te ad benè vivendum juvari unquàm poſſe. Latetne te, quod totidem verbis Petrus ait, *divinam nobis, qui credimus, virtutem, quæ ad vitam & pietatem neceſſaria eſt, datam eſſe, donatas nobis eſſe maximas & præſtantiſſimas promiſſiones, ut mediantibus illis divinæ participes naturæ evadamus & corruptionem, quæ per concupiſcentiam in mundo eſt, evitemus.* Quiſnam igitur tu es, qui Spiritui S. in faciem contradicis aiſque, non poſſibile eſſe, ut eouſque ſanctimonia & converſio hominis vadere poſſit. Sed video utique & ſentio πρῶτον ψεῦδος tuùm atque id, quod tenet oculos tuos, quò minus hìc videas. Scilicet putas, propriis viribus tuis omnia hæc perficienda eſſe & proprio quodam niſu tuo ad ſanctimoniam ejuſmodi eſſe provolandum. Ita profectò, uti arbitror, credis tu ſed perperam credis & in limine veri Chriſtianiſmi miſerrimus

 ceſpitas.

ceſpitas. Non ita, o mi, res ſe habet, noſtræ vires hic nullæ ſunt, cœleſti brachio ad tantas res efficiendas nobis opus eſt & divinâ virtute, quâ, qui ad cœlos gradimur, animemur. Et verò hujus virtutis fons PROSTAT. QUI SITIT, VENIAT ET, QUI VULT, ACCIPIAT AQUAM VITÆ GRATIS. Accurre modò, o peccator, & anhela & accipe & ſume virtutis divinæ affatim, licet, theſaurus, uti vides, eſt adapertus, divinarum miſericordiarum viſcera ſunt diſtenta, largus eſt, qui de cœlo defluit, gratiæ imber, erige ſaltem caput & aperi os & hia & hauri! O verò, ſi hoc feceris, quanta quæſo mox ſuavitas, quanta vis, quanta fortitudo in venis tuis ſaliet, quanta quæſo vita in pectore tuo manifeſtabitur, quanta gloria mentem tuam occupabit! Certè ita non amplius dices: *infirmus ſum* ſed potius cum Apoſtolo Paulo exclamabis: *Omnia poſſum in eo, qui me confortat, JESU CHRISTO.* Jam verò, ubi armis hiſce ſpiritualibus, ubi ſpiritu JESU CHRISTI mactus es, Satanæ ſtatim adverſus ibis eumque exues & ſub pedibus tuis conculcabis. Jam itaque, ubi tantâ virtute, tantâ fortitudine fulges, conquaſſabis carnem & obtundes & mortem quotidianam illi inferes, ut, ubi perit vetus homo, novus de die in diem creſcat. Ita porrò, ubi jam noſti, quid poſſideas & quanta illa bona ſint, quæ te maneant, rides omnes mundi pompas & delicias

&

& fraudes & minas & generoſo contemtu illecebras quaſvis, quas iſte tibi oggannit, pedibus tanquàm σκύβαλα proculcas nulloque in pretio habes. Ita denique, ubi ſolatiis DEI pleniſſimis perfrueris & totus DEO involutus es, dum vides unum atque alterum membrum tibi amputari & diriſſimis cruciatibus te exponi & uri & calamitatibus undique circumfundi, & mediis in flammis tripudias jubeſque, ut rapiat artus hos tyrannus, qui in corruptionem non abire non poſſint, & tuæ te virtuti involvis & in beatas ſedes maximâ cum pectoris tui diffuſione migras. Et quod maximum hic eſt, nullam tibi in hiſce omnibus vim adfers, ut ita ſentias, ut ita agas. Spontaneus eſt, qui omnia hæc operatur, ſpiritus, amor eſt, qui te ad hanc vitæ tuæ rationem ineundam impellit & jugiter agitat, non potes non, qui ſpiritu divino flores, ita agere, non potes non, qui tantâ animi melioris alacritate fulges, ad ejuſmodi ſanctimoniæ præcipuum quendam gradum mox aſcendere, & in hoc conſiſtit amor tuus, quo DEUM complecteris, ut mandata ejus ſerves, & mandata ejus tibi jam difficilia planè haud ſunt, omne enim, quod ex DEO natum eſt, vincit mundum, & fides noſtra eſt victoria illa, quæ mundum jam vicit. Jam verò & ais, non neceſſarium eſſe, ut tantam nobis vim adhibeamus atque tàm duro jugo colla noſtra ſubjiciamus, quale jugum iſte Chriſtianiſmus ſit,

Digitized by Google

DEUM eſſe miſericordem & benignum Patrem, qui nos in Chriſto juſtos reputet, ſi ſaltem juſtitiam ejus nobis verâ fide adplicemus, nec requiri adeò, ut ſimus tàm ſancti, ſanctimoniam tantam ad Miniſtros Evangelii pertinere, remitti & omnia peccata, quæ ſaltem ſincerè agnoſcantur. Aſt & hic primùm oculis tuis collyrium eſt admovendum, ut videas. Unde quæſo hoc habes, o mi, Chriſtianiſmum eſſe jugum quoddam, eſſe ejuſmodi diſciplinam quandam, quæ animum cruciet & in melancholiam atque moroſitatem detrudat? Dic mihi quæſo, qualisnam futura ſit beata illa in cœlis vita, quam olim agere quiſque noſtrûm anhelat. Itane ergò illa triſte erit & melancholicum otium & jugum, quod humeros noſtros urat? Nequaquàm, ſed voluptas ſumma, ſed gaudium ineffabile, ſed lætitia, quam oculus non vidit, quam auris non audivit & quæ in nullius hominis cor intravit, niſi, cui DEUS per ſpiritum ſuum id revelavit. At verò ſpiritualis illa vita, quæ per regenerationem in nobis accenditur, beatæ illius vitæ præambulum eſt & prima quædam, quam præguſtamus, illius pars. Cæcus, ut arbitror, de coloribus hic loqueris & de eo judicas, quod nunquam guſtâſti. Si enim guſtaviſſes, quid hoc eſſet, in Chriſto vivere, quid hoc eſſet, amore JESU inebriari, quid hoc eſſet, divinâ virtute imbutum eſſe, projiceres illicò grallas tuas & ambulares promtus & mundi ſiliquas præ deli-

deliciis hiſce contemneres & omni ardore rebus adhibito ad tantam felicitatem curreres promtus eamque extenſis atque affuſis mox manibus ſine mora adprehenderes. Et poſito quoque, non conceſſo, haud neceſſarium eſſe ejuſmodi Chriſtianiſmum, præſtantia tamen ipſius & excellentia & ſuavitas & gloria quemvis allicere apta foret, ut advolaret atque tantorum bonorum ſeſe participem redderet. Sed verò planè neceſſaria tibi, o mi, hæc mentis tuæ plenior & luculentior eaque ſpiritualis mutatio eſt. Audi, ſi placet, Apoſtolum, ita tibi inſuſurrantem: *Sectamini pacem & ſanctimoniam, SINE QUA NEMO videbit Dominum.* Audi Johannem, dilectum illum JESU diſcipulum, qui mentem ejus utique novit & ita enarrat: *Et omnis, qui hàc ſpe,* Dominum ſcilicet videndi *floret, purificat ſe ipſum, uti ille purus eſt.* Et poſt pauca: *Filioli, nemo decipiat vos, qui facit juſtitiam, juſtus eſt, ſicut ille juſtus eſt.* Audi denique Salvatorem, qui ait: *Amici mei eſtis, ſi faciatis, quod ego vobis injungo. Non omnes, qui mihi dicunt,* Domine, Domine, *introibunt regnum cœlorum ſed qui faciunt voluntatem Patris in cœlis. Certate, certate, & vim adhibete, ut per anguſtam portam ingrediamini. Multi enim, ut introeant, tentabunt & non introibunt. Qui diſcipulus meus eſſe cupit, is abneget ſe ipſum, tollat crucem ſuam & ſequatur me!* Clara hæc ſunt, uti vides, & neceſſita-

tem converſionis & ſanctificationis ita inſinuant, cæcus ut ſit, ad tantam lucem qui caligat. Jam autem id planè inſulſum fuerit, ubi quis dixerit, eapropter non neceſſarium eſſe, ut converſioni, ut ſanctificationi noſtræ tantoperè ſtudeamus, quoniam Chriſti juſtitiam verâ fide, id eſt pleniſſima fiducia heic adprehendiſſe ſibimetque imputâſſe atque applicâſſe ſufficiat. Mirum eſt, quantoperè huic falſæ perſuaſioni inhient, quicunque à vero ſanctimoniæ præſtantioris tramite miſeri aberrant. Dum enim fidem evehunt, non fidem, ſed ſpectrum ſaltem fidei evehunt, talem quippe fidem, quæ in nudâ propriiſque iiſque naturalibus viribus formatâ ideâ conſiſtit, ubi, qui vitiis, qui affectibus pravis jugiter indulgeo, qui abnegare pompas hujus mundi nolo, qui carnem deliciis quibuſvis inebrio, mihi imaginor, Chriſtum, cùm & mei gratiâ paſſus fuerit mortemque obierit, ex opere, quod ajunt, operato me, licet diabolo, mundo & carni meæ ſerviam, ſalvaturum eſſe. Diſcamus vel tandem, o mei, quid fides ſit, quâ in Chriſtum ferimur, qui ſalvamur, & quânam τάξει, quo ordine Chriſtus, bonus ille Paſtor noſter, nos ſalvet. Fides illa, quæ Chriſtum amplectitur, non eſt otioſa quædam idea, quæ cum peccatis dominantibus ſtare poſſit, abſit, ut hoc unquam ſomniemus, abſit, ut tantoperè ineptiamus, ſed eſt ſpiritualis ille ardor, quem DEUS per Spiritum ſuum in nobis operatur & quo in Chri-

ſtum

Digitized by Google

ſtum, quem ſummum bonum noſtrum, in quo ſolo beatitudinem inveniamus, jam eſſe prorſus credimus, toti ferimur, quo ipſum cum omnibus, quæ poſſidet & largâ manu in nos effundit, bonis ampleƈtimur, tanquàm Prophetam, qui novo ſuo lumine intelleƈtum noſtrum tenebris aliàs totum obſitum colluſtret, tanquàm Sacerdotem, qui corporis ſui ſacrificio iratum contra nos DEUM placaverit & interceſſione ſuâ præſtantiſſima gratiæ bona nobis adipiſcatur, tanquàm Regem, qui per Spiritum ſuum jam in nobis dominetur, imò tanquàm vitam noſtram, quâ, ſequeſtratâ & ſuppreſſâ voluptatum noſtrarum vitâ, in Chriſto vivamus, moveamur, agamus & tanquàm novæ creaturæ in ſtatu noſtro ſpirituali quotidie creſcamus & magis magiſque effloreſcamus. Jam, qui hàc fide floret, peccata propter Chriſtum ſibi remiſſa eſſe ubi credit, reƈtè credit. Qui verò aliam ab hac fidem habet, ſpeƈtro ſaltem & umbrâ fidei, non ipſâ fide gaudet. Scilicet, uti diximus, nonniſi in certa τάξει à Chriſto ſalvamur. Si enim hoc ad ſalutem ſufficeret, ut merita Chriſti nobis adplicaremus, nullus eſſet noſtrûm, qui non ſalvaretur, nulluſque hypocritarum foret, cui non facilis ad ſalutem via eſſet. Quid enim facilius, quàm ejuſmodi quandam ideam in peƈtore ſuo gignere & efformare? Eſt verò τάξις & ordo ille, de quo loquimur, hic, ut, quemadmodum

Chri-

Chriſtus *extra nos* opera diaboli deſtruxit, ita & idem per Spiritum ſuum *in nobis* eadem deſtruat & dominium peccati tollat perque fidem nos regeneret, convertat, ſanctificet. Vides igitur, quàm inepta ſit iſta, quam effutis, de fide, quod neceſſitatem ſanctimoniæ excludat, objectio. Non enim datur fides, quæ cor non purificet, eſtque ſubinde fides Apoſtolo Paulo, quæ ſit tota obedientia evangelica. Nolim verò & vel tandem, ut de impedimentis veri Chriſtianiſmi multa, o peccator, garrias ajaſque, velle utique te atque optare, ut aliquando in ejuſmodi ſtatum pervenire poſſis, ſed pro rerum præſentia te tot involutum eſſe hujus vitæ circumſtantiis, tot malis te laborare inclinationibus, quas ſuperare, quicquid feceris, prorſus jam haud poſſis. Jam enim vis regno cœlorum hìc inferenda eſt & qui illi vim inferunt, id rapiunt ad ſeſe. Cœleſti quadam fortitudine induendus eſt ſpiritus noſter, ut ſupervincat, nec datur corona ſanctior niſi certantibus. En ergò hìc **ἀγῶνα** tuum, certa igitur, certa bonum certamen fidei, & eluctare, donec ſuperes & brabeum arripias. Suſtentabit profectò brachia tua divus JESUS, qui fatigatis virtutem indit & fortitudine infirmos imbuit, qui laſſa genua erigit & manus remiſſas roboràt. Abſit, credas, tanta dari impedimenta, quæ ut ſuperes, virtutem à benigno illo DEO impetrare haud poſſis. Itane ergò mortem vitæ anteponi:

Digitized by Google

teponis & ſub dominio peccati manere mavis, quàm tranſire in ſuave illud regnum, ubi ſub dominio Salvatoris optimi agimus atque præſtantiſſima, quæ cogitari poteſt, felicitate imbuimur? Itane ergò vis tibi inferenda eſt, ut ſalutem tuam quæras? Itane ergò, ubi ex ergaſtulo peccati exire datur, in ſqualido hoc carcere lubens manſeris, qui ſapis? Si itaque rectam hìc viam ingredi volueris, age, quæſo, & reſipiſce & odio nauſeaque peccati & mundi (hic enim veræ reſipiſcentiæ præſtantiſſimus character eſt) fac quantocyus ut impleare veraque ut fide illa induare, quæ cor purificat, quæ mundum vincit, qua totus Chriſto involveris, qua temetipſum abnegas novaque & cœleſti vita circumfunderis & quotidianis dein contra voluptates tuas, contra prava hominum exempla, contra illecebras, quas Satanas tibi nectit, victoriis flores. Cave verò tibi, cave, inquam, ne converſio tua ſaltem ſit ſemi-converſio, ubi cor tuum in duas partes dividas unamque Chriſto, alteram mundo dones, & in primis iſtis motibus, quos in te ſentis, qui converteris, haud, quæſo, ſubſiſte, ſed perge ſemper & creſce & ulteriùs vade & novas ſemper ſpirituales vires tibi adquire. Qui enim non pergit, retrò labitur, & ſpiritualis, qua quis poſt converſionem laborat, acedia prona eſt via, quæ hominem in priſtinam mortem miſeriamque reducat. Quod ipſum dum ponimus,

Digitized by Google

mus, nec tamen & id negaverimus, unam converſionem non eſſe ſicut alteram ſed gradus ejuſdem infinitos eſſe. Et videmus utique hìc gratiam quoque divinam arcano voluntatis divinæ conſilio variè admodùm diſpenſari, videmus quoque ſubinde monſtra converſionum, ubi mira naturæ gratiæque mixtura eſt, videmus & abortus converſionis varios, ad quos rectè dijudicandos & evolvendos, ne luxuriam frondium cum radice arboris exſcindas, prudentia ſpirituali magna opus eſt, videmus ignes naturæ fatuos, qui, ubi in publicam lucem erumpunt, nonniſi turbas, nonniſi ſcandala creant, videmus phantaſias extra orbitam heic euntes & morbis ſæpius abque exceſſibus, raris iis & arcanis ſed tamen naturalibus, laborantes, quos qui gratiæ præſtantioris effectus eſſe exiſtimaverit, profundè heic deſipere poſſit. At in genere heic notare liceat, regnum DEI, quod *μετὰ παρατηρήσεως* non venit, non turbas externas, ſed internas illas ciere, ſapientiamque ſpiritualem non tumultuari nec furere, ſed per miram quandam *συγκατάβασιν* animos, ubiubi illa ſeſe iis inſinuat, vertere atque ſanctificare, externaſque ſeparationes benedictione divinà præcipuà nunquàm florere. Itaque, qui Chriſtianiſmi flore quodam à Domino beamur, demus, agedum, operam, & caveamus nobis ab aviis quibusvis, quæ ſaltem nos impediunt, quò minus

nus in bono, quod adprehendimus, creſcamus nec circa externa tantoperè occupemur, quæ profectò nunquam penitus corrigemus, ſed in id maxime incumbamus, ut vita noſtra interna & myſtica, quam agimus, ut internum illud, quod cum DEO inivimus, commercium jugiter & ſine ullâ interruptione apud nos floreat noviſque ſemper augmentis, quæ per ἄσκησιν Chriſtianam affunduntur, ornetur.

SECTIO QUARTA.

ET verò, ſi, quænam hæc ſit, cui inhiare operamque dare debeas, ἄσκησις, noſſe velis, hæc noſtra jam habe. Ἄσκησις ſpiritualis illa, de quâ loquimur & quam heic, quantum poſſumus, commendamus, conſiſtit in exercitio ſanctimoniæ illius internæ, quâ Chriſtianus florere debet. Hæc autem ipſa his ferè capitibus abſolvitur. Pertinet hùc I. abnegatio ſui ipſius & mortificatio carnis & voluptatum quotidiana, conjuncta cum contemtu quodam & nauſea mundi & pomparum ejus omniumque illecebrarum Satanæ, quæ omnia ſine fortiſſimâ

Spiritûs

Digitized by Google

ſpiritûs contra carnem lucta fideique præſtantiſſimo certamine & militiâ Chriſtianâ fieri nequeunt. II. toleratio crucis, ubi virgæ DEI, quæ nos caſtigat, oſcula ſemper figimus & patientiæ ſanctorum heic operam damus & dulcedinem ex petrâ extrahimus. III. imitatio Chriſti, ubi, quicquid virtutum in Salvatore noſtro conſpicere nobis datur, & ipſi pro infantia noſtra vi ſpiritûs illius, quem iſte nobis dedit, exſequimur adeoque continuo bonorum operum exercitio floremus. IV. commercium cum DEO perpetuum, quo vera & ſancta fide optimum hoc & maximum Numen amplectimur, quo continuo amoris puri illius, non mercenarii ardore in ipſum ferimur, quo preces indeſinenter ad ipſum fundimus, quo omnes cogitationes, omnes volitiones, omnia verba noſtra, omnia opera noſtra ad ipſum tanquàm ad ultimum finem ſponte noſtra dirigimus, quo, quicquid agimus, in DEO & ad ejus nutum & ex lumine divino agimus. Et verò jam per commericium hoc, quod anima cum DEO init, ea & *purgatur* à pravis, quæ eam hactenùs vexaverant, deſideriis & *illuminatur* divinâque & cœleſti luce donatur & cum DEO *unitur* atque in eo tanquàm centro ſuo ſuaviter acquieſcit, quæ tres illæ viæ aſceticæ ſunt, quæ tantoperè à ſcriptoribus myſticis commendantur. Non verò eſt, cur hic jam terminis altis & difficilibus, quos & vix quiſquam capere poſſit, operam demus

Qu

Qui enim clariore dictione noſtra efferre poſſumus, cur tenebricoſæ eloquentiæ profunditates affectemus, cauſam non perſpicimus. Primum, quod ad ἄσκησιν Chriſtianam pertinere diximus, eſt ſuiipſius abnegatio. Quicquid naturæ dulce & jucundum eſt, quicquid extra DEUM hominem in amorem ſui rapit, ſuaviſſima quoque voluntatis propriæ deſideria omniſque illa, quâ nobiſmet ipſis, quâ noſtræ voluntati, quâ noſtræ gloriæ, quâ noſtris commodis inhiamus, philavtia abneganda, mortificanda, deprimenda pedibuſque prorſus conculcanda atque annihilanda eſt, non per activitatem quandam legalem, quid enim,quæſo,niſus ille naturalis proficeret ?nihil prorſus, ſed per paſſivam illam traditionem, quâ DEO ſoli, qui hìc ſapimus, nos tradimus DEUMque & Spiritum ejus in nobis agere jam atque utramque ubique facere paginam lubentiſſimè patimur. Omnis,ita puto,cooperatio, etiam illa, quæ in articulo ſanctificationis ſtatuenda venit, micâ ſalis condienda eſt, omnis, omnis, ut exiſtimo, activitas ſequeſtranda Chriſtoque ſoli, qui ita in nobis vivit, ut nos non ampliùs vivamus, faſces tradendi, ut iſte, quicquid nobis proprium, quicquid noſtrum eſt, omne enim, quod noſtrum eſt, pravum eſt, per Spiritum ſuum penitùs deſtruat. Id quod ubi à Chriſto in nobis fit, euge quanta ex amaritudine dulcedo in animo noſtro, quanta diffuſio oritur, ubi ſic videmus, omne id in nobis à divi-

no Spiritu uri atque tolli, quod malum eſt & quod falſâ quâdam veri & boni ſpecie nos hactenus fefellerat. Alio verò modo, qui abnegationem ſui adgreditur, malè & perperam eam adgreditur. Velim itaque, hoc ſcias, o Chriſtiane, primùm & ante omnia opus eſſe, ut tibi moriaris & exuvias veteris Adami in limine ἀσκήσεως tuæ ſtatim deponas. Id quod nolim (ſemper enim præjudicium illud de impoſſibilitate Chriſtianiſmi recurrit) ut tàm difficile eſſe exiſtimes idque ex ipſo illo, quod jam in medium protuli, argumento. Non enim tu ille es, qui mortem voluptatibus tuis inferre debeas, facit enim id in te virtus illa vivifica Domini JESU, quæ, ubi in te peccatum vincit & voluptates mortificat, ipſam mortem, quæ in te eſt, deſtruit novâque & planè excellentiſſimâ præſtantiſſimâque vitâ te donat eamque lætitiam, eam alacritatem ſpiritualem tibi infundit, quâ poſitâ veterum carnis deliciarum facilè obliviſcare, imò quâ poſitâ nauſea porrò & faſtidium & contemtus mundi pomparumque ejus cor tuum ſubeat. O beatam animam, cui ſemel mundus ita ſordet, ut tanquàm nebulonem in cruce pendentem eum reputet & ipſa ab eo ita reputetur! Sic enim valedicitur mundo, ſic æternum ipſi bellum intentatur, ſic in luctâ carnis & ſpiritus, ſic in militiâ Chriſtianâ facilè vincimus. Quod ipſum ubi dicimus, de luctâ hâc id unicum monemus, eam, qualis nempe

pe ab Aſcetâ Chriſtiano, qui in veræ converſionis ſanctificationiſque ſtatu eſt, qui etiam per agonem reſipiſcentiæ & fidei in beatum illud cum DEO commercium introiit, exercetur, longè diverſiſſimam eſſe ab illâ luctâ, quæ illorum eſt, qui adhuc in ſtatu ſervitutis ſunt. Hi enim ſaltem ligneo gladio, hoc eſt, viribus naturalibus pugnant adeoque à Satana plurimùm ridentur, qui in hanc pugnam facile cum ipſis tranſit & in medio, qui ipſos tenet, carcere ſic cum ipſis in ſpeciem pugnando eos miſerè decipit & ſemper vincit. At verò illi non proprio niſu, non propriis viribus ſed virtute divina eaque præſtantiſſima armati ſine ullo, qui ad talos ſuos defluat, ſudore pugnant & ſemper vincunt certantque ſic bonum fidei certamen, quod non poteſt non plena ſemper victoria ſequi, & quod ſequetur profectò olim illa juſtitiæ corona, brabeum illud, quod divina nobis vocatio in Chriſto JESU proponit. Non verò eſt, quod jam de hoſtibus noſtris ſpiritualibus, carne, mundo, diabolis deque armatura ſpirituali, quam ſub finem epiſtolæ ad Epheſios Paulus Apoſtolus graphico admodum ſtylo depingit, prolixam mentem efferamus, cùm brevitas inſtituti id vix patiatur. Secundum **ἀσκήσεως** Chriſtianæ caput eſt crucis h. e. calamitatum externarum, queis exterior homo noſter angitur & cruciatur, toleratio & patientia, ubi divinior ille, qui per regenerationem in nobis illicò floret,

ſpiritus tanta cor hominis renati fortitudine imbuit, ut quaſcunque, queis mundus ipſum & fata impetunt, procellas rideat & ſua ſe virtute ſemper involvat atque in Domini, benigni illius, voluntate penitus hîc acquieſcat, imò ex ipſa morte vitam, ex amaritudine dulcedinem ſummam, ex ſilice triſtitiæ aquam ſolatii extrahat. Jam enim hæc ipſa crux nota verorum Chriſti diſcipulorum eſt, jam hæc ipſa crux eò magis hominem purificat, ſanctificat & perficit, jam hæc ipſa crux quàm ſimillimos nos Chriſto noſtro reddit. Et qui novimus, judicium initium ſuum capere debere à domo DEI, quî non tripudiemus atque exultemus, ubi calamitatibus nos premi videmus, ut, qui cum Chriſto patimur, & cum ipſo glorificemur. Et dicas mihi velim, ubi ſit ille filius, quem Pater non caſtiget? Ut taceam, non nos ſic pati ſed ſaltem follem hunc, quo circumvolvimur, quati pravamque iſtam carnem, quæ prorſus morti danda utique eſt, ut pereat & ut melior noſtri pars aliquando ſalvetur, ut taceam, tanta eſſe cœleſtia & æterna præmia, quæ cum levibus & temporariis hujus mundi paſſionibus conferri neſciant, magnoque quodam ſuperpondio futuram gloriam noſtram hanc, quam patimur, miſeriam ſuperaturam eſſe. En quid ſub finem apologetici ſcribat Tertullianus, qui conſtantiam Martyrum veterum, quorum jugis utique apud nos memoria heic, ut ad eandem pugnam animemur, eſſe debet, ſic depingit &, dum exempla

exempla indolentiæ gentilis hìc cumulat & denſat, mollitiem noſtram prorſus hìc in ruborem agit: *Planè volumus pati. Verùm eo more, quo & bellum miles. Nemo quippe libens patitur, cùm & trepidare & periclitari ſit neceſſe, tamen & præliatur omnibus viribus & vincens in prælio gaudet, qui de prælio querebatur, quia & gloriam conſequitur & prædam. Prælium eſt nobis, quòd provocamur ad tribunalia, ut illic ſub diſcrimine capitis pro veritate certemus. Victoria eſt autem, id, pro quo certaveris, obtinere. Ea victoria habet & gloriam placendi DEO & prædam vivendi in æternum. Sed obducimur. Certè, cùm obtinuimus. Ergò vicimus, cùm occidimur, denique evadimus, cùm obducimur. Licet nunc ſarmenticios & ſemaxios appelletis, quia ad ſtipitem dimidii axis revincti ſarmentorum ambitu exurimur. Hic eſt habitus victoriæ noſtræ: hæc palmata veſtis. Tali curru triumphamus. Meritò itaque victis non placemus. Propterea enim deſperati & perditi exiſtimamur. Sed hæc deſperatio & perditio penes vos in cauſâ gloriæ & famæ vexillum virtutis extollunt. Mutius dextram ſuam libens in arâ reliquit. O ſublimitas animi! Empedocles totum ſe Catanenſium Ætneis incendiis donat. O vigor mentis! Aliqua Carthaginis conditrix rogo ſecundum matrimonium dedit. O præconium caſtitatis! Regulus, ne unus pro multis hoſtibus viveret, toto corpore cruces patitur. O virum fortem & in captivitate victorem! Anaxarchus*

xarchus cùm in exemplum ptiſſanæ pilo contunderetur, tunde, *ajebat*, Anaxarchi follem; Anaxarchum enim non tundis. *O Philoſophi magnanimitatem, qui de tali ſuo exitu etiam jocabatur! Omitto eos, qui cum gladio proprio aliove genere mortis mitiore de laude pepigerunt. Ecce enim & tormentorum certamina coronantur à vobis. Attica meretrix carnifice jam fatigato poſtremò linguam ſuam comeſam in faciem tyranni ſævientis exſpuit, ut exſpueret & vocem, ne conjuratos confiteri poſſet, ſi etiam victa voluiſſet. Zeno Eleates conſultus à Dionyſio; quidnam Philoſophia præſtaret, cùm reſpondiſſet, contemtu mortis impaſſibilem fieri, flagellis tyranni ſubjectus ſententiam ſuam ad mortem uſque ſignabat. Certè Laconum flagella ſub oculis etiam hortantium propinquorum acerbata tantum honoris tolerantiæ domi conferunt, quantum ſanguinis fuderunt.* Poſt alia idem Tertullianus addit: *Cruciate, torquete, damnate, atterite nos. Probatio eſt enim innocentiæ noſtræ iniquitas veſtra. Ideò nos hæc pati DEUS patitur. Nam & proximè ad lenonem damnando Chriſtianam potiùs quàm ad leonem confeſſi eſtis, labem pudicitiæ apud nos atrociorem omni pœna & omni morte reputari. Nec quicquam tamen proficit exquiſitior quæque crudelitas veſtra, illecebra eſt magis ſectæ. Plures efficimur, quoties metimur à vobis, ſemen eſt ſanguis Chriſtianorum. Multi apud vos ad tolerantiam doloris & mortis hortantur, ut*

Digitized by Google

ut Cicero in Tuſculanis, ut Seneca in fortuitis, ut Diogenes, ut Pyrrhon, ut Callinicus. Nec tamen tantos inveniunt verba diſcipulos, quantos Chriſtiani factis docendo. Illa ipſa obſtinatio, quam exprobratis, magiſtra eſt. Quis enim non contemplatione ejus concutitur ad requirendum, quid intus in re ſit? quis non, ubi requiſivit, accedit? ubi acceſſit, pati exoptat? ut totam DEI gratiam redimat, ut omnem veniam ab eo compenſatione ſanguinis ſui expediat? Omnia enim huic operi delicta donantur. Inde eſt, quòd ibidem ſententiis veſtris gratias agimus. Ut eſt æmulatio divina rei & humana, cum damnamur à vobis, à DEO abſolvimur. Hactenùs TERTULLIANUS, cujus &, quæ ad Martyres ſcripſit, cum iis, quæ Cyprianus hanc in rem habet, longè præſtantiſſima ſunt. Et vellem utique, ut acta veterum recentiorumque aſcetarum, ut acta veterum modernorumque Martyrum, genuina illa & ſelecta magis familiaria noſtris hominibus eſſent. Quàm verò illa, ſi in notitiam noſtram venirent, frigus noſtrum retegerent, quanto, quæſo, illa pudore nos ſuffunderent, qui, ſi digitus ſaltem quidam noſter doleat, hoc ut à dolore liberemur, Chriſtianiſmum omnem illicò ejuramus, qui cum Eſavo cum lenticulà jus primogenituræ commutamus & Chriſti quidem veſtigia tùm premimus, ubi melle illa madent, tùm autem facilè linquimus, ubi ſpinæ pedes vulnerant. At enim, qui fi-

dei dux & conſummator eſt, ubi, licet perpetuo gaudio florere poterat, crucem elegit, nobis exemplo ſic exſtitit, ut & nos conformes huic morti ſuæ paſſionibus noſtris evadamus. Et quàm beatæ, quæſo, hæ paſſiones ſunt, tantam quæ ſalutem gignunt! Quàm beata mors, ex qua æternæ vitæ ſcaturigo manat! Diffluat ſaltem hoc, quo circumfundimur, habitaculum, conteratur & putreſcat, quam geſtamus, caro hæc, abſcindantur carnalia hæc, quæ trahimus, membra, eripiatur hic oculus, qui ſcandalo mihi eſt, comburatur hæc manus, quæ iniquitatem operata fuit, tollatur pes, quem gangræna adurit, uno verbo, pereat vetus hic homo & exuvias ſuas vel tandem in ſepulchro deponat, & novus cottidiè renovabitur & æterna, quæ & exprimi neſcit, felicitate beabitur. Tertium ἀσκήσεως Chriſtianæ caput eſt Chriſti imitatio. Jam enim velim hoc ſcias, fidelem nihil aliud eſſe quàm Chriſtum myſticum, in quo vita Salvatoris hujus præſtantiſſimi prorſus effloreſcat. Ita ſcilicet in omnibus, qui regenerantur, non ſine doloribus memorante Paulo Chriſtus concipitur & efformatur. Ita ad maturitatem fœtus hic & nova hæc forma poſt pervenit & in dias luminis auras protruditur & naſcentem ſic Chriſtum imitatur. Ita & dein in vita illa nova, quam in regeneratione accepimus, creſcimus, & tamdiu quidem creſcimus, donec evadamus in perfectum ſuo modo

do

Digitized by Google

do virum in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti. . Jam ſanè & Chriſto ſimiles quoad omnia reddimur, quoad perſonam, officia & ſtatus. Unioni enim perſonali apud nos reſpondet myſtica, quam alibi deſcriptam dedimus, communicationi idiomatum benigna illa chariſmatum divinorum Spirituſque ſanctioris in corda noſtra effuſio, ubi lux divina, ubi virtus divina omnis nobis largà manu communicatur. Ita, qui Chriſtiani ſumus, & Prophetæ ſumus, quos Spiritus DEI & Chriſti agitat ſuoque præſtantiſſimo lumine jugiter colluſtrat, ita Sacerdotes & iidem ipſi ſumus, quibus luculentus pateat in ſanctum ſanctorum aditus & quibus manus ſuas ad cœlos extendentibus mentiſque & corporis ſui vitæque ſanctioris ſacrificium precumque ſuffimenta offerentibus cœleſtis gratiæ imber deſurſum illicò depluat, ita denique & Reges exiſtimus, abſoluto quodam dominio in ſemetipſos qui floreant & deſideria ſua omnia qui ita inflectant, ut in DEO unicè, ut par eſt, terminentur, quorum porrò ſint omnia, ſive Paulus ſive Apollo ſive Cephas ſive mundus ſive vita ſive mors ſive præſens ſive futurum, qui denique & ipſi mundum olim judicaturi ſint. Accedunt & jam duo illi ſtatus, exinanitionis & exaltationis. Exinanitionis, ubi in paſſionibus, quæ nobis contingunt, Chriſto conformes reddimur atque adimplemus in carne noſtra id, quod

Digitized by Google

adhuc reſtat ex calamitatibus, quas propter Chriſtum corpus ipſius, quod eſt Eccleſia, exantlare debet, exaltationis, ubi ex miſeriâ mundi hujus extracti mirâ deinde gloriâ præſtantiſſimâque coronâ circumfundimur, qui legitimè certavimus. En quid ajat Paulus: SI COMPATIMUR, UT ET CONGLORIFICEMUR, idque tùm juxta animum, tùm & juxta corpus. Utriuſque maxima erit ſed gradualis gloria, ad paſſionum noſtrarum & ſanctificationis, quâ hoc in mundo floruimus, menſuram exigenda. Certè enim & anima & corpus glorificabitur, illa quidem lumine immediato & fruitione immediatâ, quâ DEUM ipſum videbit, uti eſt, & illo ipſo cum lætitiâ quâdam ineffabili fruetur & gloriæ præſtantiſſimæ radiis obvolvetur, hoc verò, quoniam ſimile reddetur glorificato Chriſti corpori ſecundùm virtutem ejus, qui omnia ſibi ſubjicere poteſt. Et ſanè non ſine tripudio quodam cœleſti legimus ſententiam illam Preſbyteri Apocalyptici de ſanctis: *Hi ſunt, qui venerunt ex calamitate magnâ & ſtolas ſuas laverunt & dealbârunt ſtolas ſuas in ſanguine agni. Quapropter & jam ſunt coram throno DEI & ſerviunt ipſi diu noctuque in templo ejus & qui ſedet in throno, habitabit ſuper ipſos. Non eſurient ampliùs, non ſitient amplius neque cadet ſuper eos ſol neque omnis æſtus, quoniam agnus circa medium throni eos paſcet & ducet eos ad* fontes

Digitized by Google

fontes vivos aquarum, *& abſterget DEUS omnes lachrymas ab oculis eorum.* Sed quò delabimur, quibus hîc non ſaltem de παραλληλίᾳ illâ, quæ inter Chriſtum & fideles eſt & juxta quam Chriſtus in ipſis ſeſe effigiat, ſed vel maximè de ἀσκήσει Chriſtianâ, quâ ad vitam Salvatoris noſtri noſtram quoque converſationem componimus, quæſtio eſſe debet. Quàm verò prolixus jam eſt, qui hîc ſeſe nobis oſtendit, *differendi* campus, aſt quàm *prolixus* & eſt jam hic ipſe, quem ſic inimus, *agendi* campus! Præſtantiſſimarum quippe virtutum perfectò in Chriſto lumine ſplendentium chorus & concatenatus ordo heic ſeſe deoſculandum nobis ſiſtit. Mitem vides Salvatorem optimum, manſuetum, humilem, patientem, miſericordem, benignum, beneficum, humanum, pium, ſincerum, ſimplicem, pacificum, obedientem uſque ad mortem, imò mortem crucis, juſtum, conſtantem, fortem, amoris, quo mundum, quo ſuos amplexus eſt, tenerrimì & zeli pro gloriâ Patris ſui pleniſſimum ſanctiſſimumque eundem, talem &, qui nunquàm peccatum fecit & in cujus ore dolus haud inventus eſt. Eja, diſce jam ab ipſo, o mi, & in eandem converſationis rationem tranſi & tantas virtutes jugiter imitare & in ſpeculo vitæ Chriſti te ſine intermiſſione intuere & vide, quid in te emendandum, quid in te corrigendum, quid demendum heic, quid

adden-

Digitized by Google

addendum ibi, quid in converſatione tuâ heic & nunc aliter apud te inflectendum ſit. Et velim omninò jam, ut vita Salvatoris tui ille tuus ſit, ad quem te componas, decalogus, utque, omni induſtriâ (non verò niſu iſto legali, quem ſemper ſequeſtratum volumus,) adhibitâ prorſus heic, quoad ejus in hâc mundi imperfectione fieri poteſt & quouſque illa gratiæ menſura, quâ floremus, it, Salvatori non quidem in operibus mediatoriis & θεανδρικοῖς heroiciſque illis, quod non requiritur, ſed in iis, quæ conveniunt, ſimilis evadas atque ita EXERCITIO BONORUM OPERUM jugiter fulgeas. Ultimum denique, quod poſuimus, ἀσκήσεως Chriſtianæ caput eſt commercium illud beatiſſimum, quo ſuavi quodam & perpetuo nexu cum Domino unimur, quo omnia deſideria, quæ fundimus, omnes ideæ, quas formamus, omnia verba, quæ è labiis noſtris effugiunt, omnes actiones noſtræ ſanctificantur nec hactenus noſtræ ſed DEI ſunt, quo non nos amplius ſed JESUS CHRISTUS in nobis vivit & eſt & agit, quo indeſinenter cum tanto Salvatore, qui noſtra ſalus eſt, converſamur, confabulamur, deliberamus, atque in ejuſdem continua oſcula medias & inter mundi hujus calamitates ruimus, quo apud nos florente Satanæ, quibus nos impetit, & mundi & carnis tela quævis facile diffluunt, & cor purgatur & mens illuminatur & ſapientiâ quâdam ſpirituali prudentiâque præſtantiſſimâ reple-

Digitized by Google

repletur, quæ & converſationi dein noſtræ ampliſſimam quandam gloriam adſpergit, quo apud nos utramque paginam faciente id quidem præcipuum noſtrum eſt, quòd in jucunda illa & jugi DEI, qui dominii ſpiritualis thronum in corde noſtro occupat, contemplatione ſuaviter acquieſcimus atque ipſo, non quidem ſenſuali ſemper modo, ubi venæ noſtræ titillentur & ſanguis in præcordiis agitetur, ſed vel maximè, hoc enim longè præſtantius eſt, mira quadam animi ex amore divino patientis tranquillitate imbuti fruimur. Jam hæc omnia ſinè precibus & ſine amore fieri non poſſunt. Preces autem illæ, de quibus loquimur, quid quæſo ſunt aliud, quàm iſta cum DEO confabulatio, commercium illud continuum & intimum & mentale, de quo jam diſſerimus. Ex quo & quivis jam conſpicere habet, quàm jejunum illud & frigidum ſit, ubi exiſtimatur, preces in externa verborum ad DEUM, extra nos quaſi ſic agentem, directorum prolatione CERTISque ſaltem FORMULIS, quæ tamen propter infirmos & ad conformitatem cultûs externi, quæ neceſſaria eſt, ſtabiliendam & quoniam ipſe Saltor orationis Dominicæ formulam diſcipulis ſuis commendavit, rejici prorſus non poſſunt, ſi ſaltem operi operato omnibus viribus heic reſiſtatur, ſi ſaltem mens in externa exercitia haud *diffluat* virtutemque ſuam intus ſervet, quod nonniſi per Chriſtianiſmum aſceticum & practicum, quem commendamus, fieri

fieri poteſt, conſiſtere, cùm veræ preces deſideria pectoris noſtri ab ipſo DEO infuſa & amica iſta cum DEO confabulatio ſint, eaque continua & fruitiva,qua Chriſtiani florent. Cæterùm utique & in nomine JESU CHRISTI tùm oramus, ubi virtute ejus & præcepto & ſpiritu & vita, quæ in nobis ſplendet, animati oramus & ex ejus meritis ſolis ſalvari cupimus & ad ejus gloriam omnia noſtra dirigimus, & rectè quoque dein facimus, ſi ſpiritualia, neceſſaria illa, abſolutâ prece ab ipſo expetimus &, quæ alia ſunt, corporalia nempe & externa aut chariſmata penitus directioni ejus relinquimus & tradimus inque voluntate ejus, quæ ſemper optima nobiſque ſaluberrima erit, penitùs adquieſcimus. Maximè verò commercium illud ſpirituale, quo cum Domino unimur, in jugi ejuſdem intimoque amore conſiſtit, ubi eum ſuper omnia & omnibus viribus noſtris, omni virtute noſtra, omni facultate noſtra prorſus adamamus atque in poſſeſſione tanti boni, quod ſummum utique eſt, quod excogitari poſſit, ſuaviſſimè & jucundiſſimè adquieſcimus. Et profectò purus hîc amor noſter eſt, non mercenarius. Miraque eſt hæc quæſtio, quam Viri præſtantiſſimi formant: num DEUM propter vitam æternam amare liceat. Ignoratur profectò heic id ipſum, quod quæritur. Quid eſt, dic quæſo mihi ſodes, vita illa æterna, de qua quæris anxius & ſolicitus, num propter

propter illam DEUM adamare liceat? Nonne reſpondebis, qui ſapis, vitam æternam fruitionem & ſenſum DEI immediatum eumque jucundiſſimum & perpetuum imò IPSUM DEUM eſſe. Si verò jam res ita ſeſe habeat, jam tota quæſtio in fumum abit, quæ hæc eſt: Num DEUM propter DEUM amare liceat? Quidni? mi bone! Hic ipſe ille amor purus eſt, quo Chriſtianus floret, qui certè propter bona alia externa & corporalia DEUM non amat ſed in DEO ipſo tanquàm in centro ſuo ſuaviſſimè adquieſcit & extra centrum id nullus unquàm vagatur nec, quæ extra DEUM ſunt, niſi propter DEUM amat atque amori ita divivino, qui ipſa animæ ſalus & beatitudo eſt, totus, quantus quantus eſt, penitùs & prorſus immergitur. Sed hæc quidem de ἀσκήσει Chriſtianâ, in quâ utique verus Chriſtianiſmus conſiſtit, deque generalibus ejuſdem officiis jam ſufficiant.

SECTIO QUINTA.

REſtat, ut ad ſpecialiora jam pro brevitate inſtituti noſtri deſcendamus atque officia Chriſtianorum virtuteſque iiſdem correſpondentes primis ſaltem labiis, (ad finem quippe jam nobis properandum eſt,) degu-

deguſtemus atque ad ea, quæ heic enarranda eſſe videntur, digitum ſaltem quendam intendamus. Quod verò dum facere conamur, de legibus primùm inſtituenda, ut arbitror, foret tractatio. Etſi enim Spiritus ille ſanctior, qui in cordibus renatorum floret, etſi inquam Spiritus ille ſanctior per nullam legem agat ſed nativum quendam ardorem animæ affundat, quo macta illa non poſſit non bonum facere atque in omni bono opere exuberare, ita tamen fieri ſolet, ut in Theologiæ moralis tractatione & opera Chriſtianorum externa ad legem divinam exigantur, non quòd lex ſpirituale quid in homine operari valeat; ſed quòd Spiritus, quæcunque opera in homine is efficit, ad menſuram & regulam legis divinæ ea ſemper inflectit. Aſt quid quæſo de lege divina prolixam jam diſquiſitionem inſtitueremus, qui hoc argumentum in inſtitutionibus dogmaticis jam ſatis ſuperque evolvimus? Itaque mox ſtatim ad rem ipſam propius accedimus. Quod ubi facimus, vel duobus ſaltem verbis vitia illa hominum naturalium, quibus officia Chriſtianiſmi oppoſita ſunt, memoramus. Sunt verò ea vel intellectus vel voluntatis. In intellectu hominum naturalium videas ſpiſſas, queis involvuntur, tenebras, cæcitatem miram, oculos ſuffuſione totos obductos atque velamentis conſtrictos & ligatos, præjudicia carnalia hæreſeſque practicas, quæ utramque

que heic paginam faciunt, pertinaciam errorum veterum, quæ tolli neſcit, ſummam intelligendi ſpiritualia impotentiam tùm quoad ſimplicem idearum adprehenſionem, tùm quoad earùm combinationem, denique horrendam in determinandâ Chriſtianiſmi indole principiiſque religionis decidendis ſtultitiam doctrinæque falſiſſimæ & jejunæ frigidiſſimum ſyſtema, cum ambitione quâdam, quâ iſtiuſmodi homines neſciò quam ſcientiam ſpiritualem ſecuti ſibi imaginantur, conjunctum. Quin & apud eos, qui ſpirituali quodam lumine & ſubinde florent atque jam in involuto animi ſtatu verſantur, videre eſt ejuſmodi phantaſiæ morbos, ubi miſeri homines lumine quodam fanatico & erratico, quod tamen magni omninò æſtimant, imbuuntur plurimùmque decipiuntur. Pertinet & ad vitia intellectus ignorantia illa ſpiritualis, quæ profectò & eruditorum, qui tamen ultra vulgus heic ſapere ſe putant, omniumque eorum, qui vitâ ſpirituali carent, pectora occupat. Pertinet denique & hùc conſcientia probabilis, erronea, dubia & ſcrupuloſa, de quâ alibi diſquiri videas. De vitiis voluntatis pauca hæc habe: præcipua quidem vitia eſſe tria illa, ad quæ cætera omnia referre poſſis & quæ impietati & philavtiæ tanquàm talo ſuo innituntur, voluptatem ſenſualem, ambitionem & avaritiam, unde deinde & ex primâ quidem intemperantia, laſcivia, pigritia & prodigalitas, ex

ſecunda jactantia, hypocriſis, fraudulentia & mentitio, iracundia, crudelitas, odium, pugnacitas, invidia, calumniandi & vindictæ cupido, infidelitas, implacabilitas & pertinacia, ex tertia injuſtitia, immiſericordia & ſordities profluunt. Vitia decori ſunt maximè converſatio inſulſa & ruſtica, cujus rationes jam evolvere non opus eſt. Jam his præmiſſis dicimus, officia Chriſtianorum in tria ferè genera dividi poſſe. Vel enim DEUM illa, vel hominem ipſum vel proximum reſpiciunt. Officia erga DEUM exhaurit amor ille ſupremus, quem tanto Numini, quem præſtantiſſimo ENTI, quem Creatori, Redemtori, Sanctificatori & Salvatori noſtro debemus, ubi hoc vel maximè notandum venit, amorem hunc & officium noſtrum & præmium noſtrum, quod majus à DEO noſtro deſtinari nobis nequit, eſſe. Jam enim hic amor fruitio DEI & intima cum illo unio eſt. Neminem verò amare poſſum, quem prius haud cognoverim. Hinc, licet vel maximè vera illa DEI cognitio ſit contemplatio illa myſtica, qua DEUM in nobis ſentimus, tamen ante omnia ſolida & recta de DEO ſentire nos oportet. Itaque operam velim jam des, o homo, ut lumen tuum concreatum, quod naturæ eſt, evolvas ritè & excolas & ſerves, & quàm mirabilis quoque in regno naturæ, quàm & benignus DEUS ſit, jugiter conſideres, & lumine revelationis dein heic ita utare, ne eo abutare. De eſſentia, de attributis divinis

Digitized by Google

nis ſubtiliter ne diſputes, alta hæc ſunt, quorum theoria ad futurum ævum non ad præſens ſpectat. Id verò, ubi de DEO loqueris, vel maxime age, ut gloriam ejus, ut ſapientiam, ut bonitatem, ut ſanctitatem, ut juſtitiam, ut excellentiam ejus evehas talemque DEI ideam in animo tuo aliorumque formes, quæ primo ſtatim ſui obtutu maximam venerationem ENTIS HUJUS longe præſtantiſſimi contemplanti infundat. Dein verò in divinorum operum creationis, conſervationis, miraculorum, caſuum particularium, qui & tibi contigere, conſiderationem, maxime verò in ſummi operis illius, quod reparatio generis humani eſt, evolutionem deſcende & admirabundus præſtantiſſima hæc ſapientiæ & potentiæ & bonitatis DEI ſpecimina exoſculare. Denique verò & quid tibi, quem tamen ſanctiſſimi Numinis gloria jam circumfundit & in DEI venerationem amoremque rapit, agendum ſit, conſidera. Scilicet, colendum, venerandum & cultu pectoris humillimo, qualis ſubmiſſior cogitari neſcit, tùm interno tùm externo h. e. adoratione & obſequio ſummo planeque perfectiſſimo proſequendum, deamandum & exoſculandum DEUM illum eſſe, qui & hunc cultum excellentiâ ſuâ mereatur & jure quodam ſuo planè perfectiſſimo, ut Creator, Redemtor, ut Sanctificator, ut Salvator eundem à te expoſcat. Omni enim modo ipſius peculium ſic es. At verè cultus hic

Digitized by Google

& internus & externus eſſe debet. Internus veneratione, amore, obſequio eoque abſoluto, quo ſoli DEO dominium in corde noſtro relinquimus, fiduciaque, quâ penitus in ipſum recumbimus ipſique confidimus, abſolvitur. Externus cultus conſiſtit tùm in præſtantiæ & virtutum divinarum prædicatione precibuſque, quas fundimus, tùm ad laudandum eum gratiasque ipſi agendas, tùm ad bona ab ipſo expetenda malaque deprecanda, tùm ad cordium noſtrorum reſipiſcentiam ipſi demonſtrandam veniamque ab ipſo obtinendam, ubi verò & notandum, pertinere quoque hùc cultum iſtum publicum, quo DEUM in cœtu proſequimur atque externo quoque geſtu præſentiam ipſius nobis penitiorem heic repræſentantes venerabundum animum noſtrum ipſi teſtatum facimus, non ad determinatum quendam locum obtutus noſtros & corporis habitudines dirigendo, id quod illicò idololatriam quandam ſaperet, ſed indefinitè ſine ullâ præciſione ad locum hunc individuum determinatione cultum hunc noſtrum externum inflectendo. Ex quo judicare eſt, quid ſentiendum ſit de diſtinctionibus iſtis cultus latriæ, hyperduliæ & duliæ, quæ Græcis, quæ Romanenſibus, quæ & Antitrinitariis familiaris eſt at in ſacris literis & ſana antiquitate, ubi cultus duliæ cultum maximè civilem dicit, haud conſpicitur, quid & de cultu hoſtiæ conſecratæ, ſanctorum, reliquiarum & imaginum apud Græcos & Romanenſes dici debeat,

Digitized by Google

beat, quæ verò omnia ad Theologiam polemicam cùm ſpectent, heic evolvi non poſſunt, quam ob rem & de invocatione ſanctorum apud Græcos itidem & Romanenſes uſitatâ jam nihil planè dicemus, maximè, cùm ajant, ſe ſanctos non ut propitiatores ſed ut nudos intercеſſores invocare, etſi proteſtatio hæc facto ſit contraria atque hæc quoque invocatio demortuorum nullo ſacræ ſcripturæ fundamento nitatur & ſanæ quoque rationi haud congruat, cùm, quæ in terris agantur, ſancti ob defectum ordinariæ revelationis, ſive per DEUM ſive per Angelos quæ contingere ipſis poſſet, ut plurimùm certè neſciant. De juramentis quoque ut duo ſaltem verba hîc inſpergantur, poſcit ordo, ubi notandum, haud profectò temerè jurandum & ſi juretur, accedente & rei novâ obligatione, juramentum omninò ſervandum, nec per creaturas prorſus jurandum nec per DEUM etiam privatim jurandum eſſe, quæ omnia jam, ſi brevitas inſtituti id pateretur, cùm maximè hîc diducenda & quòd juramenta & in Novo Teſtamento licita ſint, oſtendendum contra diſſentientes eſſet, id quod tamen & ipſum ad Theologiam polemicam ſpectat, ubi & occurrunt argumenta de votis & conſiliis evangelicis, quæ tantoperè in Eccleſia Romana evehuntur. Paucis ut nos abſolvamus, ſciendum, vota deliberata de re licita & poſſibili, quæ & nulli falſo præjudicio, nulli ſuperſtitioni ſuperſtructa ſint, ſervanda eſſe. Jam cùm cælibatus, paupertatis

pertatis & obedientiæ cæcæ vota ita comparata ſint, ut ſuperſtitionem oleant praviſque circumſtantiis communiter involvantur, facile jam patet, illa ipſo facto nulla eſſe, etſi nulli dubitemus, ea gratiæ divinæ miraculo quodam & cordis ſinceri ac ſimplicis beatique affuſione ſanctificari per accidens poſſe. De conſiliis evangelicis id tenendum, in genere inſulſum oppidò id eſſe, ſi dixeris, hominem plus facere poſſe operum ſanctiorum, quàm quod DEUS in lege ſua poſtulaverit. Jejunum hoc eſt & falſum. Cùm enim lex amorem DEI ſuper omnia & ex omni VALDE noſtro à nobis requirat, claret, ultra iri non poſſe. Aſt applicatio officii generalis ad officia ſpecialiſſima cùm omnis in lege ſcripta facta non ſit, pro ratione circumſtantiarum fieri utique ab homine præter ſcripturam & rectè fieri illa poteſt, ſed ſi quidem ita determinetur, tamen ſupererogationis opus haud eſt. Poſtremum, quod huic argumento addere convenit, eſt fortitudo illa Chriſtiana & zelus, quem in prædicanda, defendenda & propaganda vera doctrina & vero cultu, uno verbo, vera religione uſque ad ſummarum calamitatum perpeſſionem ſanguiniſque fuſionem quivis oſtendere neceſſum habet. Mirum verò eſt, quod in diebus hiſce, quos jam agimus, in ultima hac mundi fæce amor divinus tantoperè ubique exulet omniumque pectora frigore quodam ac gelu obſita jam ſint. Ubi verò, quæſo, ubi jam deliteſcis & in quæ, ſodes, antra ſeceſſiſti, o divine

Digitized by Google

o divine ardor ille, qui in ſanguine veterum Chriſtianorum bulliebas? Ubi quæſo, ubi delitescis, qui in Reformatorum noſtrorum animis tàm luculentus adhucdum eras? Reprehendentem profectò nos & objurgantem quiſque hic in ſe ſentit Spiritum ſanctiorem: *Habeo contra te, quòd amorem primum reliqueris. Itaque memento, unde cecideris & reſipiſce & prima opera fac. Quod niſi fiat, venio ecce ego tibi citò & movebo candelabrum tuum è loco ſuo, niſi reſipueris.* Qui itaque cunque hæc legit, eum rogaverim jam, ut pectus ipſe ſuum inſpiciat, ut, quis & quantus DEI amor in illo habitet, quæ & quanta & qualis (de amore enim ſectario planè jam non loquor nec eum cuiquam commendo) veræ religionis verique cultus amor in venis ſuis bulliat, perſpiciat, ut & ex ſemet ipſo pauliſper quærat, num in tempore calamitatum, num in tempore perſecutionis DEO fidelis permanere velit, vel credat, ſe ita permanſurum? Quod utique ſi quis apud ſe ita conſtituerit, opus eſt, ut theſaurum quendam egregium fortitudinis Chriſtianæ ſibi colligat eumque in pectore ſuo recondat, ut, ubi mala horula advenerit, reſiſtere & omnibus probè peractis ſtare poſſit. Hæc verò fortitudo, hic theſaurus, quid quæſo aliud eſt, quàm DEI amor & ſenſus ille intimus ſuaviſſimuſque DEI, qui omnes mundi hujus ſuavitates miris modis excedit. Hujus ſi MAGNUM GRADUM,

Digitized by Google

quem DEUS largitur, ubi promta, ubi ſincera reſolutione eum petimus, poſſideamus, facile nobis martyrium erit. Sic enim profectò ſupervincimus PER eum, qui nos amat, hoc eſt, qui dulciſſimo amoris ſui ſuaviſſimi rore pectus noſtrum perfundit, certique omninò eſſe poſſumus, quòd neque vita neque dominationes neque virtutes neque præſentia neque futura neque altitudo neque profunditas aut ulla alia creatura poſſit nos ſejungere ab amore DEI, qui eſt in Chriſto Jeſu, Domino noſtro. Officia, quæ erga ſe obſervare habet Chriſtianus, facilè quoque patent. Præcipuum id eſt, quod hoc loco ante omnia alia notari meretur, ut ſeipſum ad Dominum convertat & ſalvet. Sana hæc eſt, quam heic exercueris, o mi, philavtia, ubi amor ſui ſic jugulatur atque pedibus conculcatur, ut DEUS ſit omnia in nobis, nos nihil, qui ſanè & nihil ſumus & demùm, uti Vir quidam divinus alicubi dicit, per converſionem ALIQUID evadimus in prædicationem gloriæ ejus. Itaque primum jam officium hominis erga ſe ipſum hoc eſto: ANNIHILA TE IPSUM. Alterum hoc: TRADE TE TOTUM DEO cum omni eo, quod ad te pertinet, omnibus tuis facultatibus, intellectionibus, deſideriis, volitionibus & operationibus, DEUSque in te SOLUS ut agat, patere. Ita verò eris profectò temperans caſtiſſimuſque, ita facile evitabis quæcunque, quæ hominum laſcivia & corruptio horrenda heic excogitavit,

&

Digitized by Google

& quæ nec nominabimus jam, nefanda enim ſunt, turpia ſunt, ita profectò in cibo (cujus exceſſus utplurimùm pro peccato non reputatur,) & potu eris moderatior, ita & jejuniis ſed non ſuperſtitioſis illis & coactis, ita vigiliis, ita precibus, ita abſtinentiæ haud parvam affundes operam, ita in caſu illo, ubi quæritur, num defenſio ſui ſuſcipienda jam, num vita pro fratribus jam fundenda ſit, facilè, quid agendum ſit, ſtatim, DEO cor tuum tangente, perſpicies; ita profectò & injuſſu DEI migrare ex hoc vitæ ergaſtulo nunquàm tentabis, & quæ alia ſunt. Officia denique erga alios ſunt vel generalia vel ſpecialia. Generalia ſunt virtutes illæ, quas paucis nominamus, ſincerus erga proximum amor, tùm communis, quo & inimicos ſincerè complectimur, tùm fraternus, ſinceritas, humilitas, patientia, manſuetudo, pacis ſtudium, modeſtia, benevolentia & beneficentia, parſimonia, miſericordia, juſtitia, diligentia, fortitudo, generoſitas, conſtantia, zelus, lætitia, ob bona proximi quæ in me creatur, obedientia, taciturnitas, veritas, fidelitas, honeſtas, bonitas, gravitas, prudentia, humanitas atque civilitas, quo in catalogo jam & officia decori, quod ſanè apud Chriſtianos eſt longè præſtantiſſimum, ſic recenſita videas. Accedunt deinde officia ſpecialia conjugum, parentum & liberorum, dominorum & ſervorum, imperantium & parentium, doctorum & auditorum in cœtu eccleſiaſtico & quæ alia ſunt,

heic ob brevitatem inſtituti, quâ coarctamur, haud tangenda, ubi ſanè evolvi velim, ut defectus heic adparens ſuppleatur, inſtitutiones Theologiæ moralis, egregias planè, quas celeberrimus BUDDEUS conſcripſit. Unicum id heic memoraverim, virtutes illas non ex niſu & conatu naturali ſed ex gratiæ bonoque cordis converſi & divino Spiritu imbuti fundo proficiſci debere, ſi veritatis luce fulgere velint. Pertinent etiam hùc quæſtiones illæ de magiſtratu, de bello, de pœnis capitalibus, de uſuris, de injuriarum patientiâ, num quippe magiſtratum & bellum gerere & pœnas capitales irrogare & uſuras exigere vel accipere liceat & injurias quaſvis ſine ullâ defenſione pati quis debeat. Pertinet & hùc tota Decalogi evolutio, ubi vel maximè ſenſus ejuſdem ſpiritualis ex *Matth.* V. aliiſque præſtantiſſimis veteris novique teſtamenti locis evolvendus eſſet. Sed hæc quidem jam ut agamus, limites, quos nobis præfiximus, quibus calamus vel tandem hîc ſeponendus eſt, haud patiuntur. De officiis ſummorum Imperantium circa ſacra deque officio & prudentiâ Paſtorali quæ monenda & dicenda ſunt, ſatis & jam alibi tetigimus, hùc omninò jam transferenda. Id unum eſt, quod jam vel tribus ſaltem adjicimus, vel maximè quoque hoc miniſtris Eccleſiæ incumbere, ut confeſſionem, quæ in cœtu quodam viget, e. g. ſymbola iſta, queis fidem noſtram declaramus, ut formulas precum e. g. orationem dominicam & omnes planè, quæ obtinent,

Digitized by Google

nent, formulas & liturgias, ut decalogum cùm maximè aliaque hùc pertinentia quâvis datâ occaſione tùm in catechiſmis tùm in ſermonibus eccleſiaſticis tùm privatâ operâ probè & ſolidè explicent ſenſumque eorundem clarè & perſpicuè & ad ædificationem auditorum oſtendant, hancque generalem officii ſui paſtoralis regulam eſſe jubeant: ÆDIFICATIO REGNI CHRISTI ET SALUS ANIMARUM SUPREMA LEX ESTO. Quæ ipſa ut obtineantur, id vel maximè neceſſarium eſt, ut, JUGULATO OPERATO, quod omnia perdit, OPERE hominibus oſtendatur, quî ipſi cultum externum & cærimonias iſtas externas, queis operam ii in hoc cœtu, in quo ſunt, adſpergere habent, ad plantationem & formationem interni Chriſtianiſmi uti poſſint & debeant. Sed heic quidem jam calamum ſeponimus idque unicum ex ore ſanctiſſimi Salvatoris depromtum lectoribus noſtris dicimus. *Hæc ubi noveritis jam, beati eritis, ea ſi & FECERITIS. Non* enim *auditores legis*, ut Paulus ait, *juſti ſunt coram DEO, ſed FACTORES legis juſtificabuntur. Qui* verò, ita denique cum Johanne rivos hoſce morales claudimus, *injuſtus eſt, injuſtus ſit adhuc & qui impurus eſt, impurus ſit amplius. Qui vero juſtus eſt, juſtus ſit adhuc & qui ſanctus eſt, ſanctificetur adhuc. Et ecce,* inquit JESUS, *venio citò & merces mea mecum, UT DEM UNICUIQUE, PROUT OPUS EJUS ERIT.* Quàm ergò beatos nos atque iterum iterum-

iterumque felices, ſi illas, quas jam ſic collegimus, Theologiæ præſtantioris ideas in ſuccum noſtrum & ſanguinem convertamus &, quod in theoriâ heic deguſtavimus, in praxi jam eâ, quæ Chriſtianos, eâ, quæ Theologos decet, alacritate exequamur! Quàm, quæſo, ſolida, quàm accurata erit hæc Theologia noſtra, ſi, ubi in praxin, quæ ſola beata eſt, ſic nos diffuderimus, ea in ſenſu magis, quàm in verbis dein conſtiterit! Quàm denique maſculum hoc erit Theologiæ ſtudium, quàm inſigne idem & planè excellentiſſimum, quo nos primùm ipſi convertimur, futuri ſic & ad alios convertendos ſanctificandoſque poſtea idonei. Itaque quicunque hæc legimus, quicunque hæc ſalutis verba jam deguſtamus eaque in pectus noſtrum labi patimur, illicò, ſi placet, & ſine morâ eam nobis mentem, DEO favente, induamus, quæ nos in æternum felices & beatos reddat, hoc eſt, Domino nos docendos, informandos, mutandos, vertendos, ſanctificandos & ad voluntatem ejus prorſus flectendos tradamus, &, ubi in Spiritûs illius ſanctioris, qui ſolus genuinâ rerum ſcientiâ nos beare poteſt, ſcholâ edocti fuerimus, doctrinæ noſtræ rivos in Eccleſiæ dein egregium publicum ſic effundamus, ut doctrinæ vita, vitæ doctrina jugiter reſpondeat DEUSque ſic operibus noſtris, quibus & Eccleſiam haud vano ſtudio ædificemus, plurimùm & magnâ cum futuræ felicitatis mercede nobis olim conferendâ glorificetur.

Digitized by Google

877

APPENDIX THEOLOGIÆ MORALIS

SIVE

DISSERTATIO ASCETICA DE GUSTU SPIRITUALI,

QUO NATURAM A GRATIA DISTINGUIMUS,

QUAM

SUB PRÆSIDIO

CHRIST. MATTHÆI PFAFFII,

S. THEOL. DOCT. ET PROF.

PRO ROSTRIS TUBINGENSIBUS

DEFENDENDAM SUMSIT

M. JACOBUS FRIDERICUS DIEZ,

NAGOLDENSIS,

SACRARUM LITERARUM IN SEMINARIO THEOLOGICO TUBINGENSI STUDIOSUS.

Digitized by Google

Digitized by Google

ANTECESSIO.

QUi hactenus Theologiæ ferè omnis campos in librorum noſtrorum academicorum, quos communiter diſputationes vocant, ſcriptione pervolavimus & varios ex ſingulis, quos peragravimus, flores decerpſimus, jam tandem aliquando & in campum aſceticum, ſuaviſſimum illnm & planè aureum cæteriſque omnibus præferendum, cœlo utpote proximum, ſcandimus atque primarinm quoddam argnmentnm, quod heic nobis obvium occurrit, brevibus lineis atque coarctato in pauciſſimas obſervationes inſtituto enucleandum nobis ſumimus. Quid enim vel tandem præmii vel gratiæ ſanctioris (ita ſcilicet ſubinde nobiſcnm ipſimet ſermones fundere amamus) in nos ex alto defluet, ſi eruditione quâvis præditi & ornati incedamus, iſtud verò, quod præcipuum eſt atque omnium præſtantiſſimnm, quod medulla divinioris & ſanioris Theologiæ eſt, negligamus atque ſeponamus? Itaque ergò ea vel maximè enucleanda, evolvenda, tractanda, illuſtranda, docenda animiſque jugiter inſtillanda veniunt, quæ nobis ad

veram

veram ſolidamque Theologiæ notitiam impigro pede gradientibus IMMEDIATE COELUM GRATIAMQUE DEI, QUA UNICE BEAMUR, ADAPERIUNT. Quod cùm ita ſit, age, mi lector, &, quæ jam de naturæ & gratiæ diſcrimine ex guſtu rerum ſpirituali, quo Chriſtiani florent gaudentque, hauriendo heic tradita conſpicies, ſolidâ ſanctâque meditatione precibuſque luculenter adhibitis digere & in ædificationem tuam ſpiritualem promtus verte. TE verò, qui DONORUM COELESTIUM SOLUS DATOR CORDIUMQUE REX ES, JESU CHRISTE, oro quæſoque, ut lumine tuo mentibus noſtris, quæ tenebris profecto abique involvuntur, infuſo in intimis animorum noſtrorum medullis PER SPIRITUM TUUM, ſanctiſſimum illum, nos tangas atque hoc ipſo TACTU TUO, qui guſtum in nobis ſpiritualem generat, nos prorſus vertas illumque adeo nobis characterem, qui ſolus genuinus eſt & ſolidus lapiſque ille lydius, quo falſa à veris dignoſcere valemus, illum inquam nobis characterem dones, quo gratiam à naturâ luculenter diſtinguere atque ita ad ſpiritualem rerum δοκιμασίαν, ad ſpirituale noſtri aliorumque ſcrutinium apti reddi queamus. Amen.

§. I.

Digitized by Google

§. I.

JAm itaque, ubi evolvendo huic atque enarrando argumento, de cujus neceſſitate & præſtantiâ ſummâ non eſt, quòd multum præfemur, manus admovemus, id ante omnia præmonendum ducimus, nos ex proprio cordis fundo pro eo, quo cœleſtis Pater nos beat, ſpiritualium rerum ſenſu ſoliſque divinarum ſcripturarum theſauris heic in rem noſtram adapertis ea, quæ dicturi ſumus, depromturos eſſe. Non itaque eſt, quòd quis heic à nobis exſpectet, quæ eruditionem mundi hujus ſapiant. Etſi enim haud difficile nobis foret, ampliſſimas heic obſervationes ex Autoribus, qui argumentum hoc digeſſerunt, dare & magnum etiam eorum, qui illud excuſſere, indicem, qui ſanè ad manus nobis eſt, ex hiſtoria literaria quorumvis ſeculorum conglomerare, data tamen opera ab ejuſmodi tractatione heic abſtinemus atque jam, miſſis hiſce, ad rem ipſam alacres pergimus.

§. II.

Eſt verò, ſi originem rerum hîc ſequi aveamus, qui ſanè in omni tractatione, etiam aſcetica, neceſſarius eſt, primum id, quod faciendum, quod agendum nobis eſt, ut, quid *guſtus ſpiritualis*, quid *natura*, quid *gratia* ſit, paucis ſed claris, ſed perſpicuis verbis innuamus. *Guſtum ſpiritualem* ubi dicimus, eam mentis

Digitized by Google

noſtræ, per ſpiritum ſanctiorem ad DEUM verſæ atque virtute nova, ſanctificatrice illa, imbutæ renovatæque facultatem, eam qualitatem ſpiritualem deſignamus, qua vim divinam, qua DEUS, qua Spiritus S. in nos agit, qua operationem illam ſuavem jucundamque & potentem inſimul & vividam & peculiari planè tactu nos afficientem in intimis animi noſtri receſſibus clariſſimè ſentimus atque hac ratione ad diſcrimen, quod inter naturam & gratiam intercedit, faciendum ſpirituumque dijudicationem idonei reddimur. Quæ obſcura in hac definitione ſunt, clara mox evadent, ubi, quid *natura*, quid *gratia* ſit, ediſſeruerimus. Sub voce *natura* comprehendimus & facultatem illam intelligendi & volendi naturalem & motus illos quoſvis, qui in mente noſtra peraguntur, etiam virtuoſos illos atque ad legem compoſitos, quos, antequam per lumen iſtud novum, quod mediante verbo Evangelii nobis per Spiritum S. intus nos afficientem infunditur, antequam per virtutem illam novam, quam Spiritus idem ſanctior in converſione noſtra nobis adſpergit, nova eaque ſpirituali vita donamur, in animis noſtris ſentimus. Voce verò *gratiæ* deſignamus tùm ipſum illud lumen ipſamque vim illam, qua Spiritus S. cor noſtrum tangit, tùm illuminationem illam & volitiones motuſque illos ſpirituales, qui ex iſto lumine, ex iſta operatione Spiritûs S. effluunt, tùm denique & facultatem illam ſpiritualem, qua

Digitized by Google

quà ubi præditi ſumus, & cognoſcere ſpiritualia atque dijudicare valemus & ad bonum faciendum operaque ſpiritualia exerenda alacri ſtudio pergimus. Itaque & ipſe guſtus ſpiritualis ſub *gratiæ* nomine quoque latet, cùm nihil utique ille aliud ſit quàm ſpecies gratiæ ſive ſenſus ille ſpiritualis reflexus iſque habitualis, quo, quid in nobis peragatur, dijudicamus, &, divina nobis aura jugiter afflante, ſuper ſpiritualia illa munera, queis DEUS nos beat, queis DEUS nos ſatiat, oculo attento & vigili & ſereno reflectimus. 1. *Cor.* II. 12.

§. III.

His itaque præmiſſis definitionibus totus jam argumenti hujus campus nobis ſic patet. Scilicet, cùm ex ſenſu iſto ſpirituali, quem tùm primùm nanciſcimur, ubi regeneramur, unicè nobis conſtet, quid *gratia* ſit & quodnam inter naturam & gratiam diſcrimen, maximum illud atque planè inſigne verſetur, facile quivis, nobis jam tacentibus, hinc concludet, neminem, quid gratia ſit & quomodo ea à natura diſtinguatur, noſſe poſſe, quàm qui ſenſum hunc ſpiritualem per regenerationem acceperit. Non itaque eſt, quòd multum quæritès & anxius ex me interroges, quiſnam ſit præcipuus ille character, quo natura à gratia diſtingui poſſit? Senſus, inquam, ſpiritualis, quo qui deſtituitur, & charactere illo deſtituitur, quo naturam à gratia diſcernat. Res clarior evadit adducto ſimili. Si quæras ab eo, qui viſu gaudet, quiſnam ſit character ille, quo album à nigro, rubrum à viridi diſtinguat

& quo cognoſcat, hoc eſſe album, nigrum, viride? reſpondebit is in rem præſentem te deducendo monſtrabitque colores digitoque oſtendet, quinam illi ſint. Aſt hæc ut capias, oculis benè conſtitutis tibi opus eſt. Cæcus certè hic nihil capiet. Ita &, qui ſpirituali viſu, qui ſpirituali lumine, qui oculis ſpiritualibus deſtituitur, ignorabit unà cum ignariſſimis, quid ſit gratia. Aſt, qui viſu gaudet ſpirituali, nullo negotio hæc novit & tanquàm facilia facilè pervidet. Nec eſt, quòd dicas, ita ad ſpiritum privatum, ita ad lumen quoddam internum idque fanaticum homines adduci. Erraverit profectò, qui hoc ſomniaverit. Scilicet ſpiritus iſte, qui ſenſum iſtum ſpiritualem, qui guſtum illum nobis largitur, omnibus fidelibus eſt communis, lumenque hoc tàm non eſt fanaticum & imaginarium, ut ſine illo nulla realis & ſolida converſio conſiſtere poſſit & vel eapropter in nullam planè mali ſuſpicionem heic venit, quòd vel mediante iſta voluntatis divinæ manifeſtatione, quam ſanctiores literæ largiuntur, animis noſtris illabitur vel ſaltem à ſcripturis divinioribus nunquàm abludit. Itaque eſto jam hoc, ſine ſenſu ſpirituali, quid natura, quid gratia ſit, neminem nôſſe poſſe. Quod ſi ita ſe habet, certo certius quoque eſt, homines, qui in luto hujus mundi hærent & tenebris peccati undique circumfunduntur, hoc ipſum, quod præcipuum quoddam fidei fundamentum eſt, non capere nec intelligere,

Digitized by Google

gere, ſed quamvis genuinos etiam rerum terminos adhibeant, falſas tamen ideas animo concipere & vel maximè in applicatione errare, dum falſam fidem pro vera, falſam converſionem pro genuina, ſpectra virtutum pro veris virtutibus habent ac in ſtatu gratiæ ſe eſſe arbitrantur, ubi in ſtatu naturæ emortuum ipſorum cor peccatis dominantibus ubique involutum adhùc jacet. Ex quo ipſo facilè quivis conſpicere poteſt, quàm neceſſarium, quàm fundamentale, quàm præſtans, quàm egregium hoc ſit, genuinis heic principiis imbutum eſſe, queis verò nemo melius quàm ipſo rerum ſenſu & Spiritu ſancto Magiſtro hìc imbui poteſt.

§. IV.

Cæterùm, ſi plenius jam & luculentius heic informari amemus, dum de natura & gratia diſquiſitionem hanc inſtituimus, natura primùm nobis evolvenda venit ejuſdemque profundiſſima coruptio enucleanda ſolicitè atque ponderanda. Non verò eſt, qui melius, qui ſignificantius, ut ita loquamur, qui & clarius rem tradiderit Apoſtolo Paulo, qui ſtatum naturæ per ſtatum tenebrarum & mortis deſignat. Quemadmodum itaque nec tenebræ lucem gignere nec mortuus vitales exerere actiones poteſt, ita, quicquid ab homine ſpirituali vita nondum fulgente proficiſcitur, nonniſi naturale & jejunum eſt. Nec ſanè hìc de illis præciſè hominis nondum converſi operibus, de illis & motibus ejus internis loquimur,

qui manifeſtè à lege divina deviant & ex corrupto peccati fonte propullulant. Jam enim & actus moraliter bonos planèque eximios natura protrudere novit eoſque inſimul, quos DEUM laudare & remunerari ſubinde in hac vita novimus, qui & profectò hactenus DEO placent, quòd aliquatenus heic ipſius voluntas adimpletur. Reſtat enim & adhuc poſt lapſum in natura hominis bonitatis quidpiam reſtat, ſed quod ita involutum peccato eſt, ut in regno gratiæ planè attendi nonpoſſit niſi ut pædagogicum, quoniam ſalutare non eſt. Facias itaque, qui naturali virtuti inhias, opera moraliter bona, nunquàm ſane feceris opera ſalutaria, quæ ex puro fonte profluant. Etenim, qui ſpiritum nondum habent Judæ comm. 19. nec DEUM, nec ſe ipſos, nec viam, qua ad beatam vitam gradiendum eſt, nec, num ejuſmodi vita detur, nôrunt & affectibus ſuis pravis, voluptati, ambitioni, avaritiæ, ex quibus vitia quævis alia progignuntur, non ſervire non poſſunt. Sunt dein, qui ſubtilius, ſunt, qui craſſius, ſunt, qui his, ſunt, qui illis vitiis inhient. Et virtuoſiſſimi quivis nullum tamen cum DEO commercium penitius ineunt. Qui verò ejuſmodi ſanctiore commercio haud floret, quî is DEUM noſſe dici poſſit, haud capio. Noſſe enim DEUM & rectè noſſe non eſt emortuas quaſdam ideas de ipſius eſſentia, exiſtentia, attributis & præſtantia cerebro impreſſas habere, ſed ſenſu intimo tanti Numinis, tantæ bonitatis,

tantæ

Digitized by Google

tantæ miſericordiæ, tantæ ſanctitatis perfundi atque in hoc præſtantiæ omnis & felicitatis centro ſuaviter acquieſcere. Quod ipſum cùm apud homines naturales atque ψυχικὺς haud inveniatur, nec DEUM illi nôrunt, qui ſenſu ſaltem cognoſci amat & qui ita cognoſci amat, uti in gratiæ ſuæ regno is ſe hominibus & in verbo Evangelii & poſtea quoque intus in mentibus manifeſtum reddit. Uti verò DEUM non nôrunt, quicunque ſine commercio cum DEO, hoc eſt, ἄθεοι ἐν τῷ κόσμῳ vivunt, ita nec ſemet ipſos nôrunt. Crediſne, quæſo, ô homo, quicunque in animum tuum ipſe deſcendis &, quid rerum ibi agatur, perſpicis, te hoc cum peccati fomite, quo laboras, abs Domino creatum eſſe? Crediſne, illum, qui eſt ſanctiſſimus juſtiſſimuſque & optimus, illi peccandi neceſſitati te involviſſe, cui nunc miſer ſubjaces? Crediſne, eum eſſe mentis tuæ naturalem habitum, qui DEO placere poſſit? Tu profectò, qui DEUM non noſti, nec temet noſſe potes. Neſcis enim, quantum peccati virus, quanta errorum farrago, quanta pravarum cupiditatum copia, quantus affectuum malè compoſitorum furor te occupet, &, licet res prorſus ita ſe habeat, tamen ſemper tibi ipſe adularis præſtantiſſimamque tui ideam tibi ingeris, & vel tandem hæc tibi ponis principia, vel quòd, qui in externa crimina haud dilaberis, juſtus ſis, vel quòd DEUS, etiamſi nullum cum ipſo commercium

habeas, miſericors ille & bonus, in te puniendo ſeverus adeò exactuſque ſit haud exſtiturus: Aſt, ſi penitius te noſſe cupis, intra ſaltem in cor tuum & vide; quid per totum diem cogites, quid loquaris, quid agas, pervagare omnes vagationes, omnes cogitationes, omnes volitiones tuas, reflecte ſuper omnia, quæ nectis, ratiocinia & generalem tandem quandam concluſionem forma, quiſnam tuus in hoc mundo ſit primarius finis, quem converſationi tuæ, quem rebus tuis præfigas? iſne, ut creatori uniaris, iſne, ut ad beatam olim ſummi boni poſſeſſionem pervenias, iſne, ut ſimilis DEO, imitatione attributorum & virtutum divinarum, evadas & pravarum voluptatum tuarum triumphator exiſtas, vel potius is, ut carni tuæ ſervias, ut voluptatibus, ut ambitioni, ut avaritiæ inhies & quæ hujuſcemodi ſunt? Sed ad hanc quidem ſui ipſius inveſtigationem homo naturalis haud vadit eaque propter & ſuam ipſe corruptionem non novit, ſed, ubi de ſemet ipſo judicium ſubinde fert, ſemper profundè deſipit. Denique verò & viam, qua ad beatam vitam itur & num ejuſmodi detur vita, ignorant cum ignariſſimis homines extra ſtatum converſionis poſiti. Non verò jam de illis dicam, qui notitiâ Evangelii externâ tincti haud ſunt, quorum ſtatus utique longè miſerrimus heic eſt, ſed verba ſaltem faciam de iis, qui, ubi Evangelium ſonans audiunt, media in luce

luce cæcutiunt & auribus ſuis non audiunt, quià Evangelio non obediunt. Scilicet, quicquid de fide ſua, quam Evangelio adſpergant, dicant impii, vitæ beatæ & futuræ exiſtentiam prorſus illi haud credunt. Quamvis enim emortuam ejus ideam in cerebro maleſano circumgeſtent, quamvis etiam emortuum rebus aſſenſum hic affundant, tamen revera non credunt & pro certo atque indubitato habent, rem ita ſe habere & non aliter, propterea, quòd nullo lumine ſpirituali mediante id credunt, id quod ſolum vitam rebus dare atque cor vividè tangere poteſt. Jam enim, ſi prorſus crederent, eſſe poſt hoc ævum vitam quandam auream & planè nobiliſſimam præſtantiſſimamque, quâ DEUM, quâ bona optima, quâ felicitatem ineffabilem atque ex omni parte incomparabilem ii, qui certamen veræ fidei in his terris ritè decertaverint, poſſeſſuri ſint, ſi, inquam hoc prorſus crederent, tàm promtè ad apprehendenda iſta bona atque ad vertendam mentem ſuam converſationemque mutandam curſuri eſſent, ut nullam planè hic rebus moram interponerent, ſed illicò ordini illi, quem DEUS, ut heic ineamus, à nobis poſcit, hîc ſeſe ſubmitterent. Certum ſit itaque hoc, hominem ψυχικὸν, hominem naturalem nec DEUM, nec ſe, nec viam ſalutis, nec, num ejuſmodi quædam ſalus detur, noſſe, ſed in incerto heic vagari ſemper & fluctuare. Jam, ſi poſtmodum addideris iſtam affectuum malè compoſitorum

rum rabiem, ſi adjeceris pravas, quibus naturalis iſte homo ducitur & agitatur, conſuetudines, ſi denique præjudicia iſta carnalia, queis idem ſe involvit, conſideraveris & impotentiam quoque illam conſideraveris, quæ in homine ejuſmodi eſt, viriumque defectum, quæ ad amandum DEUM atque ad vincendos affectus pravos requiruntur, dices mecum vel tandem, hominem naturalem tenebris & morte ſpirituali totum, quantus quantus eſt, involutum atque à vitâ divinâ penitus alienum eſſe. Quo ipſo ſtatu quid miſerius, quâ ipſâ corruptione quid triſtius inveniri poſſit, utpote quæ æternarum calamitatum funem ſecum vehit, quivis facile comprehendit atque hanc miſeriam ſuam, hanc corruptionem acerbis lachrymis, ſi quidem ſapiat, deplorat profundiſſimaque ſic humilitate & paupertatis ſuæ ſpiritualis agnitione ſinceriſſimâ luculenter atque ita perfunditur, ut omnibus volitionum ſuarum nervis intenſis ex hoc perditionis & exitii pelago erui prorſus anhelet.

§. V.

Jam itaque, ubi ex hoc ſtatu, miſerrimo illo, exitus nobis gratiâ divinâ res noſtras in melius vertente affulget, nova quædam heic ſcena ſeſe pandit, quam paucis ſic deſcriptam damus. Et prima quidem, quæ nobis adfertur, mutatio in novi cujuſdam luminis repentina affuſione conſiſtit. Scilicet qui hactenus DEUM, qui te, qui viam ſalutis haud cognoveras,

veras, qui nonniſi tenebras ratiociniis & cogitationibus tuis quaſſeras, qui infinitis circa religionem dubiis mentem tuam vexaveras, qui voluptati tuæ, qui vitæ hujus commoditati, qui affectibus tuis inhiaveras, ubi mens quædam Domini tibi ſignificatur, radios repente quoſdam, qui in animum tuum jam illabuntur & quos nunquam antea expertus eras, qui & diluculum quoddam in tenebris iſtis, queis mens tua circumvolvitur, creant, non ſine voluptate quâdam, quæ heic tibi adſpergitur, ſentis. Quod ipſum diluculum, licet hactenus diluculum ſaltem ſit, id tamen ſtatim, quod præcipuum eſt, tibi manifeſtum perſpicuumque reddit, nempe, profundiſſimam eſſe & periculoſiſſimam corruptionem cariemque illam, quæ pectus tuum inde à longo tempore aduſſerit, exſtare in anima tua perditionis horrendæ, quæ in peccatorum dominantium catena conſiſtat, pelagus quoddam eoſque impietatum & nequitiæ omnis gurgites, qui in Avernum te prorſus detrudant penituſque deglutiant. Atque hæc omnia tibi ita heic deteguntur, ut anxietas quædam mox præcordia tua agitare incipiat, qua fractus animæ tuæ periculum ſummum perſpicias, ut pudor hîc tibi ſubnaſcatur, quo ſuffuſus te DEUM, veræ vitæ ſcaturiginem ex profundo quodam cordis tui delirio hactenùs neglexiſſe fatearis, ut turbæ quædam hîc mentem tuam invadant, queis motus te hoc in ſtatu perſeverare prorſus

nec

nec velle nec poſſe illicò ajas, ut etiam ſine morâ deſiderium hîc quoddam tibi ſubnaſcatur, ex periculis hiſce evadendi vitamque, quæ tibi affertur, præſtantiorem apprehendendi. Jam enim, ubi iſta corruptio tua in intimis mentis tuæ receſſibus revelatur, illicò benignus, qui in cœlis eſt, miſericordiarum Pater amoris ſui, quo luculento admodùm te proſequitur, bonitatiſque ſuæ viſcera tibi pandit atque diſtendit gratiæque ſuæ ampliſſimos fontes tibi benignus adſpergit, queis ſitis tua, qua anhelans, hiantibus pectoris aduſti faucibus, rorem divinum excipere aves, reſtingui poſſit. Et jam haud dici poteſt, quàm ſuavis ſummæ virtutis influxus, quàm jucunda mentis tuæ commotio, quàm largus diviniſſimæ dulcedinis imber rebus euſque jam vergentibus tibi affluat. Scilicet hîc demùm tactus ille ſacer, hîc demùm præſtantiſſima illa vis divina tibi allabitur, quæ novam tibi vitam infundit, quæ miſſis tenebris novam tibi plenioremque lucem adſpergit, quæ totum te vertit, regenerat, mutat atque transformat, hîc demùm guſtus ille ſpiritualis tibi inditur, quo mactus Spirituque ſanctiore donatus noſſe potes, quid tibi à Domino DEO tuo, cum quo jam commercium tàm jucundum tàmque dulce inire incipis, datum ſit. Vix verò dici, vix exprimi poteſt, quanta jam lætitia animum tuum mentemque occupet, ubi in tàm beatum rerum tuarum ſtatum ipſe jam terque quater-

quaterque beatus deduceris. Jam enim priores tenebras tuas, queis obvolvebare, jam priſtinas voluptates tuas, queis inhiabas, jam falſum illud & erraticum lumen, cui miſer fidebas, jam falſum illum guſtum, quo te miſer hactenus fallebas, condemnas ipſe &, ubi meliora jam adinveniſti, ubi dolum peccati obſervaſti, ubi margaritam illam cœleſtem, quam JESUS Salvator juſtitiæ præſtantiſſimæ affuſione tibi donat, adinveniſti, penitus te gratiæ divinæ theſauris hiſce inebrias atque è fonte cœleſti vitæ aquam hauris gratis. Tanta verò hîc menti tuæ mutatio contingit, quanta vix cogitari aut exprimi poteſt, quæ certè in te NOVA OMNIA FACIT, quæ NOVO SPIRITU, quæ NOVA VITA te donat, quæ omni ſpirituali pigritiâ ſecedere & in malam rem abire juſſâ mirâ alacritate te perfundit, quæ venas tuas ſpirituales ſuavi quodam motu ſine intermiſſione ſalire jubet, quæ & creſcit quotidiè & nova indies augmenta ſumit. Præcipuum id eſt atque planè inſigne & egregium, quòd, qui tibi antea relictus eras, jam in commercium cum DEO ENTE SUMMO & cum JESU CHRISTO intras, qui jam per Spiritum adoptionis, quo te beat, & in catalogum ſuorum te refert & in te vivit, ita ut tu cum voluptatibus tuis, queis jam nuncium ſincerum miſiſti, non amplius vivas, ſed quicquid vivis, DEO & Chriſto vivas, cujus vita omnium virtutum ſanctiorum exercitio

exercitio ornata miro cum ſplendore in te ſic effloreſcit. Quæ omnia cùm ita prorſus ſe habeant, omnino patet, mutationem hanc non eſſe actum quendam tranſeuntem, qui facile, qui ſæpius repeti poſſit, ſi ſaltem tantiſper mentis tuæ ideas & naturalibus quidem viribus, ut fieri ſolet, immutaveris. Putant quippe miſeri homines & terque quaterque atque in infinitum miſeri, ſe, quotieſcunque abſolutionem ſibi repeti curant, ubi ſanctioribus tantiſper cogitationibus indulgeant, & converſionem ſuam & reſipiſcentiam ſuam ſic repetere. Scilicet, qui ita ſecum reputant, eo ipſo oſtendunt, ſeſe, quid converſio ſit, non nôſſe & naturam cum gratia nefando & pernicioſiſſimo planè ſolœciſmo confundere. Quod reſtat, prorſus hoc notandum & ſolicitè repetendum ſemper venit, in converſione hâc & mutatione hominis ſpirituali novas ipſi vires, novas ipſi volitiones habituales, novum ipſi idque rurſus habituale lumen, maximè verò GUSTUM illum SPIRITUALEM infundi, quo vocem Domini ſui à voce mundi & carnis, ubi etiam hæc ipſa in Angelos lucis ſeſe transformaverint, hypocriſin à veritate, lumen erraticum à vero, falſum ſenſum à vero, tùm in ſe, tùm in aliis diſtinguere, adeoque & ſpiritus probare poſſit, etſi & hoc, ſi in eminenti quodam gradu in nobis conſpicitur, peculiare quoddam chariſma dein ſit, quod vitæ noſtræ ſpirituali aliquando ſuperinfunditur.

§. VI.

§. VI.

His itaque jam præmiſſis ad criteria illa, quibus verus guſtus à falſo, quibus natura à gratiâ diſcernitur, paucis deſcendendum & deinde quanta è ſpirituali hoc chariſmate in omnem converſationem noſtram deriventur commoda fructuſque præſtantiſſimi, quàm varia & mirabilis quoque ſit ejuſdem diſpenſatio, quam DEUS pro liberrimo miſericordiæ ſuæ arbitrio & inflectere poteſt & re verâ, uti vult, & cum maximâ rationis noſtræ humiliatione ſubinde inflectit; quanta denique apud homines naturæ & gratiæ reperiatur mixtura, ita ediſſerendum, ita enucleandum venit, ut nihil facilius, nihil promtius ſit, quàm ut quiſque noſtrûm, qui hæc legit, in ſemet ipſum deſcendat, atque vitam ſuam vel potius ſtatum ſpiritualem evoluturus ſemet ipſum ita interroget & ex ſe quæritet: ET DIC MIHI JAM SODES, O MENS MEA, QUOMODO ERGO RES TECUM JAM STAT, NUM ET TU IN BEATA ILLA NOVAQUE VITA VERSARIS, QUÆ TANTA FELICITATE EOS, QUIBUSCUNQUE EA CONTINGIT, IMBUIT, VEL NUM POTIUS ET TU ADHUC EMORTUA ES ET A COMMERCIO ILLO SANCTO CUM DEO, ad quod tota tandem ſalus tua devolvitur, ALIENA? Etenim præcipua hæc inter omnes alias quæſtio eſt, quam formare ſibi neceſſum habet, quicunque in hoc articulo ſapere

vult,

vult, ſine cujus & deciſione eaque favorabili is hunc quoque articulum nunquàm rectè capiet. Scilicet divina illa, quam præ nobis ferimus, ſapientia eò unicè & ſolùm tendere debet, ut, qui miſeri natura ſumus, per gratiam beati evadamus, & ut ea, quæ poſt nos ſunt, mundana nempe quævis & fluxa relinquentes nos ſuperextendamus ad ea, quæ ante nos ſunt, utque ſcopum illum perſequamur, brabeum illud ſupernæ vocationis DEI in Chriſto JESU. Phil. III. 14. Hæc ſapientia niſi omnium actionum, omnium volitionum, omnium deſideriorum noſtrorum prora & puppis ſit, recto profectò & genuino tramite toti excidimus. Qui itaque cunque hæc legis, lector, cum ſeria ea reflexione legas velim credaſque, UNUM hoc NECESSARIUM eſſe, à quo pondus æternæ felicitatis tuæ dependeat. Nec eſt, quod ajas, homiletica hæc eſſe, eſſe practica, eſſe vel tandem & proletaria, quæ in libellis academicis haud tractanda ſint, ubi ſubtilitates & ἀκριβείας ſcholaſticas, ubi eruditionem, ubi curioſa quædam & nova conglomerare atque ad guſtum ſeculi & eruditiorum accommodare Theologus debeat. Jam enim, qui ita rem ſecum putaverit, oſtendit, ſe guſtu ſpirituali haud fulgere ſed depravato guſtûs organo miſerrimum laborare. Harum rerum nauſea profectò neminem niſi impium capit. Iis enim, quos cœleſtis quædam lux circumfundit, mel hoc eſt longè dulciſſimum

Digitized by Google

mum & quod ſolum animum ipſorum ſatiare aptum eſt & actu ſatiat. Nec ſanè certior eſt corruptionis, quæ pectora hominum eorumque eruditorum communiter ferè pervadit, character, quàm nauſea hæc ſumma, qua ſpiritualia miſeri illi tantoperè faſtidiunt & naſo adunco ſuſpendunt. Et verò miſeret me virorum, qui, ubi Theologiæ medullam ſe nôſſe ſic credunt, qui myſteriorum divinorum rationes ἀκριβεςάτως ſe evolviſſe ſomniant, nubem pro Junone adprehendunt & pro eruditione maſcula meram eruditionis vappam, meras tenebras venantur. Abſcede tu ab his, qui homo DEI es, & ſolidiora, quæ & in hora mortis maneant anchoramque tunc tibi certam præbeant, ſectare. Grallis enim ſcholaſticis qui claudicans innititur nec ſuis talis promtè vadit, profectò regnum cœlorum non introibit.

§. VII.

Aſt oſtendamus vel tandem (redeundum enim ad propoſitum eſt, unde caſu dilapſi ſumus,) criteria illa & ſigna, quibus guſtus verus à falſo, quibus natura à gratia diſtinguitur. Primò guſtus ſpiritualis, verus ille & genuinus nativa luce ſua radiat. Age, dic mihi, quomodo diſtinguis verum lumen à lumine erratico? quomodo diſtinguis album à nigro? Sua nativa luce illud ab hoc, unum ab altero diſcernitur. Nec eſt, quòd ulteriorem jam demonſtrationem & ἀπόδειξιν heic deſideres, qui ſa-

pis. PRINCIPIA ENIM PRIMA PROFECTO NOVIS RATIONIBVS HAVD DEMONSTRANTVR, quoniam alias proceſſus in infinitum daretur. Atqui verò in Theologia aſcetica, hoc eſt, in interioris Chriſtianiſmi campo principium hoc ex primis quoddam eſt, quod fontem veritatis omnis ex divino lumine vitaque ſpirituali deducit & tàm illud quàm hanc nonniſi ſenſu nobis patere ſuaque propria luce radiare & demonſtrari dictitat. Sunt tamen & præter nativam hanc atque innatam lucem alia adhùc criteria tùm externa tùm interna, ex quibus diſcrimen inter guſtum verum & falſum deduci poteſt. Agedum, pauca quædam heic congeramus. Scilicet, quicunque tuum ipſemet ſpiritum, quo ageris, ſub examen jam vocas, ô bone, ante omnia mira mentis pectorisque tui ſinceritate præditus eſſe debes. Dic mihi ſodes, o Chriſtiane, itane tibi ergò hæc ſincera mens eſt, te ſequeſtratis omnibus mundi voluptatibus unicè DEO adhærere velle? itane ergò quibuſcunque principiis carnalibus nuncium miſiſti nullumque unquam cum DEO pactum inire te poſſe cogitaſti, quo quædam tibi peccata, quaſdam commoditates, quædam præcipua carnalis reſervares? itane ergò tale tibi eſt cum DEO commercium, quod omnibus mundi deliciis tu ſincerè anteponas? itane ergò nihil eſt, quòd de peccato quodam penes te dominante tibi conſcientia tua oggerat, dicatque, euge homo, tu

cum

Digitized by Google

cum bono illo DEO, qui te trahit ſibique te mancipare cupit, ſincerè haud agis? itane ergò continuis pietatis exercitiis & operibus totus flores aureamque in hoc mundo converſationem agis, quæ te heic terrarum ſaltem peregrinari & πολίτευμα tuum in cœlis quærere omnibus dictitet atque ad oculum oſtendat? itane ergò, quicquid meditaris, quicquid deſideras, quicquid loqueris, quicquid agis, divino quodam ardore & pace quâdam ſpirituali diluitur atque ex pectoris converſi, non verò ex voluptatum vel affectuum dominantium fundo (hæc enim benè inveſtiganda ſunt,) manat? Hæc ſi ita ſe habeant, omnino longè certiſſimum hoc eſt, ſpiritum illum, qui in te floret, guſtum illum, quo gaudes, verum eſſe & genuinum & ſpiritualem & divinum, & gradus habere ſuos, prout vita hæc ſpiritualis in te vel major vel minor, vel parcior vel plenior (innumeri enim ejuſdem gradus ſunt,) vel luculentior vel exilior exiſtit, prout vel ipſe jam vitâ ſpirituali hâc polles vel ſaltem in viâ ad eandem verſaris & prout in vitâ hac vel proficis vel ex pigritiâ quâdam ulterius haud eundo ſubſiſtis, h. e. deficis. Aſt, ubi planè ſincera tibi mens non eſt, ubi nequitiæ & hypocriſeos dolus quidam in pectore tuo latitat, ubi ſemi-converſioni cuidam ſaltem miſer indulges atque adeò eum in animæ ſtatum dilaberis, qui involutus dein eſt & ſumtâ angeli lucis larvâ eò periculoſior, quò

 magis

magis is ab agnitione paupertatis tuæ ſpiritualis te abſtinet, ibi & vita ſpiritualis nulla & nullus cœleſtium rerum verus guſtus eſt, ibi nonniſi pietatis ſpectra quædam regnant & larvæ, nulla verò pietas maſcula mentem occupat. Itaque cave, dicas, ita qui habes, ſaturatum te eſſe, divitem te eſſe, regnare te, cave addas, te nullus rei indigere & ubertate cœleſtis vitæ undique circufuſum eſſe, TE IPSUM enim NON NOSCIS, qui miſer es & pauper & cæcus & nudus. Jam verò, ſi lumen ſpirituale, ſi guſtum ſpiritualem nanciſci velis, collyrio tibi opus eſt, quo viſum oculis tuis reſtitui patiare, eâ tibi vi divinâ opus eſt, quæ penitùs te vertat. Neque enim committas hoc amplius velim, ut falſâ vitâ, ut falſo lumine, ut falſo, ut depravato guſtu temet ipſum decipias vel vim quandam tibi inferas, quo, qui cor nondum mutatum & verſum & cœleſti ardore perfuſum habes, niſu quodam naturali ad benè agendum te ipſemet urgeas. Et nihil profectò miſerius eſt, quàm, ubi, queis pectus carie ſpirituali infectum eſt, converſationem externam ad pietatis quoddam genus flectimus. Recalcitrat ſemper, quam in nobis gerimus & ſentimus, conſcientia, & angor quidam ſpiritualis cor noſtrum jugiter tangit, qui, ubi deficit, deinde in acediam ſpiritualem mortemque plenam degenerat. Quod ſi itaque nulla benè agendi apud te ſit facilitas, nulla ſpiritualis alacritas, quæ te ad

benè

Digitized by Google

benè agendum perpetuò animent, ſed vis hîc rebus adhibenda ſit, cogita ſtatim, o mi, ſive dein in ſtatu ſecuritatis ſive ſervitutis ſis, te nonniſi naturæ viribus hactenus præditum eſſe nullâque gratiæ divinioris præſtantiâ florere. Heic quippe nullus ſervilis metus ſed amor bonum efficit atque

omnia ſponte fluunt & abeſt violentia rebus.

QUOS enim SPIRITUS DEI AGITAT, ILLI SUNT FILII DEI. Jam verò & pietas, quâ fulgere Chriſtianum convenit, ſi gratiæ illa adſcribenda veniat, non in externæ ſaltem locomotivæ directione, non in externis ſaltem pompis & cærimoniis ſed in interno ſanctimoniæ præſtantioris flore, in continuo præſentiſſimoque cum DEO commercio, quo ſanè Chriſtianus carere nunquam poteſt, in nauſeâ & contemtu mundi, in humilitate ſinceriſſimâ, in ardentiſſimo pro gloriâ DEI & ſalute hominum zelo eoque non legali ſed evangelico conſiſtit eandemque ſemper formam ſervat nec ὀφθαλμόδουλος eſt vel ad certarum perſonarum præſentiam, ad certa loca, tempora, officia aliasque circumſtantias, ad quas hypocritæ ſeſe componunt, reſtringitur. Quæ omnia ſanè ſi lydii jam lapidis loco nobis ſint, ad quem, quid ex viribus naturalibus, quid ex virtute quâdam ſpirituali agamus, examinemus, res tota profectò illicò confecta erit. Et ſanè, ſi quidem quis tantiſper ſaltem ſincerus eſſe velit, facile is capit, quid natura in ipſo, quid ſpiritus operetur,

retur, maximè ſi & temperamenti ſui indolem, ſi conſuetudinum olim jam contractarum rationes, ſi actionum ſuarum cum fine ſupremo, quem ſemper ſibi præfixum Chriſtianus habere debet, immediatam connexionem cum cæteris, quæ jam diximus, criteriis combinaverit. Denique & perſpicaciæ ſpiritualis gradus quidam præcipuus, à Domino precibus aſſiduis & continuâ vigilantiâ impetrandus utramque profectò paginam in argumento hoc facere debet. Et ſi ad ſpecialia deinde deſcenſus fiat, ſi, quid hic & nunc ex naturâ, quid ex gratiâ proficiſcatur, determinandum ſit, ſi cautelæ heic circa omnia Chriſtianiſmi officia formandæ atque apponendæ ſint atque ad criteria ſpecialiſſima deſignanda pes dein promovendus, (id quod pro brevitate inſtituti jam à nobis fieri nequit,) præter internum illud Spiritûs S. teſtimonium idque infallibile & ſuâ profectò, uti diximus, nativâ luce radians, quod guſtum ſpiritualem adpellitavimus, innumerarum circumſtantiarum concurſus hic attendendus foret, niſi illi, qui ſinceritatem rebus ſuis affundit & qui ſeriam ſaluti ſuæ promovendæ operam navat, mox ſuâ ſponte, divino Spiritu afflante, ſtatim veritas rei pateſceret.

§. VIII.

Cæterum inſulſus oppidò is atque jejunus fuerit rerumque planè ignarus, qui quæſiverit, quamnam

nam hoc igitur jam utilitatem ſecum vehat, noſſe diſcrimen, quod inter naturam & gratiam intereſt. Scilicet uſus hujus diſcriminis non tàm eſt theoreticus quàm practicus eoque major & præſtantior. Etenim quanta hæc miſeria, quanta quæſo calamitas hæc eſt, falſâ fide, falſâ converſione decipi, & ubi cœlum ſic adprehenſurum te eſſe putas, umbram pro cœlo adprehendere & apertis ſic oculis falli & decipi? Tuâ itaque utique intereſt & plurimùm intereſt, ne hîc deſipias & erres. Taceo, ſi quis diſcrimen iſtud noverit, quod inter gratiam & naturam intereſt, ſi quis noverit, quidnam ſpirituale, quidnam naturale, quidnam hypocriticum, quidnam genuinum ſit, eundem deinde eò meliores in vitâ ſpirituali progreſſus facturum & magnis paſſibus ad præcipuum Chriſtianiſmi præſtantioris gradum perrecturum eſſe. Mirificè autem ad ædificandos quoque alios facit χάρισμα hoc, quo ad ſpiritus rectè dijudicandos idonei reddimur. Non exprimi quippe ſatis poteſt, quantam id facilitatem tangendis, convincendis, compungendis, vertendis & dirigendis in viâ ſalutis hominibus, quantum momentum, quantam lucem afferat & quàm neceſſarium id Miniſtro Eccleſiæ ſit, qui quippe abſque hoc ne hilum quidem apud ſuos proficiet.

§. IX.

Eſt verò, quod poſtremùm monemus, tàm mirabilis hæc gratiæ divinæ, quà mentes noſtræ ad DEUM quærendum tanguntur & vivificantur & ſanctificantur, diſpenſatio, tàm varia illa & libertatem divinam omnimodam ſpirans, tàm ſuavis, tàm jucunda, tàm potens, tàm divina, divinitatis quippe ampliſſimos, qui verò verbis enarrari neſciunt, ſed ſolo guſtu, ſolo ſenſu patent, characteres ſecum vehens, ut exprimendis hic rebus ne quidem ſelectiſſimæ dictionis facundia & copia ſufficere poſſit. De inæqualitate graduum, quæ è diſpenſatione ejus ſubinde elucet, id notandum, arcana heic voluntatis divinæ conſilia eſſe, quæ quòd nobis haud patent, rationem noſtram valdè omninò humiliant, etſi & hoc facilè pervideamus, qui ſapimus, pro menſurà gratiæ vel parciore vel uberiore quemvis olim punitum juſtitiamque hic à DEO exactiſſimam obſervatum iri. De gentilibus, quibus Evangelium haud prædicatum fuit vel prædicatur, quæritur, num eos quoque ſine verbo externo gratia ſalutaris quædam tangat? Et reſponderi poteſt primò quidem, DEO manus miſericordiæ univerſalis haud ligandas eſſe, poſtea, nec placuiſſe DEO, ut in ſanctioribus literis pleniſſimè nos hanc in rem edoceret, dein, omnium œconomiarum divinarum rationes nos ſic late-

re,

Digitized by Google

re, denique, præſtantiſſimam ergò eſſe conditionem noſtram, quorum aures Evangelii ſonus luculentus pervadat, ſi modò verbo audito, quod & nos intus tangit, fidem & obedientiam adſperſerimus. Additur & hoc: num extra Eccleſiæ, cui nos nomen damus, pomœria DEUS quoque gratiæ ſuæ dona diſpenſet? ubi prorſus haud arbitror, negari id poſſe, niſi quòd id difficile videatur explicatu, qui DEUS & actus iſtos externos idololatricos (ſi nempe habitum eorundem externum ſaltem reſpicias, quem idololatriam materialem, non formalem, philoſophicè nuncupaveris,) fidelium, quos regnum Pontificium tenet, ſanctificare eoſque ad infundendum animis eò pleniorem gratiæ ſenſum guſtumque inflectere poſſit? Ubi profectò exiſtimaverim, ad COR reſpicere eum, qui DEUS CORDIUM eſt, itemque ad innocentiam hominum, qui ſinceriſſimi licet ad rei tamen veritatem dignoſcendam pervenire hic haud valuere. Ubi cor idololatricum non eſt, nec actus talis erit. Matth. VI. 22. 23. Nec tamen eſt, quòd dicamus, intentionem actûs externi moralitatem hìc mutare & vertere poſſe, ſufficere itaque, ut ea rectè dirigatur. Hìc enim actus ille, de quo quæritur, non ex intentionis directione ſed ex præſtantiſſimo CORDIS coram DEO ſtatu (quæ duo longè diverſiſſima ſunt,) alium characte-

Digitized by Google

rem accipit. Sed hoc quidem gratiæ divinæ myſterium quoddam eſt, quod pauci capiunt, quemadmodum & diſquiſitio illa de mixtura gratiæ & naturæ, quæ tanta in pleriſque etiam converſis reperitur, ut magna hìc diſtinctio actionibus eorum dijudicandis, magnum judicium ſpiritualiſque atque inſignis perſpicacia adhiberi debeat, quemadmodum, inquam, & diſquiſitio illa de mixturâ naturæ & gratiæ non ſine magnâ luce ſpirituali atque rerum divinarum experientiâ inſtitui poteſt.

§. X.

Quid verò jam, quæſo, nobis, dum colophonem diſſertationi huic aſceticæ imponimus, ſupereſt, quàm ut ſupplices Dominum exoremus, ut pro, quâ pollet, miſericordiarum copia nos gratiæ ſuæ diviniſſimæ ſenſu & tactu jam luculenter beet. Eja, Domine, ampliſſimæ gratiæ tuæ copiam nobis, precamur & quæſumus, jam ut adſpergas pelaguſque quoddam miſericordiæ hujus tuæ illabi ſitientibus pectoribus noſtris ut patiare. Intuere, quæſumus, Servator, hiantia ora & diſtentas cordium noſtrorum fauces, quibus TE ipſum petimus, quibus TE anhelamus, quibus TIBI inhiamus, qui ſiti ſpirituali conficimur. Aſt benè ſe hactenus nobiſcum res habet, in quorum mentibus iſtud deſiderium, quod TIBI diſplicere haudquaquam poteſt & quod profectò

Digitized by Google

fectò divitiis gratiæ tuæ illicò ſatiabis, prorſus flagrat. Rogamus vel maximè, O BENIGNE PATER, pro iis, qui ſe ſatiatos eſſe putant, ubi in deplorando egeſtatis ſpiritualis ſtatu miſerrimi verſantur, precamurque te, ut largo compunctionis rore pectora ipſorum diluas & paupertatem eorundem ſpiritualem ipſis manifeſtam reddas collyrioque ſpirituali oculos illorum protinus delinias, ut videant vel tandem atque ex curvâ, cui immerſi ſunt, generatione ſic, nullâ morâ rebus interpoſitâ, beati evadant. Jam itaque RORATE VOS COELI DESUPER ET VOS, O NUBES, DEPLUITE JUSTITIAM ET APERI TE, O TERRA, ET SALUTEM FER ET EFFLORESCE SIMUL, O JUSTITIA, ECCE, TU DOMINE CREABIS ILLUD! Tange, quæſumus, quid enim non eaſdem preces denuo repetamus? tange, qui omnipotens es, corda mortua &, quod primum eſt, tenebras has noſtras cum luce tuâ & mortem hanc noſtram cum ampliſſimo vitæ ſpiritualis fœnore commuta. Compunge nos, o gratiarum quarumvis cœleſtium arbiter, & muta nos & verte mentes, quæ mundi quiſquiliis hactenus involutæ fuere, tuamque juſtitiam, tuam ſanctitatem, quæ longè præſtantiſſima eſt & quæ, pravis noſtris affectibus domitis & ſub jugum prorſus miſſis ſolis ad inſtar in mediâ eâque

perverſâ

perverſâ hujus mundi natione ſic fulgeat; illicò largiſſimam ipſis, precamur, infunde. Denique, ubi ſic animos noſtros tetigeris, nobiſcum & ſanctum illud commercium, quod ſolum nos beat, ini & conculca penitus ſub pedibus noſtris Satanam, cui ſervivimus, & fac vel tandem, ut ex iſto, in quo hactenus ſubſtitimus, naturæ regno in regnum gratiæ alacres tranſmeemus eoque guſtu, eo ſpiritu donemur, qui vitæ noſtræ beatioris luculentiſſimum nobis ſignaculum & arrhabo ſit. Ita fiat.

Amen!

Digitized by Google

Errores typographici.

En indicem errorum typographicorum, quos ita velim corrigas, lector benevole, noteſque, ſignum *l.* ſignificare *lege*. *a.* denotare *adde* & *d.* dicere *dele*.

P. 1. l. 12. *d.* primùm. p. 3. l. 19. *l.* eluceſcit. p. 4. l. 2. *l.* nequeant. l. 14. *d.* eadem l. 18. *l.* ipſa poſſit l. 24. *l.* eundem. l. 26. *l.* illi oſtendat p. 9. l. 10. 11. ipſis relicto *l.* moti p. 10. l. 7. *d.* id. l. 11. *l.* illius prædicatio adverſaretur p. 15. l. 18. *d.* repeti l. 23. planè *l.* & p. 16. l. 15. *poſt* conculcaverit *a.* ſcepticiſmo univerſali latiſſimam ſic partam aperturus, quo qui tangitur, & de miraculorum præſentium veritate tandem inſanus ambiget, p. 38. l. 5. *l.* 1. Joh. p. 39. l. 20. Paulo *l.* ipſi p. 46. l. 21. Cæterùm *l.* Scilicet p. 48. l. 13. *a.* Luc. XXIV. 44. & *l.* ubi Pſalmos p. 78. l. 7. XXV. *l.* XXIII. l. 30. *l.* I. p. 86. l. 5. *l.* 29. l. 7. *l.* VII. p. 116. l. 12. Hebr. *l.* Rom. l. 16. X. *l.* XI. p. 117. l. 24. *l.* 31. p. 119. l. 8. III. *l.* II. p. 132. l. 4. *l.* notari. p. 151. l. 24. 18. *l.* I. 10. p. 152. l. 17. 2. *l.* 1. l. 28. II. *a.* 8. p. 153. l. 5. 10. *l.* 11. p. 154. l. 13. *l.* 1. *Cor.* l. 16. *l.* CXLIII. 10. l. 22. 45. *l.* 35. l. 28. II. *l.* III.

Digitized by Google

II. *l.* III. l. 29. *l.* 2. *Theſſ.* p. 155. l. 16. 11. *l.* 16. l. 23. 29. *l.* 19. p. 157. l. 12. *l.* *Jeſ.* p. 148. l. 10. *l.* Nicænam. p. 160. l. 6. ſqq. *ita lege* : quam ſententiam Scholaſticis familiarem eſſe novimus , in quibus & eam SCHERZERUS carpit , an denique &c. p. 166. l. 12. CVI. *l.* CIV. XLIII. *l.* XXXIII. p. 167. l. 27. *d.* e. p. 1681. l. 8. 16. *l.* 1. 6. XCV. *l.* CXV. p. 174. l. 19. *d.* IV. p. 178. l. 30. VII. *l.* XVII. p. 183. l. 23. trahere *a.* vult. p. 189. l. 14. XIX. *l.* XI. l. 18. 1. *l.* 12. p. 190. l. 11. 32. *l.* 22. p. 191. l. 15. II. *l.* III. l. 19. XI. *l.* XII. X. *l.* XI. l. 26. *l.* 1. *Joh.* p. 192. l. 20. IX. *l.* X. l. 31. XIII. *l.* XV. p. 193. l. 8. 29. *l.* 28. l. 24. 3. *l.* 31. p. 195. l. 12. 12. *l.* 22. p. 200. l. 18. *l.* I. p. 201. l. 6. XXIX. *l.* XXI. p. 204. l. 2. *l.* *Job.* p. 207. l. 3. II. *l.* III. p. 219. l. 18. exe. *l.* ex- p. 229. l. 19. 8. *l.* 7. p. 241. l. 30. *l.* quis p. 245. l. 3. num detur *l.* dari p. 255. l. 8. l. *demtis* p. 265. l. 21. *l.* eandemque. p. 308. l. 18. 12. *l.* 16. p. 310. l. 10. *l.* debeant. p. 313. l. 4. *l.* legem. p. 315. l. 8. non. *l.* vel. p. 317. l. 20. *l.* ſuffocato & ſanguine. p. 320. l. 6. *l.* Hieroſolymitano. p. 340. l. 25. l. *d.* eſſe. p. 341. l. 21. verò. *a.* quidam. p. 371. l. 7. *l.* incarnationis. p. 372. l. 31. *d.* omni. p. 373. l. 15. *l.* genere. p. 376. l. 4. *l.* ſimilis. p. 380. l. 9. *l.* Apollinari. p. 382. l. 14. *l.* Poſſevinum. p. 399. l. 4. *l.* cuivis.

p. 406.

Digitized by Google

p. 406. l. 11. *l.* nos. p. 407. l. 29. *l.* 5. 6.
p. 408. l. 8. *d.* eſt. l. 27. *l.* V. p. 409. l. 13.
l. ult: „ p. 412. l. 33. *l.* LXVI. p. 413 l. 16.
l. abhorret. l. 22. *l.* Meſſiâ. p. 414. l. 23.
bati. *a.* deberet. p. 416. l. 20. 14. *l.* 12.
p. 418. l. 10. *l.* debebamus. p. 420. l. 8.
l. illa. p. 421. l. 7. *l.* 1. *Joh.* p. 436. l. 20.
14 *l.* 1. 4. p. 439. l. 30. XIII. *a.* *Matth.*
p. 440. l. 30. *l.* noſtrorum. p. 441. l. 25. *d.*
amplius. p. 443. l. 16. *l.* 17. p. 453. l. 3.
l. licet. p. 460. l. 13. niſi. *l.* ſi nempe.
p. 463. l. 6. & veteres illi bus. *l.* ex veteribus
illi. p. 470. l. 20. æterna Chriſto & ſalus
l. Chriſto & ſalus æterna. p. 478. l. 30. poſt
Chriſtum *a.* & p. 484. l. 19. *l.* indormien-
dum. l. 28. in, *l.* ; l. 30. *l.* mortuis. p. 492.
l. 31. *l.* illa. p. 493. l. 17. *l.* ſuique. p. 507.
l. 19. *l.* ſecutos. p. 509. l. 3. *l.* quies. p. 532.
l. 30. mediatus *a.* vel. p. 549. l. 23. flore. *a.*
ut & continuo cum DEO commercio. p. 552.
l. 12. Auguſtini. *a.* de. p. 555. l. 11. *d.* ſed.
l. 12. ſuppoſiti. *a.* ſed & conjunctionis intimio-
ris atque arctioris. p. 565. l. 19. *l.* immorta-
litatis. p. 569. l. 11. *l.* 2. *Cor.* p. 576. l. 9.
l. Evangelio & annuntiato. p. 579. l. 5.
l. Deipara. l. 13. *d.* Petr. p. 591. l. 25. *a.*
Matth. XXV. 31. ſeq. *Apoc.* XX. 11. ſeq.
XXI. p. 592. l. 1. de reſurrectione *l.* de judi-
cio extremo. p. 633. l. 10. *d.* hodie. p. 659.
l. 22.

Digitized by Google

l. 22. *poſt* pollet, *a.* ſpiritualibus illis præcipuè, non tantùm naturalibus, quæ tamen poſteriora communi vocis abuſu pro adminiſtrantibus venditantur, cùm in vero Eccleſiæ Miniſtro dona non ſolùm ſanctificantia ſed & adminiſtrantia ſpiritualia eſſe debeant, p. 660. l. 16. quem *l.* aliquem, l. 18. homines *a.* non. p. 677. l. 11. *a.* extat. p. 678. l. 18. reverâ. *a.* inquam. p. 679. l. 14. pœnitentiæ. *l.* S. Cœnæ. p. 685. l. 23. fecerit. *a.* vel qui concubinam aliquando habuerit. p. 687. l. 5. Evangelii. *a.* extraordinariis. p. 688. l. 1. *l.* occaſionales. p. 709. l. 3. effectus ſacramenti. *l.* intentio prædicantis. p. 718. l. 18. *ἄιματος l. πνίυ-τος.* p. 721. l. 10. ſed. *l.* &. p. 735. l. 14. *d.* olim. p. 736. l. 9. *l.* qui. p. 742. l. 25. *d.* ſit p. 760. l. 3. *d.* ult. &. p. 766. l. 1. *l.* panis. l. 18. *l.* divini. p. 767. l. 19. *l.* vigeat. p. 773. l. 13. *l.* indiviſibili. p. 776. l. 7. *l.* eccleſiaſticum. p. 789. l. 9. perfectio *l.* ratio p. 803. l. 99. *l.* Jam in jure civili ultra matrimonia in lineâ rectâ, fratrum & ſororum itemque, ubi reſpectus parentelæ eſt, prohibitio graduum (graduum dicimus, non perſonarum) non vadit, aſt in canonico. p. 811. l. 9. *l.* affectu. Mendis, quæ reſtant, benevolus lector manum, rogamus, medicam ut affundat.

CHRI-

Digitized by Google